





couté 20 f 2 vol.



E. Ab Willemin
parochum Bellovacensem

BREVIARIUM

BISUNTINUM,

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. ANTONII-CLERIADI,

S. R. E. Cardinalis

DE CHOISEUL-BEAUPRÉ,

ARCHIEPISCOPI BISUNTINI, SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPIS
AUCTORITATE EDITUM.

NOVA EDITIO,

Ab Illustrissimo et Reverendissimo D. D. GABRIELE CORTOIS DE PRESSIGNY, Archiepiscopo Bisuntino, Pari Franciæ mente præparata, et ab Illustrissimo et Reverendissimo ejus successore PAULO-AMBROSIO FRÈRE DE VILLEFRANCON, Archiepiscopo Bisuntino, Pari Franciæ in lucem edita.

PARS ÆSTIVA.



VESUNTIONE,

APUD JOANNEM PETIT, D. D. ARCHIEPISCOPI TYPOGRAPHUM ET BIBLIOPOLAM.

1824.

PAULUS-AMBROSIUS

FRERE DE VILLEFRANCON,

Miseratione divinâ et SS. Sedis Apostolicæ auctoritate Archiepiscopus Bisuntinus, Par Franciæ, etc.

CLERO Bisuntino, salutem in CHRISTO JESU.

NOvam hanc Breviarii Bisuntini anno 1761, Eminentissimi Cardinalis de Choiseul-Beaupré auctoritate in lucem emissi editionem, quam, veteribus exemplaribus omninò deficientibus, illustrissimus ac Reverendissimus bonæ memoriæ decessor noster DD. Gabriel Cortois de Pressigny, Archiepiscopus Bisuntinus, Par Franciæ, dum è vivis citiùs mors illum eripuit, animo conceperat, vobis, fratres charissimi, hodiè tradimus et offerimus.

In paucis admodùm secunda hæc editio à primâ differt. Et ut leves immutationes quas temporis ratio et circumstantiæ à nobis poscere videbantur, maturè fierent, duos è Capituli nostri gremio, juxtà mentem Concilii Tridentini, *cap.* 12. *Sess.* 24. *De reformatione*, in laboris nostri partem adscivimus.

Plurimis è Sanctorum reliquiis quæ olim in Ecclesiis nostræ diœcesis religiosè asservabantur, istæ Ecclesiæ temporum calamitatibus spoliatæ fuerunt. De illis igitur reliquiis tanquam nunc existentibus in legendis mentio fieri non debet, sed earum memoriam et recordationem pretiosè et accuratè exprimi decet.

Plures Primarum Canones aut loco suo erant extranei aut desuetum sensum præ se ferebant. Illos proindè vel transferri vel è Breviario penitùs tolli operæ pretium fuit.

Festa quorumdam Sanctorum, quorum nomina apud nos majori sunt in veneratione, sub ritu solemniori celebranda visa fuerunt, qualia sunt festum sancti Ludovici Franciæ Regis, festum sancti Francisci Salesii et festum sancti Vincentii à Paulo.

Editioni Breviarii anni 1761 deerat officium de communi pro *Sanctis Presbyteris.* Huicce editioni dictum officium adjici curavimus.

Hucusque festum sacratissimi cordis Jesu Christi, in nostrâ diœcesi, publicè solemnisatum non fuit. Volentes autem fidelium nobis commissorum quantùm in nobis est, accendere pietatem,

desiderium serenissimæ Reginæ Ludovici XV uxoris adimplere, voto Cleri gallicani in comitiis anni 1765 adhærere, Regis, à Pio VI dicti Martyris, (1) Ludovici XVI, devotioni obsequium præstare, Breviario Bisuntino officium SS. Cordis Christi inserendum censuimus.

Ut etiam cultus Beatæ Mariæ Virginis magis ac magis foveatur et augeatur; inter festa quæ per cursum anni pia mater Ecclesia in ejus celebrat honorem, specialem memoriam B. M. V. *de Carmelo* omitti noluimus; et eam Dominicâ diem decimam sextam julii immediatè sequenti, deinceps fieri decrevimus.

Illustrissimo ac Reverendissimo prædecessori nostro menti fuit ut novæ huic editioni sancti Anthelmi Bellicensis Episcopi festum adderetur; hocque tam religiosum votum, ne suo careret effectu, toto corde intendimus.

Omnibus et singulis clericis hìc et nunc in sacris ordinibus constitutis, quodcunque in nostrâ diœcesi ecclesiasticum munus obeant, qui hucusque primâ Breviarii editione usi sunt, eâdem deinceps utendi licentiam facimus. Ad novam tamen editionem cum rubricis et officiis publicis magis concordantem, quando facilè et sine incommodo fieri poterit, adhibendam, illos in Domino exhortamur. Sed iis qui in posterum ad horas diurnas canonicas recitandas tenebuntur, ut recentiori hâc et novâ Breviarii editione utantur mandamus ac præcipimus.

Eximiam pastoralem Epistolam Eminentissimi Cardinalis de Choiseul-Beaupré ad Clerum suum directam et quæ editioni anni 1761 in capite erat, in novâ editione locum suum servare intendimus, tùm ad cleri nostri ædificationem, tùm ut in eâ sanæ doctrinæ, piorum affectuum et tenerrimi ergà Deum amoris succum indesinenter reperiat.

Hoc ergò, fratres charissimi, nobis exoptandum superest, ut *orationi instantes* (2) et adjuvantes nos *in orationibus vestris pro nobis ad Deum*, (3) *justè et piè vivatis in hoc sæculo*, *expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei*, *et salvatoris nostri Jesu Christi.* (4)

Datum Bisuntii, die vigesimâ nonâ septembris anno Domini millesimo octingentesimo vigesimo quarto.

† PAULUS-AMBROSIUS,

Archiep. Bisunt.

ANTONIUS-CLERIADUS,

Miseratione divinâ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis DE CHOISEUL-BEAUPRÉ, *Archiepiscopus Bisuntinus, Sacri Romani Imperii Princeps, Primas Insignis Ecclesiæ Primatialis Lotharingiæ, et Serenissimi Regis Poloniæ, Ducis Lotharingiæ et Barri, Magnus Eleemosinarius.*

CLERO Bisuntino, salutem in CHRISTO JESU.

CUm ad hujus amplissimæ Diœcesis regimen divinæ Providentiæ consilio accessimus, si quid animos nostros tantum onus reformidantes solari atque excitare potuit, hoc sanè fuit, quòd in illum Clerum feliciter inciderimus, vitæ sanctitate, et integritate doctrinæ per omnes Ecclesias commendatum, qui Deum colere purâ religione, constitutos ab ipsomet Deo Pontifices justo venerari obsequio, Populorum demùm saluti operâ indefessâ consulere ab omni ævo soleret. Ex eo enim facilè conjiciebamus, hoc unum Nobis agendum superesse, ut positas ab iis qui nos antecesserunt, leges tueremur, moresque receptos, et usitatam disciplinam conservaremus. Neque verò hæc nos existimatio fefellit; atque adeò, cum universa benè laudabiliterque composita esse videremus, Nobis utique licuit de Breviario novo edendo potissimùm cogitare, ut multarum aliarum Ecclesiarum exemplo quæ novis ipsæ Breviariis jam utuntur, cultûs divini dignitatem et majestatem augeremus. Quod exequendum suscepimus de consilio et assensu Illustris Capituli nostri Metropolitani, tùm quia prioris Breviarii nulla jam supererant apud Typographos exemplaria, tùm præcipuè quia publici cultûs intererat quædam mutari, alia verò addi quæ in veteri Breviario desiderabantur: Emendanda igitur fuere quæ minùs erant accurata, quædam penitùs deleri, alia adjici, nonnulla rectiùs collocari vel dividi debuere; ac denique in componendis ordinandisque precibus, quarum munere ac penso Ecclesiæ Ministri quotidiè defunguntur ad ipsius Ecclesiæ utilitatem, is adhibendus modus fuit, ut neque nimia prolixitas fervorem animi restingueret, neque brevitas nimia levitatem ac negligentiam redoleret.

Primùm igitur putavimus id non decere ut eadem semper aut fermè semper iterentur, atque in omni Officio sanctorum iidem Psalmi recitentur; quidam etiam toto anno, vel per magnam ejus partem, relinquantur indicti. Quapropter operæ pretium facturos Nos esse existimavimus, si eorum exempla sequeremur qui in Breviariis ab aliquo tempore pervulgatis Psalmos itâ distribuerunt, sectis etiam per plures doxologias proli-

xioribus, ut singulis diebus diversi Psalmi dicantur, atque intrà uniuscujusque hebdomadæ spatium Psalterium totum recitetur. Sic enim putavimus fore ut sine tædio precandi munus, non solùm mente magis attentâ, sed etiam animo magis alacri magisque ad Deum erecto perageretur.

Deindè singulis hebdomadæ diebus suum peculiarem scopum, suamque propriam colendam virtutem assignavimus; tribus enim primis diebus commendatur charitas, nempè ea quæ Dei et proximi amorem complectitur, ac quæ inter potissimas virtutes, etsi non est ordine prima, iis nihilominùs dignitate antecellit.

Die Dominicâ Dei amor in animis excitatur, eoque totum spectat illius diei Officium ut Deum propter suam bonitatem diligamus, ac proindè mandatis ejus obtemperemus. Qui enim diligit, legem implevit. (1) *Feriâ secundâ Dei varia in nos beneficia commemorantur, ut ex eorum recordatione toto animorum impetu ad illum feramur, à quo omne bonum, donum omne derivatur in nos; ac si amare pigebat, saltèm redamare non pigeat. Feriâ tertiâ amor proximi suadetur ut duo illa præcepta impleamus*, in quibus universa lex pendet et Prophetæ. (2) *Cùm spes dignitate proxima sit charitati, Feriâ quartâ spem in Deo solo collocare jubemur. Feriâ quintâ mentibus objicitur fides, sine quâ* impossibile est placere Deo, *ut ait Apostolus, cùm quidem* accedentem ad Deum credere oporteat quia est. (3) *Feriâ sextâ, ipsa quæ revocatur Passionis Christi memoria, ad patientiam in hujus vitæ laboribus et ærumnis retinendam adhortatur. Sabbato denique quies æterna, quæ Sanctorum est merces, proponitur, ut illo nimirùm stimulo ad opera bona excitemur, quandoquidem* bonorum laborum gloriosus est fructus. (4) *Atque ut hæc dierum discrimina accuratè servarentur, ea cuilibet Officio feriali Capitula, Hymni, Versus et Responsoria assignata sunt quæ singulis aptissimè convenire existimavimus. Hymnos etiam illos selegimus qui magis canori visi sunt magisque sensu pietatis pleni, ut vocis cantu mens effervesceret, et ad capessendam virtutem prosiliret alacriùs. More veterum ex Psalmis recitandis, quoties licuit, Antiphonas duximus, quæ quidem erant olim Psalmorum prodromi quidam, à quibus illorum tonus, sive intonatio, ut aiunt, sumebatur.*

Cùm Scriptura sacra Clericorum liber maximè sit, ex eorum

debent, tùm etiam alios docere. Officii verò nocturni Lectionibus et Capitulis Responsoria subjecimus, quæ apta sunt pias inspirare affectiones quæ ex lectione prævià ultrò nascuntur, quasque intimo animo sentire, non tantùm explicare verbis debemus.

Librorum tamen legendorum modus ità mutatus est interdùm, ut nunc vel plura legantur quæ anteà omittebantur, vel ea ommittantur quæ legi solebant; quippè visum nobis est satius esse de novo Testamento, præsertimque de Epistolis, nihil aut propè nihil prætermitti, cùm præcipuè loquantur ad ædificationem. Cæterùm Lectiones sacrorum Librorum tempori, Mysteriis ac Solemnitatibus, quantùm fieri potuit, conveniunt ac consonant.

Cùm multi Sancti in veteri Breviario fuissent prætermissi, qui tamen hanc Diœcesim vitâ, morte, et miraculis illustravere, quorum etiam Reliquias habemus, quorumque patrocinio sæpiùs usi sumus, illorum Festa Calendario inseri voluimus, eorumque Officia celebrari, ritu nihilominùs diverso, pro modo ac discrimine celebritatis.

Quædam Sanctorum Officia quæ ritu duplici celebrabantur, nunc ritu tantùm semiduplici, aut vice versâ celebrari statuimus, ut inter Sanctos ejusdem ordinis certa æqualitas servaretur.

Officia Dominicarum et Feriarum sunt ipsius Domini Officia; provisum itaque est ut Feriæ essent quamplurimæ, ac Officio diei Dominicæ cederent Officia Sanctorum quæ non essent classis superioris.

Tempore Quadragesimæ, cùm jejunium servandum est severiùs, Sanctorum Officia peragi non debere jam antiquitùs visum est, imò id fieri quædam Concilia vetuerunt, quamobrem quæ in Quadragesimam incidunt, ea in aliud tempus distulimus, ut Mysteriorum vitæ et Passionis Christi recordatione et meditatione Fideles et Clerici detineantur (paucis duntaxat exceptis;) quæ propter eorum celebritatem è locis propriis noluimus dimoveri.

Officio Primæ, Canones adjecimus quotidiè recitandos, et illos quidem quibus vetus Ecclesiæ disciplina maximè continetur, traduntùrque regulæ è variis collectæ Conciliis, ad quarum modum et arbitrium mores suos componant Clerici, ut perfecti sint, et ad omne opus bonum instructi. (1)

Eadem psallendi ratio servabitur in Choro quæ hactenùs servata est, donec Libri Cantûs huicce Breviario accommodati è prælo exierint, quod sanè ut contingat quamprimùm, atque adeò unus omnium ubique sit precandi et psallendi modus, sedulò efficiemus.

---

(1) 2. Tim. 3.

Restat ut adhortemur vos, FRATRES CHARISSIMI, *id ut semper cogitetis vos esse* pro hominibus constitutos in iis quæ sunt ad Deum, (1) *imò Angelorum obire ipsum munus*, *quemadmodùm enim illi*, *sic vos Fidelium vota et preces adsolium Dei transmittitis*, *ut ex illo cœlesti thesauro in Fidelium sinum cœlestia dona deferatis. A divinis laudibus nunquàm desistitis*, *sit* Deo jucunda, decoraque hæc vestra laudatio (2) *precationumque pensum quotidianum eâ animi pietate*, *eo mentis affectu persolvite*, *ut et vobis ipsis*, *et toti Populo christiano Deus propitius esse velit.*

DATUM Bisuntii in Palatio nostro Archiepiscopali, *die nonâ mensis decembris*, *anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo primo.*

ANTONIUS-CLERIADUS, Cardinalis
DE CHOISEUL-BEAUPRÉ,
Archiepiscopus Bisuntinus.

De Mandato Eminentissimi Domini D. Cardinalis,
BOSSU.

---

(1) Heb. 5. (2) Psal. 146.

DE ANNO
ET
EJUS PARTIBUS.

ANnus habet Menses duodecim, Hebdomadas quinquaginta duas cum die uno; dies trecentos sexaginta quinque et sex ferè horas, deficientibus scilicèt ad earum complementum aliquot minutis. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt mensi Februario superadditum; hinc annus ille qui *bissextilis* dicitur. Porrò cùm annus ultrà prædictos 365 dies non contineat sex horas integras, si singulis quaternis annis Bissextus sine intermissione fieret, adderetur aliquid ampliùs quàm par sit, quod quidem in spatio quadringentorum annorum ad tres circiter dies perveniret: ad quem excessum impediéndum, constitutum est (1), ut in quadringentis quibusque annis, primi quique tres centesimi sine bissexto transigerentur, quartus verò quisque centesimus esset bissextilis. Hinc, quia annus 1600 fuit bissextilis, annus 1700 non fuit bissextilis, neque anni 1800, 1900 bissextiles erunt, annus verò 2000 erit bissextilis, et sic in perpetuum.

Adventus Domini quando inchoetur.

ADventus Domini inchoatur Dominicâ proximiori Festo sancti Andreæ, vel ipso die sancti Andreæ, si in Dominicâ venerit. Excurrit ergò Dominica prima Adventûs à die 27 Novembris inclusivè usque ad diem 3 Decembris inclusivè; hoc est, celebrari potest in ipsa die sancti Andreæ, et tribus diebus ante illud Festum, et tribus diebus post: adeò ut cuicunque ex illis septem diebus præfixa est Littera Dominicalis currens, in illâ die eo anno celebrari debeat Dominica prima Adventûs.

Quatuor Anni Tempora.

QUatuor tempora celebrantur quartâ et sextâ feriâ, et Sabbato post Dominicam tertiam Adventûs; post Dominicam primam

(1) *Ann.* 1582. *de Anni correctione à Gregorio XIII.*

Quadragesimæ; post Dominicam Pentecostes, et post festum Exaltationis sanctæ Crucis.

De Nuptiis.

NUptiæ celebrari prohibentur à Dominicâ primâ Adventûs usque ad diem sextam Januarii inclusivè, et à feriâ quartâ Cinerum usque ad Dominicam in Albis etiam inclusivè.

De Calendario.

CAlendarium Ecclesiasticum quinque columnas complectitur: quarum prima Cyclum Epactarum exhibet; secunda Litteram Dominicalem; tertia et quarta numerum dierum mensis, hæc quidem secundùm nostram, illa verò secundùm Romanam computandi rationem, scilicèt per Calendas, Nonas et Idus; (1) ultima indicat Officium unicuique diei respondens: adeò ut ubi nihil annotatur, signum sit quòd eâ die de feriâ fieri debeat Officium, nisi faciendum esset de Dominicâ, vel de festo aliquo mobili, aut de festo aliquo translato, *etc.* Columna Litterarum Dominicalium designat hebdomadæ dies; et si nullum Officium è directo in quintâ columnâ annotetur, indicat utrùm de Dominicâ, an de feriâ Officium faciendum sit. Columna verò Epactarum, ut constabit ex modò dicendis, indicando Novilunia, indicat quoque Pascha, ac proindè et cætera festa mobilia quæ à

---

(1) *Apud Romanos, Dies cujuslibet mensis numerantur semper modo retrogrado, et quilibet mensis tripartitur inter* Calendas, Nonas et Idus:

Calendæ (sic ex antiquâ locutione nuncupatæ) *Sunt prima dies cujuslibet mensis. Hàc primâ die Pontifices plebem convocabant ut indicarent ei Festa*, etc. *in mense occurrentia; hinc nostrum* Calendarium.

Nonæ *sunt* dies septima *in mensibus Martii*, *Maii*, *Julii et Octobris; in aliis verò mensibus anni*, *sunt* dies quinta.

Idus *cadunt in diem decimam quintam pro suprad. mensib. Martii*, *Maii*, *Julii et Octob.; pro aliis autem in decimam tertiam.*

Nunc ut faciliùs hâc Romanâ computandi ratione utamur, sit in exemplum mensis Januarius: *in primâ die hujusce mensis, legendum est :Calendis Januarii; in secundâ verò : iv.° Nonas januarii, subaudiendo* antè, *quod sibi vult quartam diem* antè *Nonas januarii respondere ad secundam diem ejusdem mensis.* Prid. *significat : Pridiè* ante *Nonas januarii*, *sive quartam diem*

Paschate pendent. Cætera quæ in Calendario et in Tabulis repe-riuntur, per se patent.

De Cyclo Aurei Numeri.

CYclus *Aurei Numeri* est revolutio novemdecim annorum ab 1. usque ad 19., quâ revolutione peractâ, iterùm ad unitatem reditur: v. g. ann. 1801. numerus *Cycli aurei* erat 16 igitur ann. seq. 1802. fuit 17. et ita deinceps, uno semper ampliùs addito, usque ad 19, qui *Aureus Numerus* cecidit in ann. 1804. post quem iterùm ad unitatem redeundo, numerus aureus anni 1805. fuit 1. 1806., 2. *etc.* Ast ut *Aureus Numerus*, quolibet anno proposito inveniatur, composita est Tabula aureorum numerorum cujus usum incipimus ab anno 1801 inclusivè, duratque in perpetuum, ut videre est infrà ubi *de Cyclo Epactarum*. Si redieris ad principium Tabulæ quotiescumque eam integram percurreris, numerus in quem annus propositus cadet, dabit aureum numerum quæsitum. Igitur numerus aureus anni 1825, est 2.

De Cyclo Epactarum et Noviluniis.

EPacta nihil aliud est quàm numerus dierum quibus annus solaris communis dierum 365, annum lunarem communem 354, superat; hinc fit ut Epacta primi anni sit XI. cùm hoc numero annus solaris communis excedat annum lunarem communem, adeò ut sequenti anno Novilunia contingant 11. dieb. priùs quàm anno primo: ex hoc fit Epactam secundi anni esse XXII, cùm eo anno rursùm solaris annus superet annum lunarem 11. dieb. qui additi ad 11. dies pristini anni, efficiunt 22. Ast Epacta tertii anni erit solummodò III. quia si rursùm 11. dies ad 22 adjiciantur, efficietur quidem numerus 33, sed ab hoc

---

januar. et sic de cæteris. Patet Nonis januarii *respondere quintam januarii diem.*

A Nonis *inclusivè usque ad* Idus *inclusivè*, *novem numerantur dies*, *modo semper retrogrado*, *hinc patet: viij.°* antè *idus januarii*, *indicare sextam diem ejusdem mensis. Ast verò ab* idibus *dies computantur* antè *Calendas mensis sequentis*, *licet pertineant ad mensem currentem. hinc xix.°* antè *Calendas Februarii*, *indicat decimam quartam diem januarii*, *et sic deinceps*, *modo semper retrogrado. xviij.° indicat decimam quintam et sic de aliis.*

Quæ de januario diximus, *sint et de aliis mensibus dicta*, *ut patet ex nostro Calendario.*

numero rejici debent 30 dies qui unam lunationem embolismalem constituunt, et ideò Epacta tertii anni est III. Epacta verò quarti, erit XIV; quinti XXV; sexti VI. et sic deinceps. Ergò progrediuntur Epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quandò rejici possunt.

Ante Calendarii correctionem numerabantur novemdecim Epactæ, quot et Aurei numeri; sed cùm Novilunia post novemdecim annos solares, non præcisè ad eadem loca redibant, ideò à Calendarii reformatione, utimur triginta numeris Epactalibus ab 1. usque ad 30 progredientibus, undè rectiùs concordant aurei numeri et Epactæ. Ast verò semper adduntur 12 illi Epactæ XVIII. quæ respondet aureo numero 19 ut habeatur sequens Epacta respondens aureo numero 1. Hæc autem ultima Epacta, quæ ordine est trigesima, non numero notatur, sed sequenti signo* quia nulla Epacta XXX esse potest; et ita fit ut Epacta XI respondeat numero aureo 2, ut à principio, et sic sequentibus annis juxtà Tabulam infrà positam, quæ est Cycli aurei numeri, simul et Epactarum *ab ann.* 1801. *inclusivè*, *usque ad ann.* 1900.

Ann. 1801.

Aurei Numeri.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.	6.
Epactæ.	xv.	xxvj.	vij.	xviij.	*	xj.	xxij.	iij.	xiv.	xxv.

Aurei Numeri.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.
Epactæ.	vj.	xvij	xxviij.	ix.	xx.	j.	xij.	xxiij.	iv.

Ex hâc Tabulâ patet quod, cognito aureo numero anni currentis, cognoscitur etiam et Epacta currens; ex Epactis autem prodeunt *Novilunia*: Triginta enim Epactæ in primâ Calendarii nostri columnâ per singulos menses ita dispositæ sunt, ordine retrogrado, ut Epacta currens cujusque anni, ad quem diem mensis apposita est, in eodem designet illo anno *Novilunia* fieri; v. g. ann. 1825. *Novilunia* fient iis mensium diebus ad quos Epacta currens xj. est apposita, nempè 20 januarii, 18 februarii, 20. martii, etc. Atque hoc modo Epacta indicat Noviluniorum dies, non quidem accuratè et secundùm calculum astronomicum, sed secundùm politicum, atque ad populi morem accomodatum, quo Ecclesia utitur: cùm nullus Cyclus inveniri possit qui ad unguem calculo astronomico respondeat. Notate quod quamvis *vulgares Epactæ* mutentur in martio, reipsà tamen in principio anni mutandæ sunt unâ cum aureo numero in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt. Notate 2° quod si in sex Calendarii locis duæ Epactæ, nempè xxiv et xxv, assumantur in unum conturbernium, adhibeaturque caractere diverso Epacta 25, hoc fit propter intercalationes de quibus dicenda hìc prætermittimus.

De Indictione.

INdictio est revolutio 15 annorum, ab 1. usque ad 15, quâ revolutione peractâ, iterùm reditur ad unitatem, ut nova hujus Cycli revolutio percurratur, et sic deinceps. Usus *indictionis* frequens est in Diplomatibus S. Pontificum et scripturis publicis Imperatorum, in historiâ Ecclesiasticâ *etc.* Hinc perutilis *Indictionum* cognitio. Initium sumit quilibet annus hujus Cycli à januario in Bullis Pontificiis. Ut autem annus *Indictionis* quolibet anno proposito inveniatur, computandæ sunt omnes indictiones ab anno Domini 1.° usque ad annum quæsitum; porrò anno Domini 1° *Indictio* fuit 4; anno autem sequenti fuit 5 et sic deinceps per omnia Æræ Christianæ sæcula, computando usque ad annum propositum, redeundo semper ad unitatem, revolutione usque ad 15 è novo peractâ; hoc modo annus indictionis cadit in annum propositum; ast ut nostris temporibus indictione faciliùs utamur, tabulam exhibemus perpetuò in posterum duraturam, cujus initium sumitur ab anno 1801. Cui respondet indictio 4.

Ann. 1801. 1802.

Indict. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 1. 2. 3.

Ergò indictio anni 1825. est 13.

De Litterâ Dominicali.

IN secundâ Calendarii columnâ septem hebdomadæ dies, septem litteris *a b c d e f g* designantur, quarum una cuicunque mensium diei præfigitur illum esse Dominicum designat: quæ proximè sequitur, designat feriam secundam; quæ tertio loco, feriam tertiam, et sic de cæteris: *v. g.* si hoc anno *A* designet Dominicam, *b* designabit feriam secundam, *c* feriam tertiam, *etc.*

Eadem Littera Dominicalis diem Dominicam singulis annis ostenderet, si annus hebdomadibus integris adæquatè constaret; sed quoniam *annus communis*, ultrà quinquaginta duas hebdomadas completas, habet etiam diem unum, *annus verò bissextilis* dies duos; ideò quæ Littera in aliquo anno communi designavit diem Dominicum, eadem illum non designabit in anno communi sequenti, sed designabit feriam secundam; designabitur ergò illo sequenti anno Dominicus dies per Litteram immediatè præcedentem.

V. G. si hoc anno Littera *A* (quæ affigitur primo januarii diei) designaverit diem Dominicum, anno sequenti designabit feriam secundam; littera *b* designabit feriam tertiam; littera *c* feriam quartam *d* feriam quintam; *e* feriam sextam; *f* Sabbatum; littera verò *g* designabit diem Dominicam.

Quòd si annus immediatè sequens bissextilis fuerit, habebit

duas Litteras Dominicales, scilicèt *g f*, quarum prior designabit diem Dominicam usque ad diem 25 februarii; posterior verò à 25 febr. usque ad finem anni illius. Annus verò qui primo loco sequetur, habebit pro Litterâ Dominicali *e*, qui secundo loco *d*, qui tertio *c*, qui quarto *b A*, *etc.* ordine semper retrogrado. Vide * in sequenti Tabulâ.

Tabula Litterarum Dominicalium ab ann 1801. inclusivè, usque ad ann. 1900. exclusivè.

1801. 1802. 1803. 1804.	A.	c.	e.	* g.	b	d.	f.	1825. 1826. 1827. 1828.
	d. c. b.	f. e. d.	A. g. f.	c. b. A.	e. d. c.	g. f. e.	b. A. g.	
	g.	b.	d.	f.	A.	c.	e.	
1829. 1830. 1831. 1832.	Et sic deinceps, redeundo semper ad initium Tabulæ, postquàm ad ejus finem perventum est.							

De Festis Mobilibus.

FEsta mobilia ea dicuntur quæ nulli certæ mensis alicujus diei affixa sunt. Præcipuum est Pascha, quo invento, cætera facilè inveniuntur. Si enim ante diem Paschæ numerentur in Calendario sex Dominicæ, habebitur prima Dominica Quadragesimæ, et feria quarta proximè præcedens erit dies Cinerum; quam proximè præcedit Dominica Quinquagesimæ; hanc verò Dominica Sexagesimæ; istam denique Dominica Septuagesimæ.

Quòd si post Pascha numerentur quinque Dominicæ, quintam Dominicam statim sequentur Rogationes, et proximè sequens Feria quinta erit Ascensio Domini: Septima autem Dominica post Pascha erit Pentecostes, cui statim succedent Dominica Trinitatis, et Festum Corporis Christi, quod celebratur Feriâ quintâ post Dominicam Trinitatis.

Quando Pascha celebrari debeat.

Ex decreto Concilii Nicæni Pascha celebrari debet Dominicâ immediatè sequenti Pascha Judæorum, qui Pascha suum celebrant die decimâ quartâ primi mensis lunaris (nam eórum annus lunaris est.) Primus autem mensis apud Judæos ille est, cujus luna seu dies 14. vel cadit in diem æquinoctii verni, vel propiùs illum sequitur.

Porrò, Ecclesia semper refert æquinoctium vernum ad diem 21. Martii, licèt secundùm calculum Astronomicum quandoque antecedat illum diem, quandoque subsequatur. Novilunia verò, quorum luna xiv. cadit in æquinoctium vernum, vel propiùs illud sequitur, sunt numero 29, scilicèt à die octavâ Martii inclusivè, usque ad diem quintam Aprilis inclusivè.

Ut ergò Paschalis dies, quovis anno reperiatur, assumatur Epacta currens, observeturque ad quem diem sit apposita ab octavâ die Martii inclusivè usque ad quintam Aprilis etiam inclusivè; deindè ab illâ die numerentur deorsùm versùs dies 14. et dies Dominica proximè sequens hunc diem 14. erit dies Paschæ, cognosceturque per Litteram Dominicalem currentem.

V. G. anno 1825. cujus Epacta est xj. et Littera Dominic. b, sic reperitur Pascha: assume currentem Epactam; observa ad quam diem sit apposita ab octavâ die Martii inclusivè; videbis in Calendario hanc Epactam xj incidere in diem 20 Martii, deindè ab hac 20 die inclusivè numerabis quatuordecim dies et habebis diem 2 Aprilis; dies Dominica proximè sequens hanc diem erit Pascha; ergò anno 1825, Pascha erit tertiâ die Aprilis, quod patet ex Litterâ Domin. currente, quæ est b.

Anno 1829. cujus Epacta est xxv. et Littera Domin. d, hæc sunt advertenda: Primus dies mensis lunaris non potest incipere à die 6 Martii, licet ad illum apposita sit Epacta xxv, quia si ab illo die 6 inclusivè numerentur 14 dies, hic dies decimus quartus incidet in 19 Martii et proindè antè diem Æquinoxii verni; absolvenda igitur erit illa lunatio et expectanda nova quæ incipiet die 5° Aprilis ad quem diem apposita etiam est Epacta xxv. et à quinto illo Aprilis die numerandi sunt 14 dies, et Dominicâ immediate sequenti hunc diem decimum quartum, celebrabitur Pascha, scilicèt die 19 Aprilis, ut indicat littera d, quæ est Littera Dom. anni illius.

De usu Tabulæ perpetuæ ex quâ componuntur Tabulæ Temporariæ.

FAciliùs invenitur Pascha cum cæteris Festis Mobilibus in Tabulâ *Temporariâ* Festorum Mobilium, quæ est immediatè ante Calendarium. Sed quoniam Tabula illa continere non potest admodùm magnum annorum numerum, illam præcedit alia quæ *perpetua* est, et cujus usus talis est ut sequitur *pro annis communibus :* In cellulâ Litteræ Dominicalis currentis, quæratur Epacta currens, et statim è regione illius Epactæ omnia Festa Mobilia in aliis columnis è directo conspicientur. Anno 1825, v. g. cujus Littera Dominicalis est B, et Epacta currens xj. quæratur Epacta xj. in cellulâ Litteræ B. Dominicalis, et è regione videbitur in columnis è directo, quòd Septuagesima fit 30 januarii, dies Cinerum 16. februarii, Pascha 3. aprilis, etc. *In annis*

verò Bissextilibus quæri debet Epacta in cellulâ Litteræ Dominicalis posterioris: ità ut diei Septuagesimæ addatur una dies, et etiam diei Cinerum (sed non nisi quandò in februario contingit) propter diem mensi Februario superadditam. V G. anno Bissextili 1828, cujus Litteræ Dominicales sunt f. e. Epacta, verò xiv, quæratur Epacta illa xiv in cellulâ Litteræ Dominicalis posterioris quæ est e; addatur una dies Septuagesimæ, et una dies diei Cinerum, et videbitur quòd Septuagesima sit 3 februarii, dies Cinerum 20 februarii, Pascha 6 aprilis, Ascensio Domini 15 maii, *etc.*



FESTA DE PRÆCEPTO.

Ascensio D. N. Festum Omnium SS.
Assumptio B. M. V. Nativitas Domini.

Vigiliæ cum jejunio.

Vigil. Pentecost. *Vigil.* Festi Omnium SS.
Vigil. Assumpt. *Vigil.* Nativit. Domini.

DE HORA

Quâ potest incohari pro die sequenti Matutinum Officium à privatìm recitantibus.

Die	15	Decembris.	2
	20	Januarii.	2 1/2
	13	Februarii	2 1/4
	1	Martii.	2 3/4
	18	Martii.	3
	4	Aprilis.	3 1/4
	20	Aprilis.	3 1/2
	10	Maii.	3 3/4
	8	Junii.	4
	30	Julii.	3 3/4
	28	Augusti.	3 1/2
	7	Septembris.	3 1/4
	24	Septembris.	3
	13	Octobris.	2 3/4
	20	Octobris.	2 1/2
	18	Novembris.	2 1/4

TABULA PERPETUA.

Litt. Domin.	Cyclus Epactarum.	Septuagesima.	Dies Cinerum.	Pascha.
D	23.	18 Jan.	4 Feb.	22 Mar.
	22.21.20.19.18.17.16.	25 Jan.	11 Feb.	29 Mar.
	15.14.13.12.11.10.9.	1 Feb.	18 Feb.	5 Apr.
	8.7.6.5 4.3.3.	8 Feb.	25 Feb.	12 Apr.
	1.*.29.28.27.26.25.25.24.	15 Feb.	4 Mar.	19 Apr.
E	23.22.	19 Jan.	5 Feb.	23 Mar.
	21.20.19.18.17.16.15.	26 Jan.	12 Feb.	30 Mar.
	14.13.12.11.10.9.8.	2 Feb.	19 Feb.	6 Apr.
	7.6.5.4.3.2.1.	9 Feb.	26 Feb.	13 Apr.
	*.29.28.27.26.25.25.24.	16 Feb.	5 Mar.	20 Apr.
F	23.22.21.	20 Jan.	6 Feb.	24 Mar.
	20.19.18.17.16.15.14.	27 Jan.	13 Feb.	31 Mar.
	13.12.11.10.9.8.7.	3 Feb.	20 Feb.	7 Apr.
	6.5.4.3.2.1.*.	10 Feb.	27 Feb.	14 Apr.
	29.28.27.26.25.25.24.	17 Feb.	6 Mar.	21 Apr.
G	23.22.21.20.	21 Jan.	7 Feb.	25 Mar.
	19.18.17.16.15.14.13.	28 Jan.	14 Feb.	1 Apr.
	12.11.10.9.8.7.6.	4 Feb.	21 Feb.	8 Apr.
	5.4.3.2.1.*.29.	11 Feb.	28 Feb.	15 Apr.
	28.27.26.25.25.24.	18 Feb.	7 Mar.	22 Apr.
A	23.22.21.20.19.	22 Jan.	8 Feb.	26 Mar.
	18.17.16.15.14.13.12.	29 Jan.	15 Feb.	2 Apr.
	11.10.9.8.7.6.5.	5 Feb.	22 Feb.	9 Apr.
	4.3.2.1.*.29.28.	12 Feb.	1 Mar.	16 Apr.
	27.26.25.25.24.	19 Feb.	8 Mar.	23 Apr.
B	23.22.21.20.19.18.	23 Jan.	9 Feb.	27 Mar.
	17.16.15.14.13.12.11.	30 Jan.	16 Feb.	3 Apr.
	10.9.8.7.6.5.4.	6 Feb.	23 Feb.	10 Apr.
	3,2.1.*.29.28.27.	13 Feb.	2 Mar.	17 Apr.
	26.25..5.24.	20 Eeb.	9 Mar.	24 Apr.
C	23.22.21.20.19.18.17.	24 Jan.	10 Feb.	28 Mar.
	16.15.14.13.12.11.10.	31 Jan.	17 Feb.	4 Apr.
	9.8.7.6.5.4.3.	7 Feb.	24 Feb.	11 Apr.
	2.1.*.29.28.27..6.25.	14 Feb.	3 Mar.	18 Apr.
	25.24.	21 Feb.	10 Mar.	25 Apr.

FESTORUM MOBILIUM.

Ascensio Domini.	*Pentecostes.*	*Festum Corporis Christi.*	*Domin. inter P. et A.*	*Prima Dominica Adventus.*
30 Apr.	10 Mai.	21 Mai.	28	29 Nov.
7 Mai.	17 Mai.	28 Mai.	27	29 Nov.
14 Mai.	24 Mai.	4 Jun.	26	29 Nov.
21 Mai.	31 Mai.	11 Jun.	25	29 Nov.
28 Mai.	7 Jun.	18 Jun.	24	29 Nov.
1 Mai.	11 Mai.	22 Mai.	28	30 Nov.
8 Mai.	18 Mai.	29 Mai.	27	30 Nov.
15 Mai.	25 Mai.	5 Jun.	26	30 Nov.
22 Mai.	1 Jun.	12 Jun.	25	30 Nov.
29 Mai.	8 Jun.	19 Jun.	24	30 Nov.
2 Mai.	12 Mai.	23 Mai.	28	1 Dec.
9 Mai.	19 Mai.	30 Mai.	27	1 Dec.
16 Mai.	26 Mai.	6 Jun.	26	1 Dec.
23 Mai.	2 Jun.	13 Jun.	25	1 Dec.
30 Mai.	9 Jun.	20 Jun.	24	1 Dec.
3 Mai.	13 Mai.	24 Mai.	28	2 Dec.
10 Mai.	20 Mai.	31 Mai.	27	2 Dec.
17 Mai.	27 Mai.	7 Jun.	26	2 Dec.
24 Mai.	3 Jun.	14 Jun.	25	2 Dec.
31 Mai.	10 Jun.	21 Jun.	24	2 Dec.
4 Mai.	14 Mai.	25 Mai.	28	3 Dec.
11 Mai.	21 Mai.	1 Jun.	27	3 Dec.
18 Mai.	28 Mai.	8 Jun.	26	3 Dec.
25 Mai.	4 Jun.	15 Jun.	25	3 Dec.
1 Jun.	11 Jun.	22 Jun.	24	3 Dec.
5 Mai.	15 Mai.	26 Mai.	27	27 Nov.
12 Mai.	22 Mai.	2 Jun.	26	27 Nov.
19 Mai.	29 Mai.	9 Jun.	25	27 Nov.
26 Mai.	5 Jun.	16 Jun.	24	27 Nov.
2 Jun.	12 Jun.	23 Jun.	23	27 Nov.
6 Mai.	16 Mai.	27 Mai.	27	28 Nov.
13 Mai.	23 Mai.	3 Jun.	26	28 Nov.
20 Mai.	30 Mai.	10 Jun.	25	28 Nov.
27 Mai.	6 Jun.	17 Jun.	24	28 Nov.
3 Jun.	13 Jun.	24 Jun.	23	28 Nov.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domin.	*Littera Do.*	*Aure. Nu.*	*Epacta.*	*Do. pos Ep.*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum.*	*Pascha.*
1824	d c	1	*	5	15 Febr.	3 Mart.	18 April.
1825	b	2	xj	3	30 Jan.	16 Febr.	3 April.
1826	A	3	xxij	2	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.
1827	g	4	iij	5	11 Febr.	28 Febr.	15 April.
1828	fe	5	xiv	3	3 Febr.	20 Febr.	6 April.
1829	d	6	xxv	5	15 Febr.	4 Mart.	19 April.
1830	c	7	vj	4	7 Febr.	24 Febr.	11 April.
1831	b	8	xvij	3	30 Jan.	16 Febr.	3 April.
1832	A g	9	xxviij	6	19 Febr.	7 Mart.	22 April.
1833	f	10	ix	3	3 Febr.	20 Febr.	7 April.
1834	e	11	xx	2	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.
1835	d	12	j	5	15 Febr.	4 Mart.	19 April.
1836	c b	13	xij	3	31 Jan.	17 Febr.	3 April.
1837	A	14	xxiij	2	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.
1838	g	15	iv	5	11 Febr.	28 Febr.	15 April.
1839	f	16	xv	2	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1840	ed	17	xxvj	5	16 Febr.	4 Mart.	19 April.
1841	c	18	vij	4	7 Febr.	24 Febr.	11 April.
1842	b	19	xviij	2	23 Jan.	9 Febr.	27 Mart.
1843	A	1	*	5	12 Febr.	1 Mart.	16 April.
1844	gf	2	xj	4	4 Febr.	21 Febr.	7 April.
1845	e	3	xxij	1	19 Jan.	5 Febr.	23 Mart.
1846	d	4	iij	4	8 Febr.	25 Febr.	12 April.
1847	c	5	xiv	3	31 Jan.	17 Febr.	4 April.
1848	b A	6	xxv	6	20 Febr.	8 Mart.	23 April.
1849	g	7	vj	4	4 Febr.	21 Febr.	8 April.
1850	f	8	xvij	2	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1851	e	9	xxviij	5	16 Febr.	5 Mart.	20 April.
1852	d c	10	ix	4	8 Febr.	25 Febr.	11 April.
1853	b	11	xx	2	23 Jan.	9 Febr.	27 Mart.
1854	A	12	j	5	12 Febr.	1 Mart.	16 April.
1855	g	13	xij	4	4 Febr.	21 Febr.	8 April.
1856	f e	14	xxiij	1	20 Jan.	6 Febr.	23 Mart.
1857	d	15	iv	4	8 Febr.	25 Febr.	12 April.
1858	c	16	xv	3	31 Jan.	17 Febr.	4 April.
1859	b	17	xxvj	6	20 Febr.	9 Mart.	24 April.
1860	A g	18	xij	4	5 Febr.	22 Febr.	8 April.

FESTORUM MOBILIUM.

Ascensio Domini.	*Pentecostes.*	*Festum Corporis Christi.*	*Indictio.*	*Do. post Pen.*	*Dominic. prima Advent.*	*Litt. Martyro.*
27 Maii.	6 Junii.	27 Junii.	12	24	28 Nov.	P
12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	13	26	27 Nov.	l
4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	14	28	3 Dec.	C
24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	15	25	2 Dec.	c
15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	1	26	30 Nov.	p
28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	2	24	29 Nov.	F
20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	3	25	28 Nov.	f
12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	4	26	27 Nov.	s
31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	5	24	2 Dec.	M
16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	6	26	1 Dec.	i
8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	7	27	30 Nov.	A
28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	8	24	29 Nov.	a
12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	9	26	27 Nov.	m
4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	10	28	3 Dec.	D
24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	11	25	2 Dec.	d
9 Maii.	19 Maii.	20 Maii.	12	27	1 Dec.	q
28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	13	24	29 Nov.	G
20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	14	25	28 Nov.	g
5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	15	27	27 Nov.	t
25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	1	25	3 Dec.	P
16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	2	26	1 Dec.	l
1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	3	28	30 Nov.	C
21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	4	25	29 Nov.	c
13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	5	26	28 Nov.	p
1 Junii.	11 Junii.	22 Junii.	6	24	3 Dec.	F
17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	7	26	2 Dec.	f
9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	8	27	1 Dec.	s
29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	9	24	30 Nov.	M
20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	10	25	28 Nov.	i
5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	11	27	27 Nov.	A
25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	12	25	3 Dec.	a
17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	13	26	2 Dec.	m
1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	14	28	30 Nov.	D
21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	15	25	29 Nov.	d
13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	1	26	28 Nov.	q
2 Junii.	12 Junii.	23 Junii.	2	23	27 Nov.	G
17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	3	26	2 Dec.	g

Ut pateant in Calendario gradus et diversitas Festorum, MAJUSCULIS LITTERIS *designantur Festa de præcepto*; mediocribus *quæ sunt* 1. *vel* 2. *Class. italicis quæ sunt* 3. *Class. Cætera verò communibus.*

In Proprio Sanctorum appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit. An. significat Anno; c. an. circà annum; sæc. sæculo etc.

Cyclus Epact.	*Lit- Do.*	*Dies mensis.*		JANUARIUS.
				Si incidat Dominica in diem secundam, tertiam, aut quartam Januarii, tunc in hâc Domin. Officium fit de SS. NOMINE JESU; *secùs de eo fit Officium die* 2. *Januarii, dupl.* 2. *class.*
*	A	Calendis Januarii.	1	CIRCUMCISIO DOMINI et Octava Nativitatis, *dupl.* 2. *class. privileg. Commemor. occurrentes.*
xxix	b	iv° Non. jan.	2	Dies Octava S. Stephani, *semid. Comm.* Octav. S. Joan.
xxviij	c	iij° Non. jan.	3	Dies Octava S. Joannis, *semid.*
xxvij	d	Prid. nonas.	4	In Festo S. Eugendi Abb. Condat. in Comit. Burgund. *semid.* (è 1.)
xxvj	e	Non. jan.	5	Vigilia Epiphaniæ, *sine jejunio; privil.* 2. *generis.*
25 xxv	f	viij° id. jan.	6	EPIPHANIA DOMINI, *dupl.* 1. *class. cum Octavâ. Solemnitas Epiph. transfertur in Domin. seq. sed nihil mutatur in Breviar. recitat.*
xxiv	g	vij° id. jan.	7	De Octavâ Epiphaniæ.
xxiij	A	vj° id. jan.	8	De Octavâ.
xxij	b	v° id. jan.	9	De Octavâ.
xxj	c	iv° id. jan.	10	De Octavâ. *Comm.* S. Pauli primi Eremitæ Thebaid.
xx	d	iii° id. jan.	11	De Octavâ.
xix	e	Prid. id. jan.	12	De Octavâ.
xviij	f	Idibus jan.	13	Dies Octava Epiphaniæ et Baptismus Domini, *semid.*

xvij	g	xix° Cal. feb.	14	*Comm.* S. Felicis Nol. Presb. et Mart.
xvj	A	xviij° Cal. feb.	15	Joannis Calybitæ C. P. justi, *simplex.*
xv	b	xvij° Cal. feb.	16	Marcelli Papæ et Martyris, *simp.*
xiv	c	xvj° Cal. feb.	17	Antonii Abb. *duplex.* *Comm.* SS. trium Geminor. Mart. Lingonensium.
xiij	d	xv° Cal. feb.	18	*Pontificatus, seu Cathedra* S. Petri Apostoli, quà primùm Antiochiæ, deindè Romæ sedit, *dupl.* 3. *classis.* *Comm.* S. Priscæ V. et M. *Prima sedes septuagesimæ, die* 18.
xij	e	xiv° Cal. feb.	19	Hilarii Pictav. Episc. et Doct. *semid.* (è 13.)
xj	f	xiij° Cal. feb.	20	Sebastiani Mart. Rom. *semid.* *Comm.* S. Fabiani Papæ et Mart.
x	g	xij° Cal. feb.	21	Agnetis Virg. et Mart. *semid.*
ix	A	xj° Cal. feb.	22	*Vincentii* Diac. Cæsaraugustani, Mart. Valentiæ in Hisp. *dupl.* 3. *class.*
viij	b	x° Cal. feb.	23	Maimbodi Mart. *in Comit. Burg. semid.*
vij	c	ix° Cal. feb.	24	Deicoli Abb. Lutrensis *in Comit. Burg. semid.* (è 18.)
vj	d	viij° Cal. feb.	25	*Conversio S. Pauli Apost. Dupl.* 3. *class.*
v	e	vij° Cal. feb.	26	Polycarpi Smyrn. Episc. et Mart. *Semid.* (è 26. *Mart.*)
iv	f	vj° Cal. feb.	27	Joannis Chrysostomi C. P. Episc. et Doct. *semid.* (è 14. Sept.)
iij	g	v° Cal. feb.	28	
ij	A	iv° Cal. feb.	29	*Francisci Salesii* Genev. Episc. *dupl.* 3. *class.* (è 28 *Decemb.*)
j	b	iij° Cal. feb.	30	
*	c	Prid. Cal. feb.	31	Nicetii Episc. Bisunt. *dupl.* (è 8, *Febr.*)

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		FEBRUARIUS.
xxix	d	Cal. Febr.	1	Ignatii Antioch. Episc. et Mart. *simplex.* (è 20 Decemb.) *Comm.* S. Brigidæ Scoticæ Virg.
xxviij	e	iv	2	Præsentatio Domini et Purificatio B. M. V. *dupl. 2. class. ante Lect. ad Matut. sumuntur Bened. et absolut. communes.*
xxvij	f	iij	3	Anatolii Episc. *semid.* *Comm.* S. Blasii Episc. Sebast. *et* Mart.
25 xxvj	g	Prid.	4	*Prima sedes diei Cinerum, die* 4.
xxv	A	nonas	5	Agathæ Catanens. Virg. et Mart. *semid.*
xxiv				
xxiij	b	viij	6	
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	*Comm.* S. Apolloniæ Alexand. Virg. *et* Mart.
xix	f	iv	10	*Comm.* S. Scholasticæ Cassinensis Virg.
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj Cal. Mart.	14	*Comm.* S. Valentini Presbyt. *et* Mart.
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	*Ultima sedes Septuages. die* 21.
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili* (1).

(1) *In annis bissextilibus (ii autem sunt quibus in Tabul. tempor. Festorum mobilium, assignatur duplex littera Domin.) additur dies intercalaris, et bis dicitur* Sexto Calendas martii, *nempè die* 24 *et* 25. *undè anni illi bissextiles vocantur, et Festum S. Matthiæ quod in annis*

v	f	vj	24	*Matthiæ Apost. Dupl.* 3. *class.*
iv	g	v	25	*In anno Bissextili.*
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	
*	*	*	29	... *In anno Bissextili.*

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		MARTIUS.
*	d	Cal.	1	*Commem.* S. Albini Andegav. Episc.
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25 xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Nonis	7	
xxiij	d	viij	8	*Prima sedes Novilun. Paschæ, die* 8.
xxij	e	vij	9	
xxj	f	vj	10	*Ultima sedes diei Cinerum, die* 10.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	Josephi Sponsi B. M. V. *dupl.* 2. *class.*
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	*Æquinoctium vernum, die* 21.
ix	d	xj	22	*Primum Pascha, die* 22.
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	Incarnatio Domini annuntiata B. M. V. *duplex* 2 *class. Antè lect. ad matut. sumuntur Bened. et absol. comm.*

communib. celebratur die 24, *in anno bissextili die* 25 *celebratur; et Littera Dominic. quæ assumpta fuit in mense januario, mutatur in præcedentem: ut si in januario Littera Domin. fuit A, mutatur in præcedentem quæ est g, et Littera f bis servit, scilicet* 24 *et* 25. *In anno bissextili februarius est dierum* 29.

v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	*Feriâ vj. post dominicam Passionis fit officium de Beatâ Mariâ compatiente*, *duplex* 3. *class.*
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

APRILIS.

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		
xxix	g	Cal.	1	
xxviij	A	iv	2	*Commem.* S. Francisci de Paula Instit. Ord. Minimorum.
xxvij	b	iij	3	
25 xxvj	c	Prid.	4	
xxv	d	Nonis	5	*Ultima sedes Novilunii Paschæ, die* 5.
xxiv				
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	*Commem.* SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mart.
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Georgii Mart. in Orientali Eccl. *sim.* *Comm.* SS. Felicis et Soc. Mart. *Valentiæ in Galliâ.*
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	*Marci Evangelistæ, dupl.* 3 *class. Ultimum Pascha, die* 25.
iij	d	vj	26	
ij	e	v	27	

*	g	iij	29	*Commem.* S. Petri, Mart. Mediol.
xxix	A	Prid.	30	Sigismundi Regis Burgund. et Soc. Mart. *dupl.* (è 1 Maii.)
				Prima sedes Ascensionis Domini, die 30.

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		MAIUS.
				Officium et solemnitas Martyrii S. Joannis Apost. et Evangel. *antè Portam Latinam, patronale Eccl. Metrop. et totius Diœcesis, transferuntur in I. Dom. post diem vj. maii, nisi hæc dies vj, sit Domino.*
xxviij	b	Cal.	1	*Philippi et Jacobi* (Alphæi) Apost, *dupl.* 3 *class.*
xxvij	c	vj	2	Athanasii Alex. Episcopi et Doct. *semid.*
xxvj	d	v	3	INVENTIO S. CRUCIS *dupl.* 2 *class. In Eccles. metropol. duplex* 1 *class.*
25 xxv	e	iv	4	Valberti Abb. Luxov. (è 2.) *semid.*
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	MARTYRII S. JOAN. APOST. ET EV. antè Port. Lat. *duplex* 1 *class. habet Octavam.*
xxij	A	Nonis	7	
xxj	b	viij	8	Petri Tarentas. Episc. *semid.*
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianz. Episc. et Doct. *semid.*
xix	d	vj	10	*Prima Pentecoste, die* 10.
xviij	e	v	11	Gengulphi Varennis in Galliâ, *semid.*
xvij	f	iv	12	
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Gerlandi (Bisunt.) Episc. Agrig. in Sicil. *semid.* (è 26 Febr.)
xiv	b	Idib.	15	Isidori Agricol. Patr. Justi, *semid.*
xiij		xvij	16	Joannis Nepomuceni Presbyteri et Martyr. Prag. *semid.*
xij	d	xvj	17	Romani Abb. Condat. *in Comit. Burg.* (è 28 Feb.) *semid.*
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Yvonis Presb. in Britan. minori. *semid.*

ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	Lupicini Abb. Lauconn. *in Comit. Burg. semid.* (è 21 Mart.)
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	Urbani Pap. et Mart. *simpl.*
iij	f	vij	26	Prisci (Bisunt.) et Soc. Mart. in territor. Autissiod. *dupl.*
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	Maximini Episc. Trevir. *semid.*
xxix	c	iij	30	Translat. SS. Ferreoli et Ferrucii. Mart. *semid.*
xxviij	d	Prid.	31	

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		JUNIUS.
xxvij	e	Cal.	1	Pothini Lugdun. Episc. Blandin. Virg. et 45 Mart. *semid.*
25 xxvj	f	iv	2	Marcellini Presb. et Petri Exorcist. Mart. Rom. *simplex.*
xxv	g	iij	3	Clotildis Reginæ Franciæ *semid.*
xxiv				
				Ultima sedes Ascensionis, *die* 3.
xxiij	A	Prid.	4	Aldegrini Abb. Balm. *in Comit. Burg. semid.* (è 2 Julii.)
xxij	b	Nonis	5	
xxj	c	viij	6	Claudii Episc. Bisunt. *dupl.*
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	*Barnabæ*, *Gentium Apost. dupl.* 3 *class.*
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	*Ultima Pentecoste*, *die* 13.
xiij	d	xviij	14	Basilii Cæsar. Episc. in Cappad. et Doct. *semid.* (è 1. Jan.)
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	PASSIO SS. FERREOLI ET FERRUCII. Provinc. Sequan. Apost. *dupl.* 1 *class.* (*hab.* Oct.) *Officium et Solemnitas hujus Festi transfe-*

				runtur in prim. Domin. sequent. non impeditam post diem 16 junii.
x	g	xv	17	Antidii Episc. Bisunt. *et* Mart. *dupl.*
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	*Liberatæ Civit. ab irrupt.* hæret. *dupl.* 3 *class. et* 3. *lect.*
v	e	x	22	
iv	f	ix	23	Vigilia nat. S. Joan. Bapt. *sine jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOAN. BAPT. *dupl.* 2 *class.* (hab. Octav.)
ij	A	vij	25	
j	b	vj	26	S. Anthelmi, Bellicénsis Episc. *semid.*
*	c	v	27	
xxix	d	iv	28	Irenæi Lugdun. Episc. et Soc. Mart. *dupl.* *Officium et solemnitas Festi SS. Petri et Pauli transferuntur in I. Domin. non impedit. post diem xxix. junii, nisi hæc dies, sit Domin. Igitur Sabbato ante solemnitatem fit de Vigil. vel comm. vigiliæ (sine jejun.) secundùm occurrentiam.*
xxviij	e	iij	29	PASSIO SS. PETRI ET PAULI APOST. *dupl.* 2*class.* (hab. Octav.) *In hoc Festo, fit comm. omnium SS. Apost.*
xxvij	f	Prid.	30	

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		JULIUS.
				Dominicâ secundâ julii Officium fit de SACRATISSIMO CORDE D. N. J. C. *dup.* 2 *class. Commem. de Immacul. corde B. M. V.*
xxvj	g	Cal.	1	Dies Octava S. Joan. Bapt.
25 xxv	A	vj	2	*Visitatio B. M. V. dupl.* 3 *class.*
xxiv	b	v	3	
xxiij	c	iv	4	
xxij	d	iij	5	
xxj	e	Prid.	6	

xx	f	Nonis	7	S. Berthárii Sacerd. et Athaleni Diac. *semid*, (è 6.)
xix	g	viij	8	
xviij	A	vij	9	S. Benedicti Abb. Cassinens. *semid.* (è 21 Mart.)
xvij	b	vj	10	
xvj	c	v	11	Festum SS. Sindonis, *dupl.* 2 *classis.*
xv	d	iv	12	S. Viventioli Monach. Jurens. Episc. Lugd. *semid.*
xiv	e	iij	13	*Susceptio Brachii S. Steph.* Prot. *dupl.* 3 *lect.*
xiij	f	Prid.	14	Bonaventuræ Episc. Alban. et Doct. *semid.*
xij	g	Idib.	15	
xj	A	xvij	16	Eustasii Abb. Luxov. *semid.* *Dominicâ post xvj. diem julii fit Comm. B. M. V. de Monte Carmelo.*
x	b	xvj	17	Prothadii Episc. Bisunt. *dupl.*
ix	c	xv	18	S. Thomæ Aquin. Ord. Præd. Doct. *semid.* (è 7 Mart.)
viij	d	xiv	19	*S. Vincentii à Paulo*, Presb. Institut. Mission. *duplex* 3 *class.*
vij	e	xiij	20	Secunda Comm. S. Steph. *simpl.*
vj	f	xij	21	
v	g	xj	22	*Mariæ Magdal. dupl.* 3 *class.*
iv	A	x	23	Ursicini Abb. *semid.* (è 22.)
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	5	*Jacobi* (Zebedæi) Apost. *dupl.* 3 *class.*
j	d	vij	26	*Joachim et Annæ*, Parentum B. M. V. *dupl.* 3. *class.*
*	e	vj	27	Desiderati. Episc. Bisunt. *dupl.*
xxix	f	v	28	Imitherii Monachi Jurens. (è 31 Jul.) *semid.*
xxviij	g	iv	29	Marthæ hosp. Christi, *simpl.*
xxvij	A	iij	30	S. Ignatii à Lyola, Presb. Institut, Soc. Jesu. *semid.*
25 xxvj	b	Prid.	31	Germani Autissiod. Epis. *semid.*

Cyclus Epact.	Lit. Do.	Dies mensis.		AUGUSTUS.
xxv xxiv	e	Cal,	1	*Petri ad vincula. dupl.* 3 *class.* (è 20 April.) *Comm.* SS. sept. frat. Machab. et eor. Matris.
xxiii	d	iv	2	Stephani, Pap. et Mart. *simpl.* *Officium et Solemnitas Festi inventionis Corporis S. Stephani transferuntur in I. Dom. post diem* 3 *Augusti, nisi hæc dies sit Dominica.*
xxii	e	iii	3	INVENTIO CORP. S. STEPHANI, Prot. *dupl.* 1 *class. habet Octavam.*
xxi	f	Prid.	4	*Susceptio Reliqu. SS. Epiphan. et Isidori*, Mart. *dupl.* 3 *class.*
xx	g	Nonis	5	S. Dominici Presb. Institut. Ord. Prædicat. *semid.*
xix	A	viii	6	*Transfiguratio Domini, dupl.* 3 *class.*
xviii	b	vii	7	Donati Episc. Bis. *dupl. Comm.* S. Donati Episc. Aretii in Tusciâ et Mart.
xvii	c	vi	8	
xvi	d	v	9	Vigilia S. Laurentii, Mart. *Sine jejunio.* *Comm.* S. Romani, Mart. Romæ.
xv	e	iv	10	*Passio S. Laurentii*, Diac. M. Romæ, *dupl.* 3 *class.*
xiv	f	iii	11	*Susceptio S. Coronæ Spin. dupl.* 3 *class. et* 3 *lect.* (è 18.)
xiii	g	Prid.	12	Claræ, Virg. Clarissar. Abbatissæ. Assisii, *simpl.*
xii	A	Idib.	13	Hyppoliti Presb. et Soc. Mart. Romæ, *semid.*
xi	b	xix	14	Vigilia *cum jejunio.*
x	c	xviii	15	ASSUMPTIO B. M. V. *dupl.* 1 *class.* (hab. Oct.)
ix	d	xvii	16	Rochi Laïci apud Mont. Pessul. *semid. Comm. Oct.*
viii	e	xvi	17	Theoduli Pont. *simpl. Comm. Oct*, et S. Mammetis Mart. Cæsar. in Cappadoc.

vii	f	xv	18	*Agapiti* Mart. Prænest. *dupl.* 3 *class.* Comm. oct.
vi	g	xiv	19	De Octavâ.
v	A	xiii	20	Bernardi Abb. Claraval. et Doct. *semid. Comm. oct.*
iv	b	xii	21	De Octavâ.
iii	c	xi	22	Dies Octava Assumpt. *semid. Com.* SS. Symphoriani Augustod. et Timothei Mart. Rom.
ii	d	x	23	Ultima Com. S. Steph. Protom. *simpl.*
j	e	ix	24	*Bartholomæi*, Apost. *dupl.* 3 *class.*
*	f	viii	25	*Ludovici IX.* Regis Franc. *dupl.* 3 *classis.*
xxix	g	vii	26	Duorum Genesiorum Mart. unius Rom. alterius Arelat. *simpl.*
xxviii	A	vi	27	Agili Monach. Luxoviens. *semid.* (è 30.)
xxvii	b	v	28	Augustini Hippon. Episc. et Eccl. Doct. *dupl.*
xxvi	c	iv	29	Decollatio S. Joan. Bapt. *dupl.*
25 xxv	d	iii	30	*Commem.* SS. Felicis et Adaucti Mart. Rom.
xxiv	e	Prid.	31	

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		SEPTEMBER.
xxiii	f	Cal.	1	Lazari à Christo suscitati, *semid.* (è 17 Decemb.)
xxii	g	iv	2	Justi Episc. Lugd. *semid.* *Comm.* S. Antonini Presb. et Mart. Pamiæ.
xxi	A	iii	3	Gregorii Magni Papæ et Eccles. Doct. *dupl.* (è 12 Mart.) *Comm.* S. Mansueti Tull. Episc.
xx	b	Prid.	4	Marcelli Cabilon. Mart. *simpl.*
xix	c	Nonis	5	*Inventio corporum SS. Ferreoli et Ferrucii* Mart. *dupl.* 3 *class.*
xviii	d	viii	6	Taurini Episc. Ebroicensis, *semid.*
xvii	e	vii	7	
xvi	f	vi	8	NATIVITAS B. M. V. *dupl.* 2 *class.* (*hab. oct.*) *Domin. inf. Nativ. fit Offic. SS.* Nominis *Mariæ*, *dupl.* 3 *class.*

xv	g	v	9	De Octavâ, *Comm.* S. Gorgonii Mart. Nicomediæ.
xiv	A	iv	10	De Octavâ.
xiii	b	iii	11	De Octavâ.
xii	c	Prid.	12	De Octavâ.*
xi	d	Idib.	13	De Octavâ.
x	e	xviii	14	*Exaltatio S. Crucis* imperante Heraclio. *dupl.* 3 *class.* *Comm.* SS. Mart. Cornelii Pap. et Cypriani Carthag. Episc. et Doct.
ix	f	xvii	15	Dies Octava Nativitatis.
viii	g	xvi	16	Nicomedis Presb. et Mart. Romæ. *semid.* (è 15 Aug.)
vii	A	xv	17	
vi	b	xiv	18	
v	c	xiii	19	Januarii Benevent. Epis. et Mart. *simpl.*
iv	d	xii	20	Vigilia S. Matthæi. *sine jejunio.*
iii	e	xi	21	*Matthæi* Apost. et Evang. *dupl.* 3 *class.*
ii	f	x	22	Mauritii et Soc. Mart. Agauni in Galliâ, *semid.*
i	g	ix	23	
*	A	viii	24	Andochii et Soc. Mart. Augustod. *simpl.* (è 1 Maii.)
xxix	b	vii	25	Ermenfredi Abb. Cusantiacens. in comit. Burg. *semid.*
xxviii	c	vi	26	
xxvii	d	v	27	Cosmæ et Damiani Mart, Ægeæ, *semid.*
25 xxvi	e	iv	28	Simonis Comitis Vallensis, *semid.*
xxv xxiv	f	iii	29	*Michaelis* et omn. SS. Angel. *dupl.* 3. *class.*
xxiii	g	Prid.	30	Hieronymi Presbyteri et Eccles. Doct. *dupl.* *Comm.* SS. Victoris et Ursi Mart. Solodori in Galliâ.

Cyclus Epact.	Lit. Do.	Dies mensis.		OCTOBER.
				Dominicâ primâ hujus mensis fit Officium B. M. de Victoria aliter SS. Rosarii, *dupl.* 2 *classis.*
xxii	A	Cal.	1	Remigii Rhemensis Episc. *semid.* (è 13 Jan.)

xxi	b	vi	2	Angelorum Custodum, *dupl.* 2 *class. Comm.* S. Leodegarii Augustod. Episc. et Mart.
xx	c	v	3	Dionysii Areopag. primi Athen. Episc. et Mart. *simpl.*
xix	d	iv	4	Francisci Assisinatis in Umbriâ Instit. Ord. frat. Minor. *semid.*
xviii	e	iii	5	
xvii	f	Prid.	6	Brunonis Instit. Ord. Carthusian. *semid.* *Comm.* S. Fidei Virg. et Mart. Agenni in Gall.
xvi	g	Nonis	7	
xv	A	viii	8	
xiv	b	vii	9	Dionysii primi Parisiorum Episc. Rustici Presbyt. et Eleutherii Diac. Mart. *semid.*
xiii	c	vi	10	Geronis et Soc. Mart. Colon. Agripp. *simpl.*
xii	d	v	11	Germani Episc. Bisunt. et Mart. *dupl.*
xi	e	iv	12	B. Coletæ Virg. *semid.* (è 6 Mart.)
x	f	iii	13	
ix	g	Prid.	14	Callisti Pap. et Mart. *simpl.*
viii	A	Idib.	15	Theresiæ Virg. Abulens. Instaur. Ord. Carmel. *semid.*
vii	b	xvii	16	Galli Abbat. apud Arbonam in Germaniâ, *semid.*
vi	c	xvi	17	
v	d	xv	18	*Lucæ Evang. dupl.* 3 *class.*
iv	e	xiv	19	Aquilini Episc. Ebroïcens. *semid.* (è 31 Decemb.)
iii	f	xiii	20	
ii	g	xii	21	Ursulæ et Soc. ejus Virg. et Mart. Colon. Agripp. *simpl.*
i	A	xi	22	
*	b	x	23	Valerii Archidiac. Lingon. *semid.*
xxix	c	ix	24	Renoberti Episc. Bajocens. *semid.*
xxviii	d	viii	25	Crispini et Crispiniani frat. Mart. Suession. *simpl.*
xxvii	e	vii	26	
xxvi	f	vi	27	Vigilia *sine jejunio.*
25 xxv	g	v	28	*Simonis et Judæ* Apostol. *dupl.* 3 *class.*

xxiv	A	iv	29	Quintini Mart. apud August. Veromaud. *semid.*
xxiii	b	iii	30	SS. Eucharistiæ in flam. conserv. Favern. apud Sequanos, *dupl.* 3 *class. et* 3 *lect.*
xxii	c	Prid.	31	Vigilia *cum jejunio.*

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		NOVEMBER.
xxi	d	Cal.	1	FEST. OMN. SANCTORUM, *dupl.* 1. *class.* (*hab. oct.*)
xx	e	iv	2	Commem. omn. fidel. defunct. *dupl.*
xix	f	iii	3	De Octavâ. *Comm.* S. Huberti Tungrens. Episc.
xviii	g	Prid.	4	Caroli Borrom. Mediol. Episc. et Card. *semid.* Commem. Octavæ.
xvii	A	Nonis	5	Letheni Presb. et Monach. in comit. Burg. *semid.* Comm. Octav.
xvi	b	viii	6	De Octavâ.
xv	c	vii	7	De Octavâ.
xiv	d	vi	8	Dies octava omn. SS. *semid. Comm.* SS. Quat. Coron. Rom. *Domin. prima post Octav. Omnium SS. fit Festum* Dedicationis Ecclesiarum *in toto Galliæ Regno, dupl.* 1 *class.* (*habet octavam.*)
xiii	e	v	9	Theodori Martyr. Amaseæ in Ponto, *simpl.*
xii	f	iv	10	Leonis magn. Pap. et Doct. *semid.* (è 11 April.)
[illegible]	g	iii	11	*Martini* Turonens. Episc. *dupl.* 3 *class.*
x	A	Prid.	12	*Commem.* S. Martini Pap. et M.
ix	b	Idid.	13	
viii	c	xviii	14	
vii	d	xvii	15	
vi	e	xvi	16	
v	f	xv	17	
iv	g	xiv	18	Odonis Abb. Balm. deindè Abb. Cluniac. *semid.*
iii	A	xiii	19	

ii	b	xii	20	Hyppoliti Abb. Condat. Episc. Bellicens. *semid.*
i	c	xi	21	*Præsentatio B. M. V.*, *dupl.* 3 *class.*
*	d	x	22	Ceciliæ Virg. et Mart. Romæ, *simpl.*
xxix	e	ix	23	Clementis Pap. et Mart. *semid.*
xxviii	f	viii	24	Chrysogoni M. Aqu. *simpl.*
xxvii	g	vii	25	Catharinæ Virg. et M. Alexand. *semid.*
25 xxvi	A	vi	26	Lini Pap. et M. *semid.*
xxv xxiv	b	v	27	Colombani Abb. Luxov. *semid.* (è 21.) *Prima sedes Adventûs*, *die* 27.
xxiii	c	iv	28	
xxii	d	iii	29	Vigilia *sine jejunio*,
xxi	e	Prid.	30	*Andreæ* Ap. *dupl.* 3 *class.* *Domin. I. Advent. est ea quæ proximè sequitur diem* 26 *Novemb.*

Cyclus Epact.	*Lit. Do.*	*Dies mensis.*		DECEMBER.
xx	f	Cal.	1	Eligii Noviod. Episc. *simpl.* (è 30 Novemb.)
xix	g	iv	2	
xviii	A	iii	3	Francisci Xaverii Presb. Soc. Jesu, *dupl.* *Ultima sedes Adventûs*, *die* 3.
xvii	b	Prid.	4	Barbaræ Virg. et Mart. Nicom. *semid.*
xvi	c	Nonis	5	
xv	d	viii	6	Nicolai Myr. Episc. *semid.*
xiv	e	vii	7	Ambrosii Mediol. Ep. et Eccles. Doct. *dupl.* (è 4 April.)
xiii	f	vi	8	CONCEPTIO IMMACUL. B. M. V. *dupl.* 1 *class.* (Hab. Oct.) *Sub hoc titulo Maria electa est in patronam totius Diœcesis*, *ann.* 1643. *Solemnitas hujus Festi fit nunc in Choro*, *die Domin. II. Adventûs. Missæ privatæ dicunt. de Domin. cum Ornament. albis. Nihil mutatur in Offic. recitat.*
xii	g	v	9	De Octavâ.

xi	A	iv	10	Romarici Monach. Lux. *semid.* *Comm.* Octav.
x	b	iii	11	Adelaïdis Imperatr. *semid.* (è 16 Decemb.) *Comm.* Octav.
ix	c	Prid.	12	De Octavâ.
viii	d	Idib.	13	Luciæ Virg. et M. Syrac. in Sicil. *semid.* *Comm.* Oct.
vii	e	xix	14	Othiliæ Virg. in Alsatiâ, *semid.* (è 13.) *Comm.* Octavæ.
vi	f	xviii	15	Dies Oct. Concept. B. M. V. *semid.*
v	g	xvii	16	*Hodiè ad Vesp. inchoantur Ant. majores O.*
iv	A	xvi	17	
iii	b	xv	18	
ii	c	xiv	19	
i	d	xiii	20	
*	e	xii	21	*Thomæ Apost. dupl.* 3 *class.*
xxix	f	xi	22	
xxviii	g	x	23	
xxvii	A	ix	24	Vigilia *cum jejunio.*
xxvi	b	viii	25	NATIVITAS DOMINI, *dupl.* 1 *class.* (*hab. Oct.*)
25 xxv	c	vii	26	STEPHANI Protom. *dupl.* 1 *class.* (*hab. Oct.*) *Comm.* Oct. Nativ. *et* Omnium SS. Martyrum.
xxiv	d	vi	27	JOANNIS Ap. et Ev. *dupl.* 1 *class.* (hab. Oct.) *Commem.* Octavar.
xxiii	e	v	28	*Innocentium* Mart. *dupl.* 3 *class.* *Commem.* Octavar.
xxii	f	iv	29	Thomæ Cantuar. Ep. et Mart. *semid.* *Comm.* Octavar.
xxi	g	iii	30	De Oct. Nat. *comm. aliar. Octavar.*
* 19 xx	A	Prid.	31	Silvestri Papæ, *semid.* *Comm.* Octavarum.

* *Hæc Epacta* 19 *nunquam est in usu, nisi quandò in ead. anno concurrit cum aureo numero XIX.*



TABULA

DE OCCURRENTIA OFFICII,

In quâ cernitur quid faciendum sit quando duo Officia eodem die occurrunt.

Duplici primæ Classis occurrente

In	Duplici primæ Classis.	Offic. de digniori.(1) Translatio de minùs digno.
In	Duplici 2. Classis privilegiato. Dominicâ primæ Classis. Feriâ majore privilegiatâ. Vigiliâ privileg. 1. generis.	Translatio de primo. Officium de secundo.
In	Quocunque alio Duplici.	Officium de primo. Translatio de secundo.
In	Quacunque aliâ Dominicâ. Die intrà Octavam e quatuor privilegiatis. Feriâ majore non privilegiatâ. Vigiliâ privilegiatâ 2. generis.	Officium de primo. Comm. de secundo.
In	Vigiliâ non privilegiatâ. Semiduplici. Die octavâ non privilegiatâ, etiam semiduplici. Die intrà Octavam non privilegiatam. Festo simplici.	Officium de primo. Nihil de secundo.

Duplex secundæ Classis privilegiatum, in quocunque occurrat, vel cum quocunque concurrat, de eo fit Officium.

---

(1) Ordo dignitatis est ut Festa Domini præferantur omnibus aliis; Festa B. M. V. Festis Sanctorum. Deindè Festum SS. Omnium; Dedicatio; Festa Angelorum; Festum S. Joan. Bapt. Festa Apostolorum...

Duplici secundæ Classis non privilegiato occurrente

In	Duplici primæ Classis. Duplici 2. Classis privilegiato. Dominicâ 1. et 2. Classis. Feriâ majore privilegiatâ. Vigiliâ privilegiatâ 1. generis.	Translatio de primo. Officium de secundo.
In	Duplici secundæ Classis non privilegiato.	Officium de digniori. Translatio de minùs digno.
In	Quocunque alio Duplici.	Officium de primo. Translatio de secundo.
In	Dominicâ tertiæ Classis. Dominicâ per annum. Semiduplici. Feriâ majore non privilegiatâ. Quacunque Vigiliâ, etiam privilegiatâ, 2. generis. Quacunque die octavâ. Die intrà Octavam. Festo simplici.	Officium de primo. Comm. de secundo.

Duplici tertiæ Classis occurrente

In	Duplici 1. et 2. Classis. Dominicâ 1. 2. et 3. Classis. Feriâ majore privilegiatâ. Vigiliâ privilegiatâ 1. generis. Octavâ et die intrà Octavam Corporis Christi.	Translat. de primo. Officium de secundo.
In	Duplici tertiæ Classis.	Officium de digniori. Translatio de minùs digno.
In	Duplici per annum.	Officium de primo. Translatio de secundo.

Duplici tertiæ Classis occurrente.

In	Dominicâ per annum. Semiduplici. Die octavâ, etiam semidupli-ci, et die intrà Octav. [præt. Oct. Corp. Christi.] Feriâ majore non privilegia-tâ. Vigiliâ quacunque, nisi sit privilegiata primi generis. Festo simplici.	Officium de primo. Comm. de secundo.

Duplici per annum occurrente

In	Duplici 1. 2. et 3. Classis. Dominicâ quacunque. Feriâ majore privileg. Vigiliâ privilegiatâ 1. generis. Die intrà Oct. Corp. Christi.	Translatio de primo. Officium de secun-do.
In	Semiduplici. Die octavâ vel intrà Octav. [præt. Oct. Corp. Christi.] Feriâ majore non privileg. Vigil. nisi sit privileg. 1. gen. Festo simplici.	Officium de primo. Comm. de secundo.

Semiduplici occurrente

In	Duplici primæ Classis. Vigiliâ privileg. 1. generis.	Nihil de primo. Officium de secundo.
In	Quocunque alio Duplici. Quacunque Dominicâ. Feriâ majore privileg. Die intrà Oct. Corp. Christi. Die Octavâ semiduplici.	Comm. de primo. Officium de secundo.
In	Die octavâ non semiduplici. Die intrà Octavam quæ non sit Corporis Christi. Feriâ majore non privileg. Vigiliâ quæ non sit primi et se-cundi generis. Festo simplici.	Officium de primo. Commem. de secun-do.
In	Vigiliâ privilegiatâ secundi ge-	Comm. de primo.

Simplici occurrente

In	Duplici primæ Classis. Vigiliâ privilegiatâ 1. generis. Triduo antè Pascha.	Nihil de primo. Officium de secundo.
In	Quocunque alio Duplici. Quacunque Dominicâ. Feriâ majore. Quacunque Vigiliâ, nisi sit primi generis. Semiduplici. Die intrà Oct. et die octavâ.	Comm. de primo. Officium de secundo.

Vigiliâ occurrente

In	Feriâ majore.	Nihil de primo. Officium de secundo.

Die intrà Octavam non privilegiatam, et die octavâ non semiduplici, nec privilegiatâ occurrente

In	Duplici primæ Classis. Feriâ majore privilegiatâ. Vigiliâ 1. generis privilegiatâ.	Nihil de primo. Officium de secundo.
In	Quocunque alio Duplici, Quacunque Dominicâ. Semiduplici. Vigiliâ privilegiatâ 2. generis.	Comm. de primo. Officium de secundo.
In	Feriâ majore non privilegiatâ. Quacunque aliâ Vigil. quam primi et secundi generis.	Officium de primo. Comm. de secundo.
In	Festo simplici.	Officium de primo. Comm. de secundo.

Die octavâ occurrente

In	Die intrà aliam Octavam quàm Corporis Christi.	Officium de primo. Comm. de secundo.

Die intrà Octavam occurrente.

In	Die intrà Octavam æqualis Classis.	Officium de digniori. Commem. de minùs digno.
In	Die intrà Octavam inæqualis Classis.	Officium de Octavâ superioris Classis. Comm. de Octavâ inferioris.

TABULA DE CONCURRENTIA OFFICII,

In quâ cernitur quid faciendum sit in secundis Vesperis concurrentibus cum Officio diei sequentis.

Duplici primæ Classis concurrente

Cum	Dominicâ primæ Classis. Duplici primæ Classis, si sint æqualis dignitatis.	Vesperæ de sequenti. Commem. de præcedenti.
	Si sint inæqualis dignitatis.	Vesperæ de digniori. Commem. de minùs digno.
Cum	Quocunque alio Duplici. Quacunque aliâ Dominicâ. Die octavâ privilegiatâ.	Vesperæ de præced. Comm. de sequenti.
Cum	Semiduplici. Simplici. Die intrà Octavam non privilegiatam.	Vesperæ de præced. Nihil de sequenti.

Duplici secundæ Classis concurrente

Cum	Duplici primæ Classis. Dominicâ primæ et secundæ Classis.	Vesperæ de sequenti. Commem. de præcedenti.

Duplici secundæ Classis concurrente

Cum	Duplici secundæ Classis, si sint æqualis dignitatis.	Vesperæ de sequenti. Commem. de præcedenti.
	Si sint inæqualis dignitatis.	Vesperæ de digniori. Commem. de minùs digno.
Cum	Quocunque alio Duplici. Quacunque aliâ Dominic. Semiduplici. Die octavâ. Simplici.	Vesperæ de præcedenti. Comm. de sequenti.

Duplici secundæ Classis privilegiato concurrente

Cum	Duplici primæ Classis.	Vesperæ de præcedenti. Comm. de sequenti.

Duplici tertiæ Classis concurrente

Cum	Duplici primæ et secundæ Classis. Dominicâ primæ, secundæ et tertiæ Classis.	Vesperæ de sequenti. Comm. de præced.
Cum	Duplici tertiæ Classis æqualis dignitatis.	Vesperæ de sequenti. Com. de præcedenti.
	Inæqualis dignitatis.	Vesperæ de digniori. Commem. de minùs digno.
Cum	Quacunque aliâ Dominic. Duplici per annum. Semiduplici. Die octavâ. Simplici.	Vesperæ de præcedenti. Comm. de sequenti.

Duplici per annum concurrente

Cum	Duplici primæ Classis.	Vesperæ de sequenti: Nihil de præced.
Cum	Duplici secundæ et tertiæ Classis. Quacunque Dominicâ.	Vesperæ de sequenti. Commem. de præcedenti.

Duplici per annum concurrente.

Cum	Duplici per annum. Si neutrum, vel si utrumque feriatur.	Vesperæ de sequenti. Commem. de præcedenti.
	Si non sint æqualis solemnitatis.	Vesperæ de solemniori. Commem. de minùs solemni.
Cum	Semiduplici. Die octavâ. Simplici.	Vesperæ de præcedenti. Comm. de sequenti.

Semiduplici concurrente

Cum	Duplici primæ Classis.	Vesperæ de sequenti. Nihil de præcedenti.
Cum	Quocunque alio Duplici. Quacunque Dominicâ. Die octavâ semiduplici. Alio Festo semiduplici, nisi aliter notetur.	Vesperæ de sequenti. Commem. de præcedenti.
Cum	Die octavâ non semiduplici. Simplici.	Vesperæ de præced. Commemoratio de sequenti.

Die octavâ semiduplici concurrente

Cum	Duplici primæ Classis.	Vesperæ de sequenti. Nihil de præcedenti, nisi sit Octava privilegiata; de eâ enim fit Commemoratio.
Cum	Quocunque alio Dupliei. Dominicâ quacunque.	Vesperæ de sequenti. Comm. de præcedent.
Cum	Aliâ die octavâ semiduplici.	Vesperæ de digniori. Com. de minùs digno.
Cum	Semiduplici. Simplici.	Vesperæ de præced. Commemoratio de sequenti.

Die octavâ non semiduplici concurrente

Cum	Aliâ Octavâ semiduplici. Semiduplici.	Vesperæ de sequenti. Commem. de præcedenti.

Die octavâ non semiduplici concurrente.

Cum	Aliâ die octavâ non semid.	Vesperæ de digniori Commem. de minùs digno.

Cætera ut suprà ubi de concurrentiâ diei octavæ semiduplicis.

Die intrà Octavam concurrente

Cum	Semiduplici.	Vesperæ de sequenti. Commem. de præcedenti.

Cætera ut suprà.

Dominicâ quacunque concurrente

Cum	Quocunque Duplici, nisi Dupl. sit Clas. superioris. Semiduplici. Die octavâ, etiam semid. Simplici.	Vesperæ de præcedenti. Comm. de sequenti.

Quidquid ab his regulis differt, suo loco notatur.

De ordinando Officio ex prædictis Rubricis.

1. SEmper prævidendum est antè Vesperas de quo fieri debeat Officium in die sequenti. Quocircà videndum est in Calendario et in Tabulâ Festorum mobilium, et etiam in tabulis occurrentiæ vel concurrentiæ (si sit aliqua occurrentia vel concurrentia) an faciendum sit Officium de Dominicâ, an de Feriâ, an de Vigiliâ, an de Duplici, etc. et utrùm et de quo Commemoratio facienda sit.

2. Si faciendum sit Officium de Dominicâ, vel de Feriâ, recurrendum est ad Proprium de tempore, deindè ad Psalterium, in quo sumuntur quæ desunt in Proprio de tempore. Si verò de Vigiliâ, recurrendum est ad Proprium de tempore, vel de Sanctis, in quo hæc Vigilia continetur.

3. Cùm fit Officium de Festis, recurretur ad Proprium Sanctorum; quæ verò desunt in Proprio, sumuntur in Communi Sanctorum.

4. Officium Dedicationis reperietur post Octavam Festi Omnium Sanctorum.

5. Officium Beatæ Mariæ Virginis in Sabbato reperietur post expletum Commune SS.

6. In locis ubi Festum S. Michaëlis est Patronale, quæ in hoc Officio desunt, sumuntur de Festo SS. Angel. Custod. (2 Octob.) et intra Octav. ad parvas Horas sumuntur Capitula et ℟℟. brev. de Psalterio, ut in Dominicâ.

7. Officium et Solemnitas PATRONORUM transferuntur in I. Domin. non impeditam post diem in quam occurrunt, nisi hæc dies sit Dominica. Non anticipantur, etiamsi in Feriam secundam inciderint.

8. Solemnitas FESTI CORPORIS CHRISTI nunc transfertur in Dominic. seq. sed nihil mutatur in Breviarii recitatione.

Annotatio pro Tempore Paschali.

1. Apostolorum Festa, si quæ celebrantur per tempus paschale sub ritu 1. class. habebunt pro 3. Lect. ad Matut. Evangelium et Homiliam ut in festo S. Matthiæ, *fol.* 478. *parte Vernd.*

2. In locis ubi Festum Patronale est *unius Martyris* cujus Officium et solemnitas occurrere possunt in Domin. II. aut in Domin. V. post Pascha, tunc ad Matut. in hâc occurrentiâ, omittuntur Psalmi secundi Noct. Dominicæ, qui dicendi essent, et eorum loco sumuntur Psalmi tres de 1. Noct. ut in Communi unius Martyris, ad evitandam repetitionem Psalmor. qui ad Laudes sunt recitandi.



GRADUS ET DIVERSITAS FESTORUM.

DUPLICIA I. CLASSIS.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha et sex sequentes dies.
Ascensio Domini.
Pentecostes et sex seq. dies.
Festum Corporis Christi.
Assumptio B. M. V.
Conceptio B. M. V.
Festum Omnium SS.
Dedicatio Omn. Ecclesiar.
Patronus loci.
Festum S. Joann. Apost. antè portam Latinam.
Passio SS. Ferreoli et Ferr.
Inventio Corporis S. Steph.
Festum S. Steph. protomart.
Festum S. Joan. Evangel.

DUPLICIA II. CLASSIS

PRIVILEGIATA.

Circumcisio Domini.
Festum SS. Trinitatis.

DUPLICIA II. CLASSIS

NON PRIVILEGIATA.

Festum SS. Nominis Jesu.
Festum SS. Cordis Jesu.
Inventio S. Crucis.
Festum SS. Sindonis.
Præsentatio Dom. et Purificatio } B.M.V.
Incarnatio Domini Annuntiata } B.M.V.
Nativitas } B.M.V.
Festum SS. Rosarii } B.M.V.
Festum SS. Angel. Custod.
Festum S. Josephi.
Nativitas S. Joan. Baptistæ.
Passio SS. Petri et Pauli Apostolorum.

DUPLICIA III. CLASSIS

SEU MAJORA.

Transfiguratio Domini.
Exaltatio S. Crucis.
Festum Coronæ Spineæ.
Festum Euchar. in flam. conservatæ.
Præsentatio B. M. V.
Visitatio B. M. V.
De Mariâ compatiente.
Festum SS. Nomin. Mariæ.
Festum SS. Joachim et Annæ parent. B. M. V.
Festum S. Michaëlis et Omnium SS. Angel.
Festa omnium SS. Apost. et Evangel. quæ non sunt notata suprà.
Pontificatus seu Cathedra S. Petri Apost.
Festum S. Petri ad vincula.
Conversio S. Pauli.
Inventio Corporum SS. Ferreoli et Ferruc. Mart.
Festum liberatæ Civitatis ab irruptione Hæretic.
Susceptio Brachii S. Steph.
Susceptio reliquiarum SS. Epiph. et Isid. mart.
Festum S. Vincentii.
Festum S. Francisci Salesii.
Festum S. Vincentii à Paulo.
Festum S. Mariæ Magdal.
Festum S. Laurentii.

Festum S. Agapiti.
Festum S. Ludovici.
Festum S. Martini Episc.
Festum SS. Innocentium.

Cætera Festa sunt vel Duplicia per annum seu minora : semid. simpl. aut Commemorationes.

OCTAVÆ

PRIVILEGIATÆ.

Octava. { Nativitatis Domini. Epiphaniæ Domini. Ascensionis Domini. Corporis Christi. }

Dies octava Duplicium primæ class. est semiduplex.

GRADUS ET DIVERSITAS OFFICIORUM DE TEMPORE.

DOMINICÆ I. CLASSIS.

Dominicæ { Prima Adventûs. Septuagesimæ. Prima Quadragesimæ. Passionis. Palmarum. Paschæ. In albis. Pentecostes. }

DOMINICÆ II. CLASSIS.

Dominicæ { Secunda Tertia Quarta } Adventûs.

Dominica Sexagesimæ.
Dominica Quinquagesimæ.

Dominicæ { Secunda Tertia Quarta } Quadrages.

DOMINICÆ III CLASS.

Dominicæ { Secunda Tertia Quarta Quinta } post Pasch.

Dominica intrà Octavam Ascensionis.

DOMINICÆ

PER ANNUM.

Dominicæ. { Post Epiphaniam usque ad Septuages. Post Pentecosten usque ad Adventum. }

FERIÆ MAJORES

PRIVILEGIATÆ.

Feria quarta Cinerum.
Feria secunda, tertia et quarta majoris hebdomadæ.

FERIÆ MAJORES

NON PRIVILEGIATÆ.

Feriæ Adventûs.
Feriæ Quadragesimæ usque ad majorem Hebdomadam exclusivè.
Feriæ Quatuor Temporum.
Feriæ Rogationum.

VIGILIÆ PRIVILEG.

PRIMI GENERIS.

Vigilia Nativitatis Domini.
Vigilia Pentecostes.

VIGILIÆ PRIVILEG.

SECUNDI GENERIS.

Vigilia Epiphaniæ.
Vigilia Ascensionis.

ABSOLUTIONES
ET BENEDICTIONES

Dicendæ ante Lectiones ad Matutinum.

IN I. NOCTURNO.

Officii novem Lectionum, et pro die Dominicâ, Feriâ secundâ et quintâ in Officio trium Lectionum.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini;

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Jube, Dómine, benedícere.

Benedictiones.

1. Pax cum fide véniat nobis à Deo Patre. *Ephes.* 6. ℟. Amen.

2. Dóminus noster Jesus Christus det nobis spem bonam in grátiâ. 2. *Thess.* 15. ℟. Amen.

3. Cháritas diffundátur in córdibus nostris per Spíritum sanctum. *Rom.* 5. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Officii novem Lectionum, et Feriâ tertiâ et sextâ in Officio trium Lectionum.

℣. Sit nomen Dómini benedictum;

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Jube, Dómine, etc.

Benedictiones.

4. Benedícat nos Pater in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

5. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5. ℟. Amen.

6. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO

Officii novem Lectionum, et pro Feriá quartâ et Sabbato in Officio trium Lectionum.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Jube, Dómine, etc.

Benedictiones.

7. Deus Pater glóriæ det nobis Spíritum sapiéntiæ. *Eph.* 1. ℟. Amen.

8. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus nobis. 1. *Cor.* 16. ℟. Amen.

9. Repleámur omnes gáudio et Spíritu sancto. *Act.* 13. ℟. Amen.

Quando legendum est Evangelium cum Homiliâ, præmittitur sequens Absolutio.

Oremus.

DEus noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus. ℟. Amen. 3. *Reg.* 8.

Benedictiones ad Evangelium die Dominicâ, Feriâ secundâ et quintâ.

℣. Jube, Dómine, benedícere.

Audiámus verbum veritátis, Evangélium salútis nostræ. *Eph.* 1. ℟. Amen.

Feriâ tertiâ et sextâ.

Rectè ambulémus ad veritátem Evangélii. *Gal.* 2. ℟. Amen.

Feriâ quartâ et Sabbato.

Véritas Evangélii apud nos permáneat. *Galat* 2. ℟. Amen.

Quando legendum est Evangelium in Laudibus pro Commemoratione.

℣. Jube, Dómine, benedícere.

Dignè Evangélio Christi conversémur. *Philipp.* 1. ℟. Amen.

Benedictio ad Martyrologium.

Exémplum accipiámus labóris et patiéntiæ. *Jacob.* 5. ℟. Amen.

Benedictio ad Canonem.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam dóceat nos Dóminus. *Ps.* 118. ℟. Amen.

ABSOLUTIO
ET
BENEDICTIONES.

In Festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis.

IN I. NOCTURNO.

Officii novem Lectionum, et pro die Dominicâ, Feriâ secundâ et quintâ in Officio trium Lectionum.

℣. Adjutórium nostrum, etc.

Absolutio sine Orémus.

Précibus et méritis gloriósæ Vírginis Maríæ, salvet et confórtet nos Pater, pius et miséricors Dóminus.
℟. Amen.
℣. Jube, Dómine, etc.

Benedictiones.

1. Laudémus Dóminum, qui in ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam. *Judith.* 13.

respéxit humilitátem ancillæ suæ. *Luc.* 1.
℟. Amen.
3. Invocet Dóminum, et loquátur Regi pro nobis. *Esth.* 15. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Officii novem Lectionum, pro Feriâ tertiâ et sextâ Officii trium Lectionum.

℣. Sit nomen Dómini, etc.

Benedictiones.

4. Non recédat laus Maríæ de ore nostro. *Judith.* 13.
℟. Amen.
5. María sit glória et lætítia nostra. *Judith.* 15.
℟. Amen.

præ ómniuus muliéribus. *Judith.* 13.

℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Officii novem Lectionum, et pro Feriâ quartâ et Sabbato in Officio trium Lectionum.

℣. Osténde nobis, etc.

Benedictiones.

7. Qui præparávit Maríam Fílio suo, aptet nos in omni bono. *Gen.* 24. *Hebr.* 13.

℟. Amen.

8. Quæ contrívit caput serpéntis, defendat nos ab ejus insídiis. *Genes.* 3.

℟. Amen.

9. Ora pro nobis, María, quóniam múlier es sancta. *Judith.* 8.



Hæc meditare, in his esto.

ANte oratiónem, præpara ánimam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. *Eccli.* 18.

Non clamans, sed amans cantat in aure Dei: audit enim ille vocem cordis, sine quâ sonum oris contémnit. Quarè vidéndum est, ut qui Spíritu psallant: et mente psallant. *Conc. Trevir. ann.* 1549. *can.* 6.

Vide ergò, ut quod ore cantas, corde credas; et quod corde credis, opéribus cómprobes. *Conc. Carth.* IX, *ann.* 398. *can.* 10.

In psalmis lex docet, história instruit, Prophétia patet; morálitas suadet, mirífica suávitas afféctus omnes in Deum transfert, fidem robórat, spem érigit, charitátem inflámmat. Si pœniténtiâ sit opus, si tentátio apprehéndat, lege psalmos. Si Deum laudáre, grátias ágere, bona precári velis, doctrínam et exémplar in psalmis habes. In his benedíctio pópuli est, in his vox Ecclesiæ, ornaméntum júvenum, consolátio senum, scutum in timóre, arma quæ dæmónes fugant, lectiónes quæ rectam docent ad Cœlum viam..... *Excerpta ex SS. Patrib.*

ORATIO ANTE OFFICIUM.

APeri, Dómine, os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis, et aliénis cogitatiónibus; intelléctum illúmina, afféctum inflámma, ut digne, atténte ac devóte hoc Of-ficium recitáre váleam; et exaudíri mérear antè conspéctum divínæ Majestátis tuæ. Per Christum Dóminum, etc.

Dómine, in unióne il-



PSALTERIUM
DISPOSITUM
PER HEBDOMADAM.

DOMINICA.

FINIS OFFICII.

Dei et divinæ Legis amor.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium nocturnum dicitur secretò:

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, sicut in cœlo et in terrâ: panem nostrum quotidiánum da nobis hódiè: et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris: et ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos à malo.

Amen.

AVe, María, grátiâ plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, et in horâ mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, creatórem cœli et terræ: et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum; qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex Maríâ Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus: descéndit ad ínferos: tértiâ die resurréxit à mórtuis: ascéndit ad cœlos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: indè ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, Sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, re- meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

℣. Deus, † in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto; ℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

(*A Septuagesimâ usque ad Pascha, loco* Allelúia, *dicitur:* Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.)

Invitatorium. Dóminum Deum ex toto corde diligéndum, * Venite, adorémus. *Matt.* 22.

PSALMUS 94.

Hortatur ut Christum Deum et Regem colamus, et ad eum toto corde convertamur.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo salutári nostro: præoccu-

Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit. * Venite, adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Dóminum Deum ex toto corde diligéndum, * Venite, adorémus.

Hódiè si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secúndùm diem tentatiónis in desérto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea. * Veníte, adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi, Semper hi errant corde; ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in irâ meâ, Si introíbunt in réquiem meam.

Dóminum Deum ex toto corde diligéndum, * Veníte, adorémus.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto; Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. * Veníte, adorémus.

Dóminum Deum ex toto corde diligéndum, * Veníte, adorémus.

HYMNUS.

Adíte templa súpplices:
Hùc festa vos dies vocat,
Quam tot Deus miráculis
Mundo veréndam réddidit.

Hâc luce, Numen è sinu
Orbem voléndo prótulit;
Hinc nata primùm témpora
Cursu perénni prófluunt.

Hâc luce, victor ínferi
Surréxit ad vitam Deus;
Hinc firma stat Christi fides;
Hinc certa vitæ spes manet.

Hæc ipsa lux, lapsum polo
Te vidit, alme Spíritus,
Cadénte flammâ, grátiæ

Mundo feréntem múnera.
O sempitérna Trínitas!
Hanc víndicas diem tibi :
Hæc tota sit semper pio
Cultu sacráta Núminis.
Hanc nulla labes ínquinet ;
Sit pura mens, puræ manus ;
Lucísque sacræ síngula
Moménta fervor ímpleat.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 1.

Beatitudo justorum ; malorum calamitas.

BEátus vir qui non ábiit in concílio impiórum, et in viâ peccatórum non stetit, * et in cáthedrâ pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte :

Et erit tanquam lignum quod plantátum est secùs decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo ;

Et fólium ejus non défluet ; * et ómnia quæcúnque fáciet prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic ; * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum ;

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * et iter impiórum períbit.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto :

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Ant. Beátus vir qui non ábiit in concílio impiórum, et in viâ peccatórum non stetit.

Psalmus 2.

Christi resurrectio, et imperium.

QUarè fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsùs Dóminum, et advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula

eórum, * et projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos; * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in irâ suâ, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódiè génui te:

Póstula à me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam; * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virgâ férreâ, * et tanquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite; * erudímini, qui judicátis terram:

Servíte Dómino in timóre, * et exultáte ei cum tremóre:

Apprehéndite disciplínam, nequándò irascátur Dóminus, * et pereátis de viâ justâ.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Glória Patri, etc.

Ant. Apprehéndite disciplínam, nequándò irascátur Dóminus, et pereátis de viâ justâ.

PSALMUS 3.

Salus in se sperantium Dominus.

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum; * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus;

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causâ; * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus; * et super pópulum tuum benedíctio tua. Glória, etc.

Ant. Dómini est salus, et super pópulum tuum benedíctio tua.

℣. Grátia cum ómnibus,

℟. Qui díligunt Dóminum. *Eph.* 6.

Post ℣. *cujusque Noct. dicitur secretò*, Pater noster : *sed altâ voce dicitur* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. *Deindè* ℣. *Benedictionum, et Benedictiones ad Lectiones, ut habentur ante Psalterium.*

Lectiones cum Responsoriis ut in Proprio.

IN II. NOCTURNO.

PSALMUS 17.

Gratiarum actio, pro victoriâ de Christi et Ecclesiæ inimicis habitâ.

DIligam te, Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus, adjútor meus; * et sperábo in eum.

Protéctor meus, et cornu salútis meæ, * et suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me : * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne meâ invocávi Dóminum, * et ad Deum meum clamávi:

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam; * et clamor meus in conspéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est et contrémuit terra: * fundaménta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt, quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in irâ ejus, et ignis à fácie ejus exársit : * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, et descéndit :* et calígo sub pédibus ejus :

Et ascéndit super Chérubim, et volávit, * volávit super pennas ventórum ;

Et pósuit ténebras latíbulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus :* tenebrósa aqua in núbibus äëris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam: * grando, et carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, et dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos:

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundaménta orbis terrárum,

Ab increpatióne tuâ, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Glória Patri, etc.

Ant. Dilígam te, Dómine, fortitúdo mea.

Divisio Psalmi 17.

MIsit de summo (Dóminus), et accépit me; * et assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * et factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam, * et secúndùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo, * et justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo: * et observábo me ab iniquitáte meâ:

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam, * et secúndùm puritátem mânuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocénte ínnocens eris:

Et cum elécto eléctus eris, * et cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, * Dómine Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Glória Patri, etc.

Ant. Ero immaculátus cum eo, et observábo me ab iniquitáte meâ.

Altera divisio Psalmi 17.

DEus meus, impollúta via ejus, elóquia Dómini igne examináta : * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum ? * aut quis Deus præter Deum nostrum ?

Deus qui præcínxit me virtúte, * et pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum; * et super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prælium : * et posuísti ut arcum æreum bráchia mea.

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, * et déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua corréxit me in finem : * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtùs me : * et non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos; * et non convértar, donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare; * cadent subtùs pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum, * et supplantásti insurgéntes in me subtùs me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * et odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret; * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et comminuam eos, ut púlverem ante fáciem venti; * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli; * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi : * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, * fílii aliéni inveteráti sunt, et claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, *

et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, et subdis pópulos sub me: * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me, * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine, * et nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis ejus, et fáciens misericórdiam Christo suo David, * et sémini ejus usque in sæculum.

Glória Patri, etc.

Ant. Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, et exaltétur Deus salútis meæ.

℣. Pax multa diligéntibus legem tuam (Dómine);

℟. Et non est illis scándalum. *Ps.* 118.

Pater noster *secretò ut suprà.*

℣. *Et Benedict. ut habentur ante Psalterium.*

Lectiones et ℟. ℟. *ut in Proprio de tempore.*

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 27.

Justus sub tutelâ Dei; ideò cum impiis non peribit.

Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas à me; * nequándò táceas à me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dùm oro ad te; * dùm extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus; * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me,

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndùm ópera eórum, * et secúndùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tribue illis, * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus, *

déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus; * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea; * et ex voluntáte meâ confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ; * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hæreditáti tuæ; * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Glória Patri, etc.

Ant. Dóminus fortitúdo plebis suæ.

PSALMUS 29.

Post suos in Passione labores, et suam in Resurrectione victoriam, gratias agit Christus.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me; * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, Sancti ejus, * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * et ad matutínum lætitia.

Ego autem dixi in abundántiâ meâ: * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tuâ * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me; * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utilitas in sánguine meo, * dùm descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis? * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est meî: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi; * conscidísti saccum me-

um, et circumdedísti me lætitiâ.

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Glória Patri, etc.

Ant. Psállite Dómino, Sancti ejus, et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

PSALMUS 65.

Ex mirabilibus operibus et beneficiis laudandus Dominus.

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi, * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso,

Qui dominátur in virtúte suâ in ætérnum. Oculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant, non exalténtur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum, * et audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus; * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro; * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam, * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis; * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea,

Et locútum est os meum * in tribulatióne meâ.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum; * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub linguâ meâ.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptéreà exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam à me.

Glória Patri, etc.

Ant. Veníte, audíte, et narrábo quanta fecit Deus ánimæ meæ.

℣. Qui dilígitis Dóminum, odíte malum:

℟. Custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórum. *Ps.* 96.

Pater noster *secretò.*

℣. *Benedictiones et Absolutio ut ante Psalterium. Lectiones et Responsoria ut in Proprio.*

Post ultimum Responsorium dicitur Te Deum, *si dicendum sit.*

CANTICUM.

TE Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cœli et univérsæ Potestátes;

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus Dóminus * Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * imménsæ majestátis;

Venerándum tuum verum, * et únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe:

Tu Patris * sempitérnus es Fílius:

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum:

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cœlórum:

Tu ad déxteram Dei

sedes * in glóriâ Patris :

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergò quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérnâ fac cum Sanctis tuis * in glóriâ numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hæreditáti tuæ;

Et rege eos, et extólle illos * usque in ætérnum.

Per singulos dies * benedícimus te,

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto, * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostrî, Dómine, * miserére nostrì.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi, * non confúndar in ætérnum.

℣. *Sacerd.* In totâ ánimâ tuâ dilige eum qui te fecit. *Eccli.* 7.

℟. Si quis non amat Dóminum, sit anathéma. 1. *Cor.* 16.

Si non continuò sequantur Laudes, hîc dicitur : Dóminus vobíscum, *deindè Oratio propria. Dicitur iterùm :* Dóminus vobíscum. Benedicámus Dómino, et Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. *Et tunc ante Laudes dicitur secretò,* Pater *et* Ave.

AD LAUDES.

DEus, in adjutórium meum inténde :

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

℣. Glória Patri, etc.

Allelúia, *vel* Laus tibi, etc.

Psalmus 62.

Ad Deum luce primâ desiderat justus.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terrâ desértâ, et ínviâ, et inaquósâ, sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vi-

tas, * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vitâ meâ, * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea, * et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, in matutínis meditábor in te, * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæsit ánima mea post te, * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam; introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obstrúctum est os loquéntium iniqua.

Glória Patri, etc.

Ant. Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo, sitívit in te ánima mea.

PSALMUS 69.

Christi sibi opem poscentis oratio.

Dómine, ad adjuvándum me festina.

Confundántur, et revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsùm et erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te: * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus, et pauper sum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu; * Dómine, ne moréris.

Glória Patri, etc.

Ant. Exúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum et laudes adhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra; * servíte Dómino in lætítiâ:

Introíte in conspéctu

minus ipse est Deus; * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis, confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus.

Canticum trium Puerorum qui, in fornace illæsi, confitentur Domino et exhortantur omnem creaturam ad benedicendum Domino.

Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino: * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino: * benedícite, omnes Spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino: * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino: * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino: * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino: * benedícite, univérsa germinántia in terrâ, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete, et ómnia quæ movéntur in

aquis, Dómino : * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino : * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino: * benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísaël, Dómino: * laudáte, et superexaltáte eum in sæcula.

Hic, loco Glória Patri, *dicitur :*

Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto Spíritu; * laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli; * et laudábilis, et glorióśus, et superexaltátus in sæcula.

Ant. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli. *Dan.*

PSALMUS 148.

Ad laudandum Deum invitantur omnes creaturæ.

LAudáte Dóminum de cœlis; * laudáte eum in excélsis :

Laudáte eum, omnes Angeli ejus: * laudáte eum, omnes virtútes ejus :

Laudáte eum, sol et luna; * laudáte eum, omnes stellæ, et lumen :

Laudáte eum, cœli cœlórum, * et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terrâ, * dracónes, et omnes abyssi;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, et omnes colles, * ligna fructífera, et omnes cedri;

Béstiæ, et univérsa pécora,

cora, * serpéntes, et vólucres pennátæ;

Reges terræ, et omnes pópuli, * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini; * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum et terram; * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus Sanctis ejus; * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Glória Patri, etc.

Ant. Omnes pópuli laudent nomen Dómini.

Capitul. Deut. 6.

AUdi, Israël, díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ ánimâ tuâ, et ex totâ fortitúdine tuâ.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

AD templa nos rursùs vocat
Surgéntis auróræ nitor,
Novásque pro læto monet
Reférre grates múnere.

At victor auróram suo
Fulgóre Christus óbruit:
Huic, magna cujus pars sumus,
Juvat triúmpho pláudere.

Quòd evolútus fásciis
Repéntè mundus éxtitit,
Puro renídens lúmine,
Virtútis hoc quantæ fuit!

Quòd tráditum neci Pater,
Ut sóntibus vitam daret,
Vitæ redónat Fílium,
Amóris hoc quanti fuit!

At lætius quantò óbtulit
Sese Patri spectáculum
Cœléstis Agni cándido
Ablútus orbis sánguine!

Cum luce nobis rédditur
Mundi renascéntis decor,
Occúlta per quem Núminis
Mens surgit ad magnália.

Præsta, beáta Trínitas,
Ut legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jùbes. Amen.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo,

℟. Ut meditárer elóquia tua. *Psal.* 118.

Canticum Propheticum Zachariæ Deo grátias agentis pro Nativitate Præcursoris.

Luc. 1.

BEnedictus Dóminus Deus Israël; * quia

visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ :

Et eréxit cornu salútis nobis * in domo David púeri sui,

Sicut locútus est per os Sanctórum, * qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos ;

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * et memorári testaménti sui sancti :

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis,

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

In sanctitáte et justítiâ coràm ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, Puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos, óriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris, et in umbrâ mortis sedent, * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, etc.

Antiphona et Oratio ut in Proprio; posteà dicitur :

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deindè, si aliud Officium non sequatur, dicitur :

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

Antiphona B. Mariæ, ut habetur post Completorium Sabbati. Posteà :

℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

℟. Amen.

AD PRIMAM.

Quandò statim post Laudes dicitur Prima, non recitantur Pater *et* Ave *ante Primam ; sed post* Benedicámus *Lau-*

dum dicitur, Deus, in adjutórium, etc. *quod observatur in omnibus Horis, cùm unâ serie dicuntur.*

℣. Deus, in adjutórium meum, etc. Allelúia, *vel* Laus tibi, etc.

Ad singulas Horas Breves, in Dupl. per Annum et in non Dupl. dicuntur Hymni *ut in Dominicâ*, *nisi aliter notetur in Propr.*

HYMNUS.

JAm lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Nostras ut ipse dírigat,
Lux increáta, sémitas.

Nil lingua, nil peccet manus;
Nil mens inánе cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cháritas.

Incœpta dùm fluet dies,
O Christe, custos pérvigil,
Quas sævus hostis óbsidet,
Portas tuére sénsuum.

Præsta diúrnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor:
Auctóre quæ te cœpimus,
Da, te favénte, prósequi.

Supérba ne nimis caro
Menti licénter ímperet,
Carnis domet supérbiam
Potûs cibíque párcitas.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

PSALMUS 117.

Gratias agit Ecclesia quòd salutem per Christum sit consecuta.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël, quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me, * et in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me; * et in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, et exarsérunt sicut ignis in spinis; * et in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem, * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis et salútis, * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam; * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus, * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ: * ingréssus in eas, confitébor Dómino.

Hæc porta Dómini; * justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus: * exultémus, et lætémur in eâ.

O Dómine, salvum me fac, ô Dómine, benè prosperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini; * Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi; * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quó-

niam in sæculum misericórdia ejus.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 118.

Mandatorum Dei laus.

BEáti immaculáti in viâ, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutántur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinàm dirigántur viæ meæ, * ad custodiéndas justificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo, quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam, * non me derelínquas usquequáquè.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te, * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In viâ testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor, * non oblivíscar sermónes tuos.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 118.

REtríbue servo tuo, vivífica me, * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos, * et considerábo mirabília de lege tuâ.

Incola ego sum in terrâ; * non abscóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpásti supérbos; * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium, et contémptum; *

quia testimónia tuá exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et advérsùm me loquebántur; * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est, * et consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea, * vivífica me secúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me: * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me; * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio; * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * et de lege tuâ miserére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine; * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatásti cor meum.

Glória Patri, etc.

Allelúia, *vel* Laus tibi, etc.

Capitul. Eph. 5.

VIdéte, Fratres, quómodò cautè ambulétis, non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes, rediméntes tempus. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, etc.

℣. Qui sedes ad déxteram Patris, * Miserére nobis. (*Hic versus variatur pro varietate temporis vel fest. ut suo loco notatur.*) Glória Patri, etc. *Repet.* Christe, Fili, etc. *Matt.* 16. *Tob.* 8. *Heb.* 1.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos;

℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecísti; tuâ nos hódiè salva virtúte, ut ad nullum declinémus peccátum, sed ad tuam justítiam faciéndam omnis nostra áctio tuo moderá-

mine dirigátur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum, etc.

℣. Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino, ℟. Deo grátias.

AD OFFICIUM CAPITULI.

In Choro legitur Martyrologium. Extrà Chorum non legitur, sed dicitur :

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini,

℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

SAncta Maria et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde,

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde,

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde,

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri, etc.

℣. O Dómine, réspice in servos tuos, et in ópera tua, et dírige filios eórum.

℟. Et sit spléndor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

OREMUS.

DIrígere, et sanctificáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli et terræ, hódiè corda et córpora nostra in lege tuâ, et in opéribus mandatórum tuórum, ut hîc et in ætérnum, te auxiliánte sani, salvi et secúri esse mereâmur, Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Jube, Dómine, benedícere.

Bened. Bonitâtem, et disciplínam, et sciéntiam dóceat nos Dóminus. *Ps.* 118. Amen.

Fit Lectio Canonis, qui pro singulis diebus

habetur in fine Brev. in cujus fine dicitur: Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

Si terminatur Officium, dicitur:

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

Sequentia non dicuntur nisi ubi legitur Necrologium; et tunc eo lecto, ante ℣. Fidélium ánimæ *dicitur Psalm.* De profúndis, *ut in Vesp. Fer. 4. In fine* Réquiem, *cum* ℣ ℣. Requiéscant in pace. Dómine, exáudi oratiónem. Dóminus vobíscum.

OREMUS.

FIdélium Deus ómnium Cónditor, et Redémptor; animábus famulórum, famularúmque tuárum, remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam; quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur; Qui vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Deindè, Fidélium ánimæ, *ut sup. si Officium terminatur.*

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium, etc. Allelúia. *vel* Laus, etc.

HYMNUS.

O Fons amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accénde flammas córdibus.

Qui charitátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Fac dulce nectat vínculum.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Divisio Psalmi 118.

LEgem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum, * et exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam, * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum; * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * et non in avarítiam.

Avérte óculos meos, ne videant vanitátem; * in viâ tuâ vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus sum; * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua; * in æquitáte tuâ vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine, * salutáre tuum, secúndùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáquè; * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper, * in sæculum et in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi, * et exercébar in justificatiónibus tuis.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 118.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte meâ; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant usquequáquè, * à lege autem tuâ non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à sæculo, Dómine; * et consolátus sum.

Deféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine, * et custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi; * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo; * miserére meî se-

cúndum elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * et convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me; * et legem tuam non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra: * justificatiónes tuas doce me.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 118.

BOnitátem fecísti cum servo tuo, Dómine, * secúndùm verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquàm humiliárer, ego deliqui; * proptéreà elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu, * et in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum; * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi, quia humiliásti me, * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * super míllia auri et argénti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me; * da mihi intelléctum, et discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, et lætabúntur; * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * et in veritáte tuâ humiliásti me.

Fiat misericórdia tua, ut consolétur me, * secúndùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, et vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi,

quia injústè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Glória Patri, etc. All. *vel* Laus, etc.

Capitul. 1. *Joan.* 2.

IN hoc scimus quóniam cognóvimus Deum, si mandáta ejus observémus.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Qui facit voluntátem Dei, * Manet in ætérnum. 1. *Joan.* 2. *Repet.* Qui facit.

℣. Et qui servat mandáta ejus, 1. *Joan.* 3. * Manet in ætérnum. Glória Patri. Qui facit.

℣. Non diligámus verbo neque linguâ,

℟. Sed ópere et veritáte. 1. *Joan.* 3.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium, etc. Allelúia, *vel* Laus, etc.

HYMNUS.

JAm solis excélsum jubar
Toto coruscat lúmine,
Sinúsque pandens áureos
Ignita vibrat spícula.

Tu, Christe, qui mundum novâ,
Sol verus, accéndis face;
Fac nostra plenam cháritas
Crescéndo surgat ad diem.

* Deo Patri sit glória;
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

Divisio Psalmi 118.

DEfécit in salutáre tuum ánima mea, * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes: Quandò consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruinâ; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quandò fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iniqui fabulatiónes, * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas : * iniquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terrâ ; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm misericórdiam tuam vivífica me, * et custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine,* verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua : * fundásti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tuâ persevérat dies, * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est, * tunc fortè periíssem in humilitáte meâ.

In ætérnum non oblivíscar justificatiónes tuas, * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac, * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres, ut pérderent me,:

mandátum tuum nim

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 118.

QUómodò diléxi leg tuam, Dómine! totâ die meditátio m est.

Super inimícos m prudéntem me fec mandáto tuo ; * quia ætérnum mihi est.

Super omnes docén me intelléxi ; * quia timónia tua meditátio m est.

Super senes intellé quia mandáta tua quæ

Ab omni viâ malâ p hibui pedes meos, custódiam verba tua.

A judíciis tuis non clinávi ; * quia tu le posuísti mihi.

Quàm dúlcia fáuc meis elóquia tua! * s mel ori meo.

A mandátis tuis i léxi ; * proptéreà omnem viam iniquit

Lucérna pédibus verbum tuum, * et lu sémitis meis.

Jurávi, et státui *

fica me secúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper, * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi, * et de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum; * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 118.

INíquos ódio hábui, * et legem tuam diléxi.

Adjútor et suscéptor meus es tu, * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me, maligni; * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndùm elóquium tuum, et vivam; * et non confúndas me ab expectatióne meâ.

Adjuva me, et salvus ero: * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedéntes à judíciis tuis; * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ideò diléxi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas: * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium et justítiam; * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * et in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndùm misericórdiam tuam, * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego; * da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua * super aurum et topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar, * omnem viam iníquam ódio hábui.

Glória Patri, etc. All. *vel* Laus, etc.

Capitul. 1. *Joan.* 5.

HÆc est cháritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus, et mandáta ejus grávia non sunt.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Jugum Dómini * suáve est. *Repet.* Jugum.

℣. Et onus ejus leve. *Matt.* 11. * Suáve est.

Glória Patri. Jugum Dómini.

℣. Judícia Dómini vera;

℟. Dulcióra super mel et favum. *Ps.* 118.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, etc. Allelúia, *vel*, Laus tibi, etc.

HYMNUS.

LAbénte jam solis rotâ,
Inclínat in noctem dies:
Sic vita suprémam cito
Festinat ad metam gradu.
O Christe, dùm fixus cruci
Expándis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in ampléxu mori.
* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

Divisio Psalmi 118.

MIrabília testimónia tua; * ideò scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * et intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, et attráxi spíritum; * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére mei, * secúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndùm elóquium tuum; * et non dominétur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum, * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * et rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam tes-

timónia tua, * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus; * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter, * et servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, et contémptus; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum; * et lex tua, véritas.

Tribulátio et angústia invenérunt me; * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas, testimónia tua in ætérnum; * intelléctum da mihi, et vivam.

Glória Patri, etc.

Divisio, Psalmi 118.

CLamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac, * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, et clamávi; * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndùm misericórdiam tuam, Dómine, * et secúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti; * à lege autem tuâ longè facti sunt.

Propè es tu, Dómine, * et omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis; * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me; * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, et rédime me; * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus; * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * secúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, et tribulant me; * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, et tabescébam; * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide, quóniam man-

dáta tua diléxi, Dómine; * in misericórdiâ tuâ vivífica me.

Principium verbórum tuórum, véritas: * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 118.

PRíncipes persecúti sunt me gratìs, * et à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum; * legem autem tuam diléxi.

Séptiès in die laudem dixi tibi, * super judíciâ justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * et non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine, * et mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * et diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, et testimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine: * juxtà elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo: * secúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine; * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te; * et judícia tuá adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis, quæ périit; quære servum tuum, * quia mandáta tua non sum oblítus.

Glória Patri, etc.

Allelúia, *vel* Laus, etc.

Capitul. Eccli. 2.

QUi timent Dóminum, inquirent quæ beneplácita sunt ei; et qui díligunt eum, replebúntur lege ipsius.

℟. Deo grátias.

℟. *br.*

℟. br. Quæcúnque jússeris, * Dómine, faciémus. *Repet.* Quæcúnque.

℣. Quæcúnque tibi placent, * Dómine, faciémus. 4. *Reg.* 10.

Glória Patri, etc. Quæcúnque, etc.

℣. Custodívit ánima mea testimónia tua,

℟. Et diléxit ea veheménter. *Ps.* 118.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutórium, etc. Allelúia, *vel*, Laus, etc.

(*) 7. c. Psalmus 109.

Christi generatio, sacerdotium, et potestas.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus Sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm ordinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terrâ multórum.

De torrénte in viâ bibet, * proptéreà exaltábit caput.

Glória Patri, etc.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede à dextris meis.

2. *D.* Psalmus 110.

Laus Deo qui Ecclesiæ tot beneficia contulit.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde

(*) *Numeri, qui Psalmis aut Antiphonis ad Vesperas et Complet. præmissi inveniuntur, indicant modum, quo Psalmi decantandi sunt: nempè primus numerus tonum, secundus autem toni inflexionem designat.*

meo, * in concílio justórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus, * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hæreditátem géntium. * Opera mánuum ejus véritas et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo, * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Glória Patri, etc.

Ant. Magna ópera Dómini, exquisíta in omnes voluntátes ejus.

4. E. Psalmus III.

Justo prosperantur omnia, impio tabescente.

BEátus vir qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terrâ erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo ejus; * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis; * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur, et cómmodat; dispónet sermónes suos in judício; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memóriâ ætérnâ erit justus, * ab auditióne malâ non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus; * non commovébitur, donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in sæculum sæculi; * cornu ejus exaltábitur in glóriâ.

Peccátor vidébit, et irascétur; déntibus suis fremet et tabéscet; * desidérium peccatórum períbit.

Glória Patri, etc.

Ant. Beátus vir qui timet Dóminum, in mandátis ejus volet nimis.

5. c. PSALMUS 112.

Deus super omnia excelsus, et exaltans humiles.

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terrâ?

Súscitans à terrâ inopem, * et de stércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui;

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri, etc.

Ant. Sit nomen Dómini benedíctum, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

1. A. PSALMUS 113.

Dei potentia. Idolorum vanitas.

IN éxitu Israël de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro,

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israël potéstas ejus.

Mare vidit, et fugit; * Jordánis convérsus est retrórsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugísti? * et tu, Jordánis, quia convérsus es retrórsùm?

Montes, exultástis sicut aríetes, * et, colles, sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convértit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * sed nómini tuo da glóriam super mi-

sericórdiâ tuâ et veritáte tuâ ;

Nequándò dicant gentes : * Ubi est Deus eórum ?

Deus autem noster in cœlo ; * ómnia quæcúnque vóluit, fecit.

Simulácra géntium, argéntum et aurum, * ópera mánuum hóminum :

Os habent, et non loquéntur ; * óculos habent, et non vidébunt ;

Aures habent, et non áudient ; * nares habent, et non odorábunt ;

Manus habent, et non palpábunt ; pedes habent, et non ambulábunt ; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino ; * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino ; * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum speravérunt in Dómino ; * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri, * et benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Israël, * benedíxit dómui Aáron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos, et super fílios vestros.

Benedícti vos à Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui descéndunt in inférnum ;

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória Patri, etc.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

Capitul. 1. *Cor.* 2.

OCulus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

O Luce qui mortálibus
Lates inaccéssâ, Deus

Præsénte quo Sancti tremunt,
Velántque vultus Angeli :
Hic, ceu profúndâ cónditi
Demérgimur calígine ;
Ætérnus at noctem suo
Fulgóre depéllet dies.
Hunc nempè nobis præparas ,
Nobis resérvas hunc diem,
Quem vix adúmbrat spléndida
Flammántis astri cláritas.
Moráris, heu! nimis diù
Moráris, optátus dies :
Ut te fruámur, nóxii
Linquénda moles córporis.
His cùm solúta vínculis
Mens evolárit, ô Deus ;
Videre te, laudáre te,
Amáre te non désinet.
Ad omne nos apta bonum ,
Fœcúnda donis Trinitas :
Fac lucis usúræ brevi
Ætérna succédat dies.
Amen.

℣. Custódit Dóminus omnes diligéntes se,
℟. Et omnes peccatóres dispérdet. *Ps.* 144.

Canticum et Prophetia B. M. V. Luc. 1.

MAgníficat * ánima me Dóminum,
Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo ;
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes ;
Quia fecit mihi magna qui potens est, * et sanctum nomen ejus;
Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo; * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis, * et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.
Glória Patri, etc.

Deindè dicitur Antiph. et Oratio propria.

℟. Et avérte iram tuam à nobis: *Psalm.* 84.

℣. Deus, in adjutórium, etc. Allelúia, *vel*, Laus tibi, etc.

4. a. Psalmus 4.

In Deo, non in divitiis, spes collocanda.

CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére meî, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum; * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dicitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino; * multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum dórmiam, * et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Glória Patri, etc.

Psalmus 90.

Nil timendum iis qui ad Deum confugiunt.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Deí cœli commorábitur;

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, et refúgium meum; * Deus meus, sperábo in eum;

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrâbit tibi, * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus, * non timébis à timóre noctúrno,

A sagíttâ volánte in die, à negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrsu et dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, et decem míllia à dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum,

Non accédet ad te malum, * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo:

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilíscum ambulábis, * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum; * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum; * cum ipso sum in tribulatióne, erípiam eum, et glorificábo eum:

Longitúdine diérum replébo eum, * et osténdam illi salutáre meum.

Glória Patri, etc.

Psalmus 133.

Ministros suos ad Dei cultum hortatur Ecclesia.

Ecce nunc benedícitè Dóminum, * omnes servi Dómini,

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri;

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum et terram.

Glória Patri, etc. All. *vel* laus, etc.

Ad Complet. in Dupl. per Ann. et in non Dupl. dicitur Hymnus ut in Dom. nisi aliter notetur.

Hymnus.

Grates, perácto jam die,
Deus, tibi persólvimus:
Pronóque, dùm nox íncipit,
Prostérnimus vultu preces.

Quod longa peccávit dies
Amárus éxpiet dolor,
Somno gravátis ne nova
Inflígat hostis vúlnera.

Inféstus usque circuit
Quærens leo quem dévoret;

Umbrâ sub alárum tuos
Defénde filios, Pater.
O quandò lucéscet tuus
Qui nescit occásum dies!
O quandò sancta se dabit
Quæ nescit hostem pátria!
* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

Capitul. 1. *Thess.* 5.

SIve vigilémus, sive dormiámus, simul cum (Christo) vivámus.

℟. Deo grátias.

℣. Custódi (nos, Dómine), ut pupíllam óculi.

℟. Sub umbrâ alárum tuárum prótege (nos). *Ps.* 16.

Canticum et Prophetia Simeonis. 8. G. Luc. 2.

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum;

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri, etc.

Ant. Scuto circúmdabit te véritas (Dómini), non timébis à timóre noctúrno. *Ps.* 90.

℣. Dóminus vobíscum,
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

ILlúmina, quæsumus, Dómine, ténebras nostras, et totius noctis insídias tu à nobis repélle propitius; Per Dóminum nostrum, etc.

℣. Dóminus vobíscum,
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.
℟. Amen.

Posteà immediatè dicitur una ex Antiphonis Beatæ Mariæ Virginis, ut positæ sunt in fine Psalterii, post Completorium Sabbati.

FERIA SECUNDA.

FINIS OFFICII.

Dei munificentia in nos.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

DOmine, lábia mea apéries;

℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto;

℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia, *vel* laus.

Invitator. Deum, qui prior diléxit nos, * Veníte, adorémus. 1. *Joan.* 4.

Psal. Veníte, exultémus Dómino, etc. *fol.* 2.

HYMNUS.

DEi canámus glóriam,
Cœlum secúndo qui die
Expándit, admirábile
Mortálibus spectáculum.

Poli stupémus álveo
Stagnáre pénsiles lacus:
Hinc imbre terras fértili
Cœléstis irrórat Pater.

Quam præparas nobis, Deus,
Est hæc imágo grátiæ:
Hæc rore stillans úberi
Cordis pénetrat íntima.

Hanc qui fidéli cómbibunt
Aquam salúbrem péctore,
In his ad ætérnas domos
Miro resúltat ímpetu.

Beáta gens, quam pródigâ
Ditáre non cessas manu:
Amóris hæc memor tui,
Amóris et reddat vices.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Officio Feriali et trium Lect. est unicus Nocturnus, in quo dicuntur novem Psalmi ad unamquamque Feriam positi cum unâ duntaxat Antiphonâ, et uno Glória Patri *post tres Psalmos. In Officio verò novem Lectionum, post quemlibet Psalmum dicitur* Glória Patri, etc. *et Antiph. ut notatur infrà, nisi Officium habeat Antiph. et Psalm. propr.*

I°. N°. PSALMUS 103.

Deus ab opificio et providentiâ benedicitur.

BEnedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem et decórem induísti, * amíctus lúmine sicut vestiménto,

Exténdens cœlum sicut pellem, * qui tegis aquis superióra ejus;

Qui ponis nubem ascénsum tuum, * qui ámbulas super pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos, spíritus, * et minístros tuos, ignem uréntem;

Qui fundásti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus: * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tuâ fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes, et descéndunt campi, * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur; * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri, * expectábunt ónagri in siti suâ.

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis, * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens fœnum juméntis, * et herbam servitúti hóminum;

Ut edúcas panem de terrâ, * et vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhilaret fáciem in

óleo, * et panis cor hóminis confirmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani quas plantávit; * illic pásseres nidificábunt;

Heródii domus dux est eórum: * montes excélsi cervis, petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox; * in ipsâ pertransíbunt omnes béstiæ silvæ;

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt, * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exibit homo ad opus suum, * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

In Offic. 9 Lect. Glória Patri, *deindè Antiph.* Deus meus, magnificátus es veheménter, confessiónem et decórem induísti.

Divisio Psalmi 103.

QUàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntiâ fecísti; impléta est terra possessióne tuâ.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus: * illic reptília, quorum non est númerus,

Animália pusílla cum magnis, * illic naves pertransíbunt,

Draco iste quem formásti ad illudéndum ei: * ómnia à te expéctant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur; * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur; * et renovábis fáciem terræ.

In Offic. 9 Lect. Glória Patri, *deindè Antiph.* Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine!

Altera divisio Psalmi 103.

SIt glória Dómini in sæculum; * lætábitur Dóminus in opéribus suis,

Qui réspicit terram, et facit eam trémere; * qui

tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vitâ meâ, * psallam Deo meo quándiù sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum; * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terrâ, et iníqui, ita ut non sint: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Omnia in sapiéntiâ fecísti, Dómine, impléta est terra possessióne tuâ.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Sit glória Dómini in sæculum; lætábitur Dóminus in opéribus suis.

℣. *De Proprio vel Communi.*

II°. N°. PSALMUS 104.

Beneficia Israëli collata enumerantur.

CONfitémini Dómino, et invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, et judícia oris ejus;

Semen Abraham, servi ejus; * fílii Jacob, elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster; * in univérsâ terrâ judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testaménti sui; * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod dispósuit ad Abraham; * et juraménti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præcéptum; * et Israël in testaméntum ætérnum;

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis vestræ,

Cùm essent número brevi, * paucíssimi, et íncolæ ejus;

Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis; * et corrípuit pro eis reges:

Nolíte tángere christos

meos, * et in prophétis meis nolíte malignári.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri. *Deindè Ant.* Ipse Dóminus Deus noster, in univérsâ terrâ judícia ejus.

Divisio Psalmi 104. Et

VOcávit (Dóminus) famem super terram; * et omne firmaméntum panis contrívit:

Misit ante eos virum; * in servum venúndatus est Joseph:

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus; ferrum pertránsiit ánimam ejus; * donec veníret verbum ejus:

Elóquium Dómini inflammávit eum; * misit rex, et solvit eum; princeps populórum, et dimísit eum:

Constítuit eum dóminum domûs suæ, * et príncipem omnis possessiónis suæ,

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum; * et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægyptum; * et Jacob áccola fuit in terrâ Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter; * et firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * et dolum fácerent in servos ejus.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri. *Deindè Ant.* Auxit pópulum suum veheménter, et firmávit eum super inimícos ejus.

Altera divisio Psalmi 104.

MIsit (Dóminus) Móysen servum suum, * Aáron quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terrâ Cham.

Misit ténebras, et obscurávit; * et non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem; * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus rerum ipsórum.

Dixit; et venit cœnomyía et cíniphes * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburéntem in terrâ ipsórum.

Et percússit víneas eó-

rum, et ficúlneas eórum; * et contrivit lignum fínium eórum.

Dixit; et venit locústa et bruchus, * cujus non erat númerus,

Et comédit omne fœnum in terrâ eórum, * et comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terrâ eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto et auro; * et non erat in tribubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum, * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit coturnix; * et pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ; * abiérunt in sicco flúmina;

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum:

Et edúxit pópulum suum in exultatióne, * et eléctos suos in lætítiâ;

Et dedit illis regiónes géntium, * et labóres populórum possedérunt,

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Mementóte mirabílium ejus quæ fecit.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Edúxit pópulum suum in exultatióne, et eléctos suos in lætítiâ.

℣. *De Proprio vel Communi.*

III°. N°. Psalmus 105.

Bonitas Dei, Judæorum ingratus animus.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: * vísita nos in salutári tuo,

Ad vivéndum in boni-

tâte electórum tuórum, ad lætándum in lætítiâ gentis tuæ, * ut laudéris cum hæreditáte tuâ.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri. *Ant.* Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus?

Divisio Psalmi 105.

PEccávimus cum pátribus nostris: * injústè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ:

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * mare rubrum;

Et salvávit eos propter nomen suum, * ut notam fáceret poténtiam suam;

Et increpuit mare rubrum, et exsiccátum est; * et dedúxit eos in abyssis, sicut in desérto;

Et salvávit eos de manu odiéntium, * et redémit eos de manu inimíci:

Et opéruit aqua tribulántes eos: * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus, * et laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus, * et non sustinuérunt consilium ejus;

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto; * et tentavérunt Deum in inaquóso;

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris, * Aáron sanctum Dómini.

Apérta est terra, et deglutívit Dathan, * et opéruit super congregatiónem Abíron;

Et exársit ignis in synagógâ eórum; * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * et adoravérunt scúlptile;

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli, comedéntis fœnum.

Oblíti sunt Deum qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terrâ Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut dispérderet eos, * si non Móyses e-

léctus ejus stetisset in confractióne in conspéctu ejus,

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos ; * et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem, non credidérunt verbo ejus,

Et murmuravérunt in tabernáculis suis ; * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in desérto,

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor, * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis ; * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit ; * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque

Quia exacerbavérunt spíritum ejus ; * et distínxit in lábiis suis.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri. *Ant.* Increpuit mare rubrum, et exsiccátum est.

Altera Divisio Psalmi 105.

NOn disperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti sunt inter gentes, * et didicérunt ópera eórum.

Et serviérunt sculptílibus eórum ; * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt filios suos * et fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem ; * sánguinem filiórum suórum, et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et inficta est terra in sanguínibus, et contamináta est in opéribus eórum ; * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis

nus géntium; * et dominâti sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, et humiliáti sunt sub mánibus eórum: * sæpè liberávit eos;

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, * et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit, cùm tribularéntur; * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui, * et pœnítuit eum secúndùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster, * et cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * et gloriémur in laude tuâ.

Benedíctus Dóminus Deus Israël à sæculo et usque in sæculum; * et dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Confiteámur nómini sancto tuo, et gloriémur in laude tuâ.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Benedíctus Dóminus Deus Israël à sæculo et usque in sæculum.

In Feriâ. ℣. Prævenísti, Dómine,

℟. In benedictiónibus dulcédinis. *Ps.* 20.

In Offic. Sanct. si sit 9 *Lect.* ℣. *de Proprio vel Communi. Si sit* 3 *Lect. post* 9 *Psalm. dicitur* ℣. *de Proprio vel Communi secundùm Feriam. Feriâ secundâ et quintâ dicit.* ℣. 1. *Noct. Feriâ tertiâ et sextâ dicit.* ℣. 2. *Noct. Feriâ quartâ et Sabb. dicit.* ℣. 3. *Noct.*

In Offic. Fer. ℣. *Sacerdot.* Fecit magna qui potens est. *Luc.* 1.

℟. In ómnibus dívites facti. 1. *Cor.* 1.

In Offic. Sanct. ℣. *Sacerd. ut in Prop. vel Com.*

Si non continuò sequantur Laudes, hîc dicuntur Preces quæ infrà sunt positæ post Tertiam, *sed solùm quandò preces dicendæ sunt in Laudibus. Et tunc ante Laudes dicitur secretò* Pater *et* Ave.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium, etc.

PSÁLMUS 91.

Collaudandus Deus, quia in operibus magnificus et in judiciis justus judex.

BOnum est confitéri Dómino, * et psállere nómini tuo, Altíssime ;

Ad annuntiándum manè misericórdiam tuam, * et veritátem tuam per noctem,

In decachórdo psaltério, * cum cántico in cítharâ;

Quia delectásti me, Dómine, in factúrâ tuâ, * et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ :

Vir insípiens non cognóscet, * et stultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres sicut fœnum, et apparúerint omnes qui operántur iniquitátem. * ecce inimíci tui períbunt, * et dispergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum, * et senéctus mea in misericórdiâ úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos, * et insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit, * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senéctâ úberi; * et benè patiéntes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noster, * et non est iníquitas in eo.

Glória Patri, etc.

Ant. Delectásti me, Dómine, in factúrâ tuâ.

PSALMUS 135.

Deus mirabilis; ejus in suos providentia.

COnfitémini Dómino,

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui facit mirabília magna solus, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui fecit cœlos in intelléctu, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui firmávit terram super aquas, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui fecit luminária magna, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Solem in potestátem diéi, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Lunam et stellas in potestátem noctis, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. In ætérnum misericórdia Dómini.

Divisio Psalmi 135.

(Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;)

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui edúxit Israël de médio eórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

In manu poténti et bráchio excélso, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui divísit mare rubrum in divisiónes, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et edúxit Israël per médium ejus, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et excússit Pharaónem et virtútem ejus in mari rubro, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui tradúxit pópulum suum per desértum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui percússit reges magnos, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Sehon regem Amorrhæórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et Og regem Basan, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et dedit terram eórum hæreditátem, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Hæreditátem Israël servo suo, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Quia in humilitáte nostrâ memor fuit nostrî, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et redémit nos ab inimícis nostris, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui dat escam omni carni, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Redémit nos ab inimícis nostris.

In Offic. de Fer. dicitur Canticum sequens.

CANTICUM MOYSI.

Deo gratias agit post transitum maris rubri.

Exod. 15.

CAntémus Dómino; gloriósè enim magnificátus est: * equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, et glorificábo eum, * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, Omnípotens, nomen ejus; * currus Pharaónis, et exércitum ejus projécit in mare.

Elécti príncipes ejus submérsi sunt in mari rubro; * et abyssi operuérunt eos; descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine; déxtera tua, Dómine, percússit inimícum; * et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos;

Misísti iram tuam quæ devorávit eos sicut stípulam; * et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, et comprehéndam;

* dívidam spólia, implébitur ánima mea;

Evaginábo gládium meum,*interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare; * submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine, quis símilis tuî? * magníficus in sanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, * et devorávit eos terra.

Dux fuísti in misericórdiâ tuâ pópulo quem redemísti, * et portásti eum in fortitúdine tuâ ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt, * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor: * in magnitúdine bráchii tui:

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos et plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine,

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ. * Dóminus regnábit in ætérnum et ultrà.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare, * et redúxit super eos Dóminus aquas maris;

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum, * in médio ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Quis símilis tuî, Dómine? magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília.

In Semidupl. et Simpl. loco superioris Cantici, dicitur sequens. Sed in Dupl. tertiæ Class. et in Dupl. per Ann. semper dicitur Canticum de Communi.

CANTICUM.

Deus benedicendus in operibus suis; spes in Deo collocanda. Eccli. 39.

COllaudáte cánticum, * et benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * et confitémini illi in voce labiórum vestrórum, et in cánticis labiórum, et cítharis.

Et sic dicétis in confessióne: * Opera Dómini univérsa bona valdè.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries: * et in sermóne oris illíus sicut exceptória aquárum;

Quóniam in præcépto ipsíus placor fit, * et non est minorátio in salúte ipsíus.

Opera omnis carnis coram illo, * et non est quidquam abscónditum ab óculis ejus.

A sæculo usque in sæculum réspicit, * et nihil est mirábile in conspéctu ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Confitémini illi in voce labiórum vestrórum, et cítharis.

PSALMUS 134.

Israël beneficiis cumulatus; Idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini, * laudáte, servi, Dóminum;

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri,

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam suáve:

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi:

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúnque vóluit, Dóminus fecit in cœlo, et in terrâ, * in mari, et in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis; * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus;

Et misit signa et prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, et in omnes servos ejus.

Qui percússit gentes multas, * et occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, et Og regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israël pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum; * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium, argéntum et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur; * óculos habent, et non vidébunt;

Aures habent, et non áudient: * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël, benedícite Dómino; * domus Aáron, benedícite Dómino:

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino;

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Glória Patri, etc.

Ant. Laudáte Dóminum, elégit Israël in possessiónem sibi.

Capitul. Eccli. 1.

DEus creávit (sapiéntiam) in Spíritu sancto.. et effúdit illam super ómnia ópera sua.

HYMNUS.

NIl láudibus nostris eges,
Sed fílios amas, Pater;
Multâque cœléstem prece
Vis provocári grátiam.
Tui profúnda cónsilî
Noctis canit siléntium:
Tuæ jubar cleméntiæ
Splendor diéi prædicat.
Tantis minor miráculis
Mens óbstupet, vox déficit:
Tacére sed totis nequit
Amor medúllis æstuans.
Erúmpat ergò: te memor
Clamet paréntem, qui mala
Præséntis ævi mítigas,
Spondes futúri præmia.
Hùc vóta tendunt córdium,

Infirma sed tardat caro:
Quæ ducit ad te, da sequi,
Dux ipse Jesu, sémitam.
Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ,

℟. Exultávimus et delectáti sumus. *Ps.* 89.

Canticum Zachariæ.

Benedíctus Dóminus, etc. *ut in Dominicâ.*

Ant. Magna et mirabília sunt ópera tua, Dómine, Deus omnípotens. *Apoc.* 15.

Oratio de Dominicâ præcedenti, cum terminatione ordinariâ; deindè suffragia seu commemorationes communes ut infrà, si non dicantur preces; si verò dicendæ sint, statim post. Ant. ad Bened. *dicuntur ut sequitur, et flexis genibus.*

KYrie, eleïson; Christe, eleïson; Kyrie, eleïson.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Orémus pro sanctâ Dei Ecclésiâ.

℟. Memor esto congregatiónis tuæ quam possedísti ab initio. *Ps.* 73.

℣. Pro Papâ nostro N.

℟. Díligat Christum, pascat agnos, pascat oves.

℣. Pro Antístite nostro N.

℟. Det ei Deus grátiam in opus ministérii. *Eph.* 5.

(*Defuncto S. P. vel D. Archiep. loco* ℣. *Qui ad alterutrum refertur, dicitur sequens, quandiù sedes vacans fuerit:*

℣. Pro eligéndo Pontífice.

℟. Osténde, Dómine, quem elégeris; mitte quem missúrus es. *Exod.* 4.)

℣. Pro Clero nostro.

℟. Sacerdótes tui induántur justítiam, et Sancti tui exúltent. *Ps.* 131.

℣. Pro Rege nostro N.

℟. Dómine, salvum fac Regem. *Ps.* 19.

℣. Pro univérso pópulo christiáno.

℟. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hæreditáti tuæ. *Ps.* 27.

℣. Pro nobismetipsis.

℟. Fiat misericórdia

tua, Dómine, super nos, quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Pro benefactóribus nostris.

℟. Reddat Dóminus pro ópere plenam mercédem. *Ruth.* 2.

℣. Pro infírmis et afflíctis.

℟. Líbera, Deus, Israël ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis.

℟. A peccátis solvántur. 2. *Machab.* 12.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Deindè Oratio.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si facienda sit commemoratio de aliquo Sancto, fit post Orationem diei.

Deindè fiunt Suffragia ut infrà, et non dicitur Dóminus vobiscum, *nec* Benedicámus Dómino, *nisi post ultimam Orationem.*

Suffragia, seu Commemorationes communes per annum.

De sanctâ Cruce.

Ant. Peccáta nostra (Christus) pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. 1. *Pet.* 2.

℣. Deus eum qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit,

℟. Ut nos efficerémur justitia Dei in ipso. 2. *Cor.* 5.

Oremus.

Miserére, Dómine, pópulo tuo; et quos per lignum sanctæ crucis redímere dignátus es, perpétuis defénde subsídiis.

De sanctâ Mariâ.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Oremus.

Beátæ et gloriósæ semperque Vírginis Maríæ, quæsumus, Dómi-

ne, intercéssio gloriósa nos prótegat, et ad vitam perdúcat ætérnam.

De Patrono.

Ant. et Versus de Proprio vel Communi, ad Laudes.

Oremus.

PRótege, Dómine, pópulum tuum, et Sancti N. (*vel* Sanctórum N. N.) patrocínio confidéntem, perpétuâ defensióne consérva.

De omnibus Sanctis.

Ant. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, Deus invenit illos dignos se. *Sap.* 3.

℣. Justi confitebúntur nómini tuo, Dómine;

℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139.

Oremus.

PRopitiáre, quæsumus, Dómine, fámulis tuis per ómnium Sanctórum mérita, ut ab ómnibus semper tuti simus advérsis.

De Pace.

Ant. Deus det nobis jucunditátem cordis, et

℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28.

Oremus.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium sublátâ formidine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla. Per Dóminum, etc.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Si terminatur Officium, additur: ℣. Fidélium ánimæ, etc. *deindè dicitur Ant. B. M. V. pro tempore.*

Nota. *Si Ecclesia dedicata sit sub titulo SS. Trinitatis, aut alicujus è divinis Personis, ejus commemoratio fit ante commemorationem de cruce. Quòd si dedicata sit in*

AD PRIMAM,

Et ad alias Horas dicuntur Hymni de Dominicâ, in Dupl. per annum, Semid. Simpl. Oct. et in Offic, Fer. nisi aliter notetur in Propr.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm lucis orto sídere, etc.

PSALMUS 8.

In operibus suis mirabilis Dominus.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsâ terrâ!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis; * glóriâ et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves et boves univérsas, insuper et pécora campi;

Vólucres cœli, * et pisces maris, qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsâ terrâ!

Glória Patri, etc.

PSALMUS 76.

Consolatio spiritualis ex operibus Dei sumpta.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi: mánibus meis nocte contrà eum; * et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum, et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus

sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * et annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet, ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in irâ suâ misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 76.

MEmor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua; quis Deus magnus, sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam: * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob, et Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ; * et timuérunt, et turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum, * vocem dedérunt nubes:

Etenim sagittæ tuæ tránseunt: * vox tonítrui tui in rotâ:

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ; * commóta est, et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis, * et vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti, sicut oves, pópulum tuum * in manu Móysi et Aáron.

Glória Patri, etc.

Capitul. Eph. 5.

VIdéte, Fratres, quómodò cautè ambulétis, non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes, rediméntes tempus.

℟. *br.* Christe Fili Dei

vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, etc.

℣. Qui sedes ad déxteram Patris, * Miserére nobis. (*Hic versus variatur pro varietate temporis vel Fest.*) Glória Patri, etc. *Repet.* Christe Fili, etc. *Matt.* 16. *Tob.* 8. *Heb.* 1.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos;

℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

Deindè Preces ut infrà.

Omittuntur in Dominicis, Duplicibus, Semidupl. et etiam intrà Octavas, etsi non fiat de Octavâ; dicuntur autem illæ preces, flexis genibus, quandò Preces ad Laudes dictæ sunt.

Kyrie, eléïson; Christe, eléïson; Kyrie, eléïson. Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum, *secretò.*

℣. Carnis resurrectiónem,

℟. Vitam ætérnam, Amen.

℣. Repleátur os meum laude,

℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

℣. Custódi me, Dómine, ab omni malo;

℟. Custódi ánimam meam, Dómine. *Ps.* 120.

℣. Cor mundum crea in me, Deus,

℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

℣. Inclína cor meum, Deus,

℟. In testimónia tua. *Ps.* 118.

℣. Gressus meos dírige secúndùm elóquium tuum,

℟. Et non dominétur meî omnis injustitia. *Ps.* 118.

℣. Avérte óculos meos,

℟. Ne vídeant vanitátem. *Ps.* 118.

℣. Sepi aures meas spinis,

℟. Ut non áudiam linguam nequam. *Eccli.* 28.

℣. Pone, Dómine, custódiam ori meo,

℟. Et óstium circumstántiæ lábiis meis. *Ps.* 140.

Quandò preces non dic-

tæ sunt ad Laudes, hîc recitatur Confíteor, etc. *ut infrà; quandò verò dictæ sunt, adduntur sequentes* ℣. ℣. *ante* Confíteor.

℣. Eripe me ab hómine malo,

℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus,

℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58.

℣. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,

℟. Et misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt. *Ps.* 24.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino,

℟. Et ómnia quæ intrà me sunt, nómini sancto ejus.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino,

℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,

℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam,

℟. Qui corónat te in misericórdiâ et miseratiónibus. *Ps.* 102.

Deindè dicit Hebdomadarius:

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Mariæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, (et vobis, Fratres) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, (et vos, Fratres) oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

Misereátur tuî omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Deindè Chorus repetit Confessionem; et ubi dictum est Vobis, Fratres, *et* Vos, Fratres, *dicit* Tibi, Pater, *et* Te, Pater,

Factâ Confess. à Choro, Hebdomadarius dicit :

MIsereátur vestrî omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, † absolutiónem et remissiónem peccatórum nostrórum, tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Qui autem solus recitat Offic. dicit semel Confíteor, *et omittit* et vobis, Fratres, *et* te, Pater ; *dicitque:* Misereátur nostrî.

Quibus finitis, dicat Hebdomadarius :

℣. Miserére nostrî, Dómine,

℟. Miserére nostrî, *Ps.* 122.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

ORÉMUS.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti; tuâ nos hódiè salva virtúte ; ut ad nullum declinémus peccátum, sed ad tuam justítiam faciéndam omnis nostra áctio tuo moderámine dirigátur ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum, etc.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD OFFICIUM CAPITULI.

In Choro legitur Martyrologium. Extrà Chorum non legitur, sed dicitur :

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini,

℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

SAncta María et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde :

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

℟. Deus, in adjutórium meum inténde :

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri, etc.

℣. O Dómine, réspice in servos tuos, et in ópera tua, et dírige filios eórum.

℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

OREMUS.

DIrígere et sanctificáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli et terræ, hódiè corda et córpora nostra in lege tuâ, et in opéribus mandatórum tuórum, ut hîc et in ætérnum, te auxiliánte sani, salvi et secúri esse mereámur; Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Jube, Dómine, benedícere.

Bened. Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam dóceat nos Dóminus. *Ps.* 118. Amen.

Fit Lectio Canonis, qui pro singulis diebus habetur in fine Brev.

De Necrologio, vide dicta post Prim. in Dominicâ. Si terminatur Officium, dicitur :

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

O Fons amóris, Spíritus, etc.

PSALMUS 24.

Vias Domini edoceri, et ejus auxilio protegi postulat justus.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam ; * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi, * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tuâ, et doce me ; * quia tu

tu es Deus Salvátor meus, et te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto meî, tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in viâ :

Díriget mansuétos in judício, * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum est enim:

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 24.

QUis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in viâ quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * et semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum; * et testaméntum ipsius ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei; * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum; * et dimitte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt: * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me: * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi; * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 95.

Cantatur per Christum facta salus; ipse judex venturus.

CAntáte Dómino cánticum novum; * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus:

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos:

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus; * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem; * afférte Dómino nomen ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra; * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra; commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte suâ.

Glória Patri, etc.

Capitul. Act. 17.

DEus qui fecit mundum, et ómnia quæ in eo sunt, fecit ex uno omne genus hóminum inhabitáre super univérsam fáciem terræ.

℟. *br.* Scitóte quóniam * Dóminus ipse est Deus. Scitóte.

℟. Ante Deum qui fecit nos. *Ps.* 94.

Quandò ad Laudes dictæ sunt preces, dicuntur ad Tertiam, Sextam et Nonam sequentes, et flexis genibus.

KYrie, eleïson; Christe, eleïson; Kyrie, eleïson. Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos,

℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos;

℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam, etc.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium etc.

HYMNUS.

JAm solis excélsum jubar, etc.

PSALMUS 46.

Deus omnis terræ dominus; ipsi psallendum.

OMnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis;

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo, * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite; * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet su-

per sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Glória Patri, etc.

Psalmus 97.

Laudatur Christus, quòd gentibus notum fecerit salutare suum.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in citharâ, in citharâ, et voce psalmi, * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ:

Jubiláte in conspéctu regis Dómini; * moveátur mare, et plenitúdo ejus; orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini, * quóniam venit judicáre terram:

Judicábit orbem terrárum in justítiâ, * et pópulos in æquitáte.

Glória Patri, etc.

Psalmus 98.

Christi potestas; ejus vestigia adoranda; Patribus locutus est.

DOminus regnávit, irascántur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile et sanctum est; * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes: * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum; et adoráte scabéllum pedum ejus; * quóniam sanctum est.

Móyses et Aáron in sa-

cerdótibus ejus, * et Sámuel inter eos qui invocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos; * in colúmnâ nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus; * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus; * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Glória Patri, etc.

Capitul. Rom. 8.

QUi próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit?

℟. *br.* Quid retríbuam Dómino * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? *Rep.* Quid retríbuam Dómino.

℣. Vota mea Dómino reddam. *Ps.* 115. * Pro ómnibus. Glória Patri. Quid retríbuam.

℣. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis,

℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ps.* 115.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

LAbénte jam solis rotâ, etc.

PSALMUS 52.

Deum non esse, frustrà sibi dicit impius, ut peccet; quondam ulciscitur Deus.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt et abominábiles facti sunt in iniquitátibus; * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt, * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent : * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israël.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 72.

Si improbi in hâc vitâ felices; probi, quòd sua quemque præmia maneant, consolatione levantur.

QUàm bonus Israël Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effúsi sunt gressus mei;

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum, * et firmaméntum in plagâ eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos supérbia; * opérti sunt iniquitáte et impietáte suâ.

Prődiit quasi ex ádipe iníquitas eórum; * transiérunt in afféctum cordis:

Cogitavérunt et locúti sunt nequítiam; * iniquitátem in excélso locúti sunt:

Posuérunt in cœlum os suum, * et lingua eórum transívit in terrâ.

Ideò convertétur pópulus meus hîc; * et dies pleni inveniéntur in eis,

Et dixérunt, Quómodò scit Deus; * et si est sciéntia in Excélso?

Ecce ipsi peccatóres, et abundántes in sæculo * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergò sine causâ justificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas.

Et fui flagellátus totâ die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic, * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc; * labor est ante me,

Donec intrem in sanctuárium Dei, * et intél-

ligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis; * dejecísti eos dùm allevaréntur.

Quómodò fácti sunt in desolatiónem! * súbitò defecérunt, periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tuâ imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt: * et ego ad níhilum redáctus sum, et nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te, * et ego semper tecum.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 72.

TEnuísti manum déxteram meam, et in voluntáte tuâ deduxísti me, * et cum glóriâ suscepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo? * et à te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, et cor meum; * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce qui elóngant se à te, peribunt; * perdidísti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo, bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis filiæ Sion.

Glória Patri, etc.

Capitul. 1. *Joan.* 3.

VIdéte qualem charitátem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominémur et simus.

℟. *br.* Atténde de cœlo, Dómine: * Tu enim Pater noster es. *Is.* 63. *Repet.* Atténde.

℣. Adoptiónem filiórum Dei recépimus. *Gal.* 4. * Tu enim. Glória Patri. Atténde.

℣. Quómodò miserétur Pater filiórum,

℟. Misértus est Dóminus timéntibus se. *Ps.* 102.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutórium, etc.

2. D. PSALMUS 114.

Christus mortis victor; æternæ vitæ desiderium.

DIlexi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem suam mihi, * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et pericula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni, * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam; * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus, * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia eripuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Glória Patri, etc.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; quia Dóminus benefécit tibi.

8. G. PSALMUS 120.

Dominus custos Ecclesiæ suæ providet.

LEvávi óculos meos in montes, * undè véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo; * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum, et éxitum tuum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória Patri, etc.

Antiph. Levávi óculos meos in montes: auxílium meum à Dómino.

1. a. PSALMUS 123.

Ecclesiæ, per Dei providentiam, à periculis ereptæ gratiarum actio.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israël, * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra, * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra, sicut passer, erépta est * de láqueo venántium;

Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum et terram.

Glória Patri, etc.

Ant. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

5. a. PSALMUS 125.

Apostolorum labores multi, sed messis abundans.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * et lingua nostra exultatióne;

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Glória Patri, etc.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: facti sumus lætántes.

6. F. PSALMUS 136.

Flebilis captivi populi querimonia, dùm recordaretur Sion.

SUper flúmina Babylónis illic sédimus et flé-

vimus, * cùm recordarémiur Sion.

In salícibus, in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra:

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos, * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodò cantábimus cánticum Dómini * in terrâ aliénâ?

Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea:

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non meminero tuî,

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem;

Qui dicunt, Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in eâ.

Fília Babylónis mísera, * beátus qui retribuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis:

Beátus qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Glória Patri, etc.

Ant. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non proposúero Jerúsalem in princípio lætítiæ meæ.

Capitul. 1. *Petr.* 1.

BEnedíctus Deus qui secúndùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos in hæreditátem immarcessíbilem, conservátam in cœlis in vobis.

HYMNUS.

JActámur heu quot flúctibus!
Spes una de cœlis nitet:
Illuc et ora tóllimus,
Et míttimus suspíria.

Tu vota præcúrris, Pater,
Magnámque proténdis manum;
Jam fulta tanto róbore
Surgit potens infírmitas.

Quæ sæva nos premunt mala
Vinces malis poténtior:
Te nostra duræ séntiet
Mens servitútis víndicem.

Quin vile corpus, Fílii
Fulgóre donábis tui:
At illa venális patet
Multo labóre glória.

Felix labor quem récreas

Tàm spléndidâ rerum
vice!
Fletu quis ætérnum brevi
Neget pacísci gáudium?
Sit laus Patri, laus Filio;
Utrúmque qui nectis,
Deus,
Utrique compar, sit tibi
Laus sempitérna, Spíritus. Amen.

℣. Elégit nobis hæreditátem suam,

℟. Spéciem Jacob quam diléxit. *Ps.* 46.

Ad Magn. *Ant.* 7. c.

Magníficat ánima mea Dóminum, quia fecit mihi magna qui potens est. *Luc.* 1.

Oratio propria cum terminatione ordinariâ, deindè suffragia seu Commemorationes communes ut infrà, si non dicantur preces; si verò dicendæ sint, statim post Ant. ad Magn. *et ante Orat. eædem quæ ad Laudes ponuntur, dicentur; deindè suffragia ut infrà.*

De sanctâ Cruce.

Ant. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6.

℣. Ipse enim est pax nostra,

℟. Solvens inimicítias in carne suâ. *Eph.* 2.

OREMUS.

ADésto nobis, Dómine Deus noster, et præsta ut qui in cruce gloriámur, Christo crucifixo compatiéntes conglorificémur.

De Sanctâ Mariâ.

Ant. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13.

℣. Invoca Dóminum,

℟. Lóquere regi pro nobis. *Esther.* 15.

OREMUS.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium, ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus.

De Patrono.

Ant. et versus de Communi vel Proprio de secundis Vesperis.

OREMUS.

EJus (*vel*, Eórum), apud te, Dómine, sentiámus auxílium de cujus (*vel*, quórum), patrocínio gaudémus.

De omnibus Sanctis.

Ant. Hi sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7.

℣. Gaudéte et exultáte,

℟. Merces vestra multa est in cœlo. *Luc.* 6.

OREMUS.

IMplórent pro nobis misericórdiam tuam, Deus, omnes Sancti, et précibus eórum concéde, ut eórum exémpla imitántes, cum ipsis coronári mereámur.

De Pace.

Ant. Deus meminerit testaménti sui, et fáciat pacem, nec déserat in témpore malo. 2. *Mach*. 1.

℣. Fiat pax in virtúte tuâ,

℟. Et abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121.

OREMUS.

DEus à quo sancta desidéria, recta consilia, et justa sunt ópera, da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla. Per.

AD COMPLETORIUM

Convérte nos, etc.

4. a. PSALMUS 6.

Oratio pœnitentis misericordiam Dei implorantis.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in irâ tuâ corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum; * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam

Quóniam non est in morte, qui memor sit tuî, * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo; lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus; * invete-

rávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs meî.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur et erubéscant valdè velóciter.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 7.

Salus justos manet; malos interitus.

DOmine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándò rápiat ut leo ánimam meam, * dùm non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud; * si est iníquitas in mánibus meis.

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis;

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terrâ vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in irâ tuâ, * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, * in præcépto quod mandásti.

Et synagóga populórum circúmdabit te; * et propter hanc in altum regrédere.

Dóminus júdicat pópulos: * júdica me, Dómine, secúndùm justítiam meam, et secúndùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum; * et díriges justum, scrutans corda et renes, Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 7.

DEus judex justus, fortis et pátiens; * numquid irâscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit;

* arcum suum teténdit, et parávit illum:

Et in eo parávit vasa mortis; * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam; * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum; * et íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus; * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Glória Patri, etc.

HYMNUS.

GRates, peracto jam die,
Deus, tibi persólvimus;
Pronóque, dùm nox íncipit,
Prostérnimus vultu preces.

Quod longa peccávit dies
Amárus éxpiet dolor,
Somno gravátis ne nova
Infligat hostis vúlnera.

Inféstus usquè círcuit
Quærens leo quem dévoret;
Umbrâ sub alárum tuas:
Defénde fílios, Pater.

O quandò lucéscet tuus
Qui nescit occásum dies!
O quandò sancta se dabit
Quæ nescit hostem pátria!

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

Capitul. 1. *Thess.* 5.

SIve vigilémus, sive dormiámus, simul cum (Christo) vivámus.

℟. Deo grátias.

℣. Custódi (nos, Dómine), ut pupillam óculi.

℟. Sub umbrâ alárum tuárum prótege (nos).

Ps. 16.

CANTICUM SIMEONIS.

8. G. *Luc.* 2.

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum;

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri, etc.

Ant. Scuto circúmda-

bit te véritas (Dómini), non timébis à timóre noctúrno. *Ps.* 90.

Si dictæ sunt preces ad Vesperas, preces sequentes dicuntur flexis genibus.

Omittuntur autem in Duplicibus, Semiduplicibus, intrà Octavas, et in Sabbato.

PRECES.

KYrie, eléïson; Christe, eléïson; Kyrie, eléïson.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem:

℟. Sed líbera nos à malo.

Credo, *secretò.*

℣. Carnis resurrectiónem,

℟. Vitam ætérnam. Amen.

Confíteor.

Misereátur.

Indulgéntiam. †

℣. Consérva me, Dómine,

℟. Quóniam sperávi in te. *Ps.* 15.

℣. Illúmina, Dómine, óculos meos,

℟. Ne unquàm obdórmiam in morte. *Ps.* 12.

℣. Non regnet peccátum

℟. In nostro mortáli corpóre. *Rom.* 6.

℣. In manus tuas, Dómine,

℟. Commémdo spíritum meum. *Ps.* 30.

℣. Dómine, exáudi oratiónem, etc.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

ILlúmina quæsumus, Dómine, ténebras nostras, et totíus noctis insídias tu à nobis repélle propítius; Per, etc.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino, etc.

℣. Fidélium ánimæ, etc. *Antiph. B. M. V. pro Tempore.*

FERIA TERTIA.

FINIS OFFICII.

Mutua proximi dilectio.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

DOmine, lábia mea, etc.

Invit. Deum pacis et dilectiónis,* Veníte, adorémus. 2. *Cor.* 13.

Psalm. Veníte, exultémus, etc.

HYMNUS.

JUbes: et, in præceps aquis
Repénte confluéntibus,
Prodit sub auras húmidis
Exúta velis árida.

Hanc tu coléndam qui tuis,
Pater, dedísti fíliis,
Quos orbis unus cóntinet,
Fac una jungat cháritas.

Nunc exulámus; sed tuam
Mox congregábis in domum
Te Patre dignos, qui pio
Amóre fratres vícerint.

At, qui malígnis ártibus
Linguísque lædunt próximum,
A te repélles: hoc genus
Cœléstis aula non capit.

En ipsa tellus ímprobos
Dudùm labórans sústinet,
Ardétque non suæ jugo
Corruptiónis éximi.

Adoptiónem nos quoque
Efflagitámus íntegram,
Cui nos sacráto Spíritus
Prædestinávit pígnore.

* Ætérna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Diffúsa per quem córdibus
Fratérna regnat cháritas. Amen.

I°. N°. PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis salus obtineatur.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet

cet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine máculâ, * et operátur justítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in linguâ suâ;

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus; * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, et non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

In Offic. 9 *Lectionum dicitur* Glória Patri, etc. *deindè Ant.* Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo?

PSALMUS 18.

Creaturæ omnes omnipotentiam Creatoris prædicant.

COEli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * et in fines orbis terræ verba eórum:

In sole pósuit tabernáculum suum; * et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo;

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à summo cœlo egréssio ejus;

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri; *deindè Ant.* Cœli enárrant glóriam Dei, et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Divisio Psalmi 18.

LEx Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum, * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea : * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit ? * ab occúltis meis munda me, et ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint domináti, * tunc immaculátus ero, et emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei ; * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Dómine, quis requiéscet in monte sancto tuo ? qui ingréditur sine máculâ, et operátur justítiam.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda.

II°. N°. Psalmus 71.

Christi regnum pacificum, amplum, felixque.

Deus, judícium tuum Regi da, * et justítiam tuam fílio Regis ;

Judicáre pópulum tuum in justítiâ, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum, * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus, * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis ; * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * et à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coràm illo prócident Æthiopes, * et inimíci ejus terram lingent.

In Offic. 9 *Lect.* Gló-

ria Patri, *et Ant.* Dominábitur à mari usque ad mare, et à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Divisio Psalmi 71.

REges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent; * Reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei;

Quia liberábit páuperem à poténte, * et páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et inopi; * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum; * et honorábile nomen eórum coràm illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terrâ in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus: * et florébunt de civitáte, sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula, * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum; * et replébitur majestáte ejus omnis terra; fiat, fiat.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, *et Ant.* Benedíctus Dóminus Deus Israël, qui facit mirabília solus.

PSALMUS 100.

Misericordiæ et justitiæ divinæ laus, benè vivendi norma.

MIsericórdiam et judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam et intélligam in viâ immaculátâ, * quandò vénies ad me.

Perambulábam in innocéntiâ cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam, * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum, * declinántem

à me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secrétò próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum; * ámbulans in viâ immaculátâ, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Non adhæsit mihi cor pravum; detrahéntem próximo suo, hunc persequébar.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Misericórdiam et judícium cantábo tibi, Dómine.

III°. N°. PSALMUS 106.

Deus suos bonis cumulare amat.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci;

Et de regiónibus congregávit eos, * à solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari.

Erravérunt in solitúdine, in inaquóso, * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esuriéntes et sitiéntes, * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur; * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia satiávit ánimam inánem, * et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris et umbrâ mortis, * vinc-

tos in mendicitáte et ferro ;

Quia exacerbavérunt elóquia Dei , * et consílium Altíssimi irritavérunt :

Et humiliátum est in labóribus cor eórum ; * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret :

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur, * et de necessitátibus eórum liberávit eos :

Et edúxit eos de ténebris et umbrâ mortis , * et víncula eórum disrúpit.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc. *et Ant.* Confitémini Dómino , quóniam bonus; quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Divisio Psalmi 106.

CONfiteántur Dómino misericórdiæ ejus ,* et mirabília ejus fíliis hóminum ,

Quia contrívit portas æreas , * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de viâ iniquitátis eórum : * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominâta est ánima eórum; * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur; * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos; * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum ;

Et sacríficent sacrifícium laudis , * et annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis ;

Ipsi vidérunt ópera Dómini , * et mirabília ejus in profúndo.

Dixit : et stetit spíritus procéllæ ;* et exaltáti sunt fluctus ejus :

Ascéndunt usque ad cœlos, et descéndunt usque ad abyssos; * ánima eórum in malis tabescébat :

Turbáti sunt , et moti sunt sicut ébrius; * et omnis sapientia eórum devoráta est :

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur; * et de necessitátibus eórum edúxit eos:

Et státuit procéllam ejus in auram, * et siluérunt fluctus ejus:

Et lætáti sunt quia siluérunt: * et dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc. *et Ant.* Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum.

Altera divisio Psalmi 106.

CONfiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum:

Et exáltent eum in ecclésiâ plebis, * et in cáthedrâ seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum, * et éxitus aquárum in sitim:

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítiâ inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum, * et terram sine aquâ in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes; * et constituérunt civitátem habitatiónis;

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas: * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, et multiplicáti sunt nimis; * et juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt, * et vexáti sunt à tribulatióne malórum, et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * et erráre fecit eos in ínvio, et non in viâ.

Et adjúvit páuperem de inópiâ, * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et lætabúntur: * et omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, et custódiet hæc? * et intélliget misericórdias Dómini?

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Satiávit ánimam inánem, et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

mus invicem, Deus in nobis manet:

℟. In hoc cognóscimus quóniam in eo manémus. 1. *Joan.* 4.

In Offic. Fer. ℣. *Sacerd.* Hoc est mandátum Dómini, ut diligámus altérutrum. 1. *Joan.* 3.

℟. Diligámus nos invicem, quia cháritas ex Deo est. 1. *Joan.* 4.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium, etc.

Psalmus 23.

Dei in omnia dominium et regnum.

DOmini est terra, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * et misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles; * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles; * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri, etc.

Ant. Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo, hic accípiet misericórdiam àDómino.

Psalmus 84.

Finis captivitatis; terris oriuntur misericordiæ et veritas.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ, * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram

tuam, * avertisti ab irâ indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster, * et avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos; * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, * et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terrâ nostrâ.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi; * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terrâ orta est, * et justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * et ponet in viâ gressus suos.

Glória Patri, etc.

Ant. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus, quóniam loquétur pacem in plebem suam.

PSALMUS 96.

Soli Deo laus, quia solus Dominus; sculptilia vanitas.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus; * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

Audívit, et lætáta est Sion, et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Qui dilígitis Dóminum, odíte malum.

In Offic. Ferial. dicitur Canticum Ezechiæ.

Ezechias à morte sibi per Isaïam comminatâ liberatus, gratias Deo canit. Isaïæ. 38.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terrâ vivéntium: * non aspíciam hóminem ultrà, et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, et convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est, velut à texénte, vita mea; dùm adhuc ordírer, succídit me: * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea: * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic clamábo, * meditábor ut colúmba.

Attenuáti sunt óculi mei, suspiciéntes in excélsum: * Dómine, vim pátior, respónde pro me.

Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritûs mei, * corrípies me, et vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo

mea amarissima: * tu autem eruísti ánimam meam, ut non periret.

Projecísti post tergum tuum * ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te: * non expectábunt, qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut et egò hódiè: * pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac; et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Glória Patri, etc.

Ant. Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, Dómine; pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

In Semidupl. et Simpl. loco superioris Cantici dicitur sequens:

Canticum. *Eccli.* 36.

Super Israël invocat Dei misericordiam; optat ut manifestetur veritas.

Miserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos, * et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum.

Et immítte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te; * ut cognóscant quia non est Deus, nisi tu, et enárrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspéctu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspéctu nostro magnificáberis in eis;

Ut cognóscant te, * sicut et nos cognóvimus quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa, et immúta mirabília: * glorífica manum, et bráchium dextrum.

Excita furórem, et effúnde iram: * tolle adversárium, et afflige inimícum.

Festina tempus, et meménto finis, * ut enárrent mirabília tua.

In irâ flammæ devorétur qui salvátur; * et qui péssimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * di-

céntium : Non est álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognóscant quia non est Deus, nisi tu, et enárrent magnália tua :

Et hæreditábis eos, * sicut ab initio.

Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum, * et Israël quem coæquásti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * et glóriâ tuâ pópulum tuum.

Glória Patri, etc.

Ant. Miserére plebi tuæ super quam invocátum est nomen tuum.

PSALMUS 150.

Deus omni musicæ genere laudandus.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério et cítharâ.

Laudáte eum in tympano et choro : * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, etc.

Ant. Laudáte Dóminum in sanctis ejus, laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capitul. Eph. 5.

EStóte imitatóres Dei, sicut filii charíssimi, et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos.

HYMNUS.

TE príncipem summo, Deus,
Jubes amóre diligi :
Tibi secúndùm tu simul
Jubes amári próximum.
Amóre fundátam tuo
Communiónem réspice,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unum cor, una mens sumus.
Illam fides et véritas
Amábili stipant choro ;

Obliquus hinc livor procul
Et litis ardor éxulant.

Tu pacis auctor mútuos
Astringe nexus : da, Pater,
Gaudére fratrum gáudiis,
Da condolére flétibus.

* Ætérna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Qui moris unius sacrâ
Nos pacis in domo locat.
Amen.

℣. Ego cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam:

℟. Et exultábo manè misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

Ad Bened. *Ant.*

Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet, et scándalum in eo non est. 1. *Joan.* 2.

Si preces dicendæ sunt, dicuntur ut Feriâ II.

AD PRIMAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm lucis orto sídere, etc.

PSALMUS 34.

Ab hostibus liberari deprecatur justus.

JUdica, Dómine, nocéntes me : * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma et scutum, * et exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, et conclúde advérsùs eos qui persequúntur me ; * dic ánimæ meæ, Salus tua ego sum.

Confundántur et reveреántur * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsùm, et confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * et Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ et lúbricum; * et Angelus Dómini pérsequens eos ;

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui, * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat; et cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum, * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis similis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum et páuperem à diripiéntibus eum.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 34.

SUrgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam, * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens et contristátus, sic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti sunt, et convenérunt: * congregáta sunt super me flagélla, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti; tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quandò respícies? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésiâ magnâ: * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè, * qui odérunt me gratis, et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur; * et in iracúndiâ terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum, * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas: * Dómine, ne discédas à me.

Glória Patri, etc.

Altera Divisio Psalmi 34.

EXúrge, et inténde judício meo, * Deus meus et Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secúndùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis, Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant, Devorávimus eum.

Erubéscant et reverevántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne et reveréntiâ, * qui magna loquúntur super me.

Exúltent et lætén tur qui volunt justítiam meam; * et dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Glória Patri, etc.

Cætera omnia ut Feriâ II.

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium, etc.

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus, etc.

Psalmus 25.

Puræ conscientiæ suave testimonium.

Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntiâ meâ ingréssus sum; * et in Dómino sperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me: * ure renes meos et cor meum;

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est; * et complácui in veritáte tuâ.

Non sedi cum concílio vanitátis, * et cum iniqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas; * et circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam;

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntiâ meâ ingréssus sum: * rédime me, et miserére meî.

Pes meus stetit in dirécto: * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 49.

Dominium Dei in omnia; non ex cæsis victimis, sed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus est; * et vocávit terram à solis ortu usque ad occásum.

Ex Sion, * spécies decóris ejus.

Deus manifésté véniet, * Deus noster, et non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet, * et in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cœlum desúrsùm, et terram, * discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testaméntum ejus super sacrificia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, et loquar; Israël, et testificábor tibi: * Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te; * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tuâ vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis, * et redde altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis; * éruam te, et honorificábis me.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 49.

PEccatóri autem dixit Deus: * Quarè tu enárras justítias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu verò odísti disciplínam; * et projecísti sermónes meos retrórsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo, * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ; * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris, et advérsùs fílium matris tuæ ponébas scándalum; * hæc fecísti, et tácui.

Existimásti, iníque, quòd ero tuî símilis: * árguam te, et státuam contrà fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum; * nequándò rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me; * et illic iter quo osténdam illi salutáre Dei.

Glória Patri, etc.

Capitul. Coloss. 3.

INdúite vos, sicut elécti Dei, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam ..... super ómnia autem hæc charitátem habéte.

℟. *br.* Si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, * Charitátem autem non habúero, nihil sum. Si habúero.

℣. Et si tradídero corpus meum, ita ut árdeam, * Charitátem autem non habúero, etc. 1. *Cor.* 13.

Glória Patri. Si habúero omnem.

℣. Quæcúmque vultis ut fáciant vobis hómines,

℟. Et vos, fácite illis. *Matt.* 7.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm solis excélsum jubar, etc.

PSALMUS 36.

Bonorum et malorum dispares sunt spes et exitus.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem;

Quóniam tanquam fœnum velóciter aréscent, * et quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino et fac bonitátem; * et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam

tuam

tuam, et spera in eo; * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, et judícium tuum tanquam merídiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in viâ suâ, * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab irâ, et derelinque furórem : * noli æmulári, ut malignéris ;

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur : * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusillum, et non erit peccátor; * et quæres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * et delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum ; * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres; * intendérunt arcum suum ;

Ut dejíciant páuperem et ínopem, * et trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum : * et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas ;

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur : * confírmat autem justos Dóminus.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 36.

NOvit Dóminus dies immaculatórum ; * et hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, et in diébus famis saturabúntur; * quia peccatóres peribunt.

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint et exaltáti, * deficiéntes, quemádmodùm fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet; * justus autem miserétur, et tríbuet;

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram ; * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gres-

sus hóminis dirigéntur, * et viam ejus volet.

Cùm ecciderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui; * et non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, et cómmodat: * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, et fac bonum; * et inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelínquet sanctos suos: * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur; * et semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * et inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Glória Patri, etc.

Altera Divisio Psalmi 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * et non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * et quærit mortificáre eum;

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus, * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expécta Dóminum, et custódi viam ejus; et exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat; * et quæsivi eum, et non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide æquitátem; * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem disperíbunt simul; * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino; * et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, et liberábit eos, * et éruet eos à peccatóribus, et salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Glória Patri, etc.

Capitul. 1. *Joan.* 3.

QUi habúerit substántiam hujus mundi, et víderit fratrem suum necessitátem habére, et cláuserit víscera sua ab eo; quómodò cháritas Dei manet in eo?

℟. *br.* Jucúndus homo * Qui miserétur et cómmodat. Jucúndus homo, etc.

℟. In ætérnum non commovébitur. *Ps.* 111. * Qui miserétur. Glória Patri. Jucúndus homo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus.

℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, etc.

Hymnus.

LAbénte jam solis rotâ, etc.

Psalmus 108.

Christus Judæ proditori, aliisque impiis dignas pœnas prædicit.

DEus, laudem meam ne tacúeris, * quia os peccatóris, et os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsùm me linguâ dolósâ, et sermónibus ódii circumdedérunt me, * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsùm me mala pro bonis, * et ódium pro dilectióne meâ.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 108.

COnstitue (Dómine) super eum peccatórem; * et diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci; * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * et uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus et mendícent, * et ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus: * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor, * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in inté-

ritum : * in generatióne unâ deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iniquitas patrum ejus in conspéctu Dómini ; * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contrà Dóminum semper, et dispéreat de terrâ memória eórum ; * pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam,

Et persecútus est hominem ínopem et mendícum, * et compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei ; * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum ; * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum quo operítur, * et sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * et qui loquúntur mala advérsùs ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum ; * quia suávis est misericórdia tua.

Glória Patri, etc.

Altera Divisio Psalmi 108.

LIbera me, quia egénus et pauper ego sum ; * et cor meum conturbátum est intrà me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus sum ; * et excússus sum sicut locústæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio, * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus, * salvum me fac secúndùm misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc ; * et tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces : * qui insúrgunt in me confundántur ; servus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre ; * et operiántur sicut diplóïde confusióne suâ.

Confitébor Dómino ni-

mis in ore meo, * et in médio multórum laudábo eum;

Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meam.

Glória Patri, etc.

Capitul. 1. Thess. 5.

VIdéte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectámini in invicem, et in omnes.

℟. *br.* Pater, dimitte nobis* Débita nostra. Pater.

℣. Sicut et nos dimíttimus. * Débita nostra. *Matt.* 6.

Glória Patri. Pater, dimitte, etc.

℣. Si réddidi retribuéntibus mihi mala,

℟. Décidam méritò ab inimícis meis inánis. *Ps.* 7.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutórium, etc.

3. à. Psalmus 119.

Justus patiens; vitæ præsentis miserias luget.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi;* et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * et à linguâ dolósâ.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri, etc.

Ant. Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus.

6. F. Psalmus 121.

Ecclesiæ concordia, pietas et dotes celebrantur.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem;

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini ; * testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem ; * et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tuâ, * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Glória Patri, etc.

Ant. Propter fratres meos et próximos meos, loquébar pacem.

4. d. Psalmus 132.

Fraternæ charitatis beatitudo.

Ecce quàm bonum et quàm jucúndum * habitáre fratres in unum !

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aáron;

Quod descéndit in oram vestiménti ejus : * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion ;

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in sæculum.

Glória Patri, etc.

Ant. Quàm bonum et quàm jucúndum habitáre fratres in unum !

5. c. Psalmus 140.

In adversis patientia.

Dómine, clamávi ad te, exáudi me ; * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo : * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis ;

Cum homínibus operántibus iniquitátem ; * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdiâ, et increpábit me : * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum ;

Quóniam adhuc et o-

rátio mea in beneplácitis eórum: * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum:

Audient verba mea, quóniam potuérunt: * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram;

Dissipáta sunt ossa nostra secùs inférnum, * quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * et à scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Glória Patri, etc.

Ant. Corrípiet me justus in misericórdiâ, et increpábit me.

1. f. Psalmus 141.

Ab impiis liberari et Deo frui poscit anima fidelis.

VOce meâ ad Dóminum clamávi; * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum;

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio;

In deficiéndo ex me spíritum meum; * et tu cognovísti sémitas meas.

In viâ hâc quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam; * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine: * dixi, Tu es spes mea, pórtio mea in terrâ vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me, * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódiâ ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo: * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Glória Patri, etc.

Ant. Me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Capitul. 1. *Cor.* 12.

SI quid pátitur unum membrum, compatiúntur ómnia membra; sive gloriátur unum membrum, congáudent ómnia

membra : vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.

HYMNUS.

INgráta gens mortálium,
Mores profános míttite ;
Et prona legi Núminis
Vovére corda díscite.
Quod terra clamat, et polus,
Natúra quod cunctos docet,
Quod lex Tonántis præcipit,
Amáre Numen díscite.
Omnes jubet quos cóndidit
Ætérnus ómnium Parens,
Amóre necti mútuo;
Amáre fratres díscite.
Perénne pondus glóriæ,
Et pura cœli gáudia
Præférte nugis sæculi ;
Amáre vosmet díscite.
* Præsta, beáta Trínitas,
Ut legis ad fáciem tuæ
Vitémus omne quod vetas.

℟. In die malâ liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

Ad Magn. *Ant.* 7. c. Transláti sumus de morte ad vitam, quóniam diligimus fratres : qui non diligit manet in morte. 1. *Joan.* 3.

AD COMPLETORIUM.

Convérte nos, etc.

℣. Deus, in adjutórium, etc.

4. a. PSALMUS 12.

Animæ fidelis in tribulatione ad Deum deprecatio.

USquequò, Dómine, obliviscéris me in finem? * úsquequò avértis fáciem tuam à me?

Quándiù ponam consília in ánimâ meâ, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos

ultábunt si motus fúero;* ego autem in misericórdiâ tuâ sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 31.

Pia adhortatio, ut quisque se à peccatis abstrahat.

BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea; * dùm clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua; * convérsus sum in ærúmnâ meâ, dùm configitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino; * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hâc orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in viâ hâc quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In chamo et fræno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exultáte, justi; * et gloriámini, omnes recti corde.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 78.

Urbis et templi vastitas; persecutiones prædictæ.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, * polluérunt templum sanctum tuum, posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt mortícina servórum tuórum escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem; * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris; * subsannátio et illúsio his qui in circúitu nostro sunt:

Usquequò, Dómine, irascéris in finem; * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * et in regna quæ nomen tuum non invocavérunt:

Quia comedérunt Jacob, * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster, et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos; * et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus: Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coràm óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est: * intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndùm magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum;

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum; * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ; * confitébimur tibi in sæculum.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam. Gl. Pa.

HYMNUS.

GRates, perácto jam die, etc. *ut sup. fer.* 2.

FERIA QUARTA.

FINIS OFFICII.

Spes in Deo collocanda.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

DOmine, lábia mea, etc.

Invitat. Deum spei, * Venite, adorémus. 2. *Cor.* 13.

HYMNUS.

MIrámur, ô Deus, tuæ
Recens opus poténtiæ,
Quæ scripta scintillántibus
Refúlget astrórum globis.

Ut sol diéi, cándida
Sic luna nocti præsidet:
Cœlósque stellárum novus
Ornat micans exércitus.

At ipse, cœlórum decus,
Sol novit occásus suos;
Sunt certa lunæ témpora,
Statíque lapsus síderum.

Jugi rotáta túrbine
Furántur et reddunt diem:
Tu semper idem, pérmanens
Noctu diúque prænites.

Turbáta quid, mens, flúctuas?
Patérna cura te regit;
Fac quod tibi jubet Deus,
Ætérna te salus manet.

Supréma laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Suo repóni qui sinu
Quascúnque curas ímperat. Amen.

I°. N°. PSALMUS 9.

Impiorum eversor Deus, et defensor pauperum.

COnfitébor, tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor et exultábo in te; * psallam nómini tuo, Altíssime.

In convertendo inimícum meum retrórsum: *

infirmabúntur, et períbunt à fácie tuâ.

Quóniam fecísti judícium meum et causam meam; * sedísti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpásti gentes, et périit ímpius: * nomen eórum delésti in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * et civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu; * et Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítiâ.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum, * quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes stúdia ejus;

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est; * non est oblítus clamórem páuperum.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc.

Ant. Psállite Dómino qui hábitat in Sion; annuntiáte inter gentes stúdia ejus.

Divisio Psalmi 9.

MIserére meî, Dómine; * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis; * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo; * infíxæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum: * omnes gentes quæ oblivíscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis, * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo: * judicéntur géntes in conspéctu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos, * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc.

Ant. Cognoscétur Dóminus judícia fáciens.

Altera Divisio Psalmi 9.

UT quid, Dómine, recessísti longè? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dùm supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant;

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor; * secúndùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus; * inquinátæ sunt viæ illius in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo, * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo: * sub linguâ ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúncâ suâ.

Insidiátur ut rápiat páuperem; * rápere páuperem, dùm áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum: * inclinábit se, et cadet cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus; * avértit fáciem suam ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus; exaltétur manus tua: * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides quóniam tu labórem et dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper :* órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris et malígni :* quærétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, et in sæculum sæculi : * peribitis, gentes, de terrâ illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupíllo et húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Sperent in te qui novérunt nomen tuum, quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua, ne obliviscáris páuperum.

II°. N°. PSALMUS 77.

Beneficia Judæis præstita.

ATténdite, pópule meus, legem meam ; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum ; * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, et cognóvimus ea ; * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne álterâ.

Narrántes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob, * et legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris, nota fácere ea fíliis suis, * ut cognóscat generátio áltera :

Fílii qui nascéntur, et exúrgent, * et narrábunt fíliis suis.

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscántur óperum Dei, * et mandáta ejus exquírant;

Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava et exásperans :

Generátio quæ non diréxit cor suum, * et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc.

Ant. Quanta audívimus et cognóvimus ea,

et patres nostri narravérunt nobis.

Divisio Psalmi 77.

FIlii Ephrem intendéntes et mitténtes arcum * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei, * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quæ osténdit eis :

Coràm pátribus eórum fecit mirabília in terrâ Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perdúxit eos, * et státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi, * et totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * et adaquávit eos velut in abysso multâ.

Et edúxit aquam de petrâ, * et dedúxit tanquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt in excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et malè locúti sunt de Deo; * dixérunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto?

Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, * et torréntes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideò audívit Dóminus, et dístulit; * et ignis accénsus est in Jacob, et ira ascéndit in Israël;

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas cœli apéruit,

Et pluit illis manna ad manducándum, * et panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo : * cibária misit eis in abundántiâ.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc.

Ant. Interrúpit mare, et perdúxit eos, et státuit aquas quasi in utre.

Altera Divisio Psalmi 77.

TRánstulit (Dóminus) Austrum de cœlo; *

et indúxit in virtúte suâ Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * et sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, et saturáti sunt nimis: et desidérium eórum áttulit eis, * non sunt fraudáti à desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * et ira Dei ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et eléctos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * et non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * et anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum, * et revertebántur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * et Deus excélsus redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * et linguâ suâ mentíti sunt ei:

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus.

Ipse autem est miséricors, et propítius fiet peccátis eórum, * et non dispérdet eos.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Fílii qui nascéntur, narrábunt fíliis suis, ut ponant in Deo spem suam.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Ipse est miséricors, et propítius fiet peccátis eórum, et non dispérdet eos.

III°. N°. *Ex Psal.* 77. Et

ABundávit (Dóminus) ut avérteret iram suam, * et non accéndit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto? * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et convérsi sunt, et tentavérunt Deum, * et Sanctum Israël exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit

démit eos de manu tribulántis :

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * et prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam, et comédit eos; * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * et labóres eórum locústæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * et moros eórum in pruínâ.

Et trádidit grándini juménta eórum, * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ; * indignatiónem, et iram, et tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, non pepércit à morte animábus eórum, * et juménta eórum in morte conclúsit;

Et percússit omne primogénitum in terrâ Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc.

Ant. Abundávit Dóminus ut avérteret iram suam, et non accéndit omnem iram suam.

Divisio Psalmi 77. Et

ABstulit (Dóminus) sicut oves pópulum suum, * et perdúxit eos tanquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, et non timuérunt; * et inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis;

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israël.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excélsum; * et testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum; * quemádmodùm patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt

eum in cóllibus suis, * et in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, et sprevit; * et ad níhilum redégit valdè Israël.

Et répulit tabernáculum Sion, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus :

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum, * et hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis, * et vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * et víduæ eórum non plorabántur.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc.

Ant. Abstulit Dóminus sicut oves pópulum suum, et perdúxit eos tanquam gregem in desérto.

Altera Divisio Ps. 77. Et

EXcitátus est tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino :

Et percússit inimícos suos in posterióra, * oppróbrium sempitérnum dedit illis :

Et répulit tabernáculum Joseph, * et tribum Ephraïm non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terrâ * quam fundávit in sæcula ;

Et elégit David servum suum, et sústulit eum de grégibus óvium : * de post fœtántes accépit eum,

Páscere Jacob servum suum, * et Israël hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntiâ cordis sui, * et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect.* *Ant.* Dedúxit eos in spe, et non timuérunt.

In Offic. 9 *Lect.* *Ant.* Excitátus est tanquam dórmiens Dóminus, tanquam potens crapulátus à vino.

In Fer. ℣. Ecce non dormitábit neque dórmiet,

℟. Qui custódit Israël. *Ps.* 120.

In Feriis. ℣. *Sacerd.* Bonus est Dóminus sperántibus in eum. *Thren.* 3.

℟. Refúgium meum Deus meus, sperábo in eum. *Ps.* 90.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium, etc.

Psalmus 5.

Contrà malignos auxilium deprecatur justus.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci orationis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo, * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, et vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxtà te malignus, * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus; * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítiâ tuâ: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætén tur omnes qui sperant in te; * in ætérnum exultábunt, et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Glória Patri, etc.

Ant. Lætèntur omnes qui sperant in te, Dómine; in ætérnum exultábunt, et habitábis in eis.

PSALMUS 35.

Impiorum malitia; justitia Dei; Justorum gloria.

DIxit injústus, ut delínquat in semetipso: * Non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolósè egit in conspéctu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, et dolus; * nóluit intellígere, ut benè ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo; * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo misericórdia tua, * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei: * judícia tua abyssus multa.

Hómines, et juménta salvábis, Dómine, * quemádmodùm multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ; * et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ, * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ, * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem; * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Glória Patri, etc.

Ant. In tégmine alárum tuárum sperábunt, Dómine, et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

PSALMUS 64.

Dei providentia quantùm in homines benefica.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum præ-

valuérunt super nos; * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, et assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longè;

Præparans montes in virtúte tuâ, accínctus poténtiâ; * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos, à signis tuis: * éxitus matutíni et vésperæ delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam; * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis; * parásti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus, * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti, * et exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent. Glória Patri, etc.

Ant. Exáudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium fínium terræ.

In Feriis Cantic. Is. 12.

Laus et gratiarum actio pro liberatione et beneficiis Christi Salvatoris.

CONfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérsus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus; * fiduciáliter agam, et non timébo.

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; * et dicétis in die illâ: Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * me-

mentóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit : * annuntiáte hoc in univérsâ terrâ.

Exúlta et lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî sanctus Israël.

Glória Patri, etc.

Ant. Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo.

(*In Semidupl. et Simpl. dicitur Canticum.*)

Tob. 13.

Tobias senior benedicit ac gratias agit Domino; et universos ad idipsum hortatur, etiam in afflictione.

MAgnus es, Dómine, in ætérnum, * et in ómnia sæcula regnum tuum.

Quóniam tu flagéllas, et salvas; dedúcis ad ínferos, et redúcis; * et non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Israël, * et in conspéctu géntium laudáte eum;

Quóniam ideò dispérsit vos inter gentes quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus.

Et faciátis scire eos, * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras; * et ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergò quæ fecit nobíscum, et cum timóre et tremóre confitémini illi; * regémque sæculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terrâ captivitátis meæ confitébor illi; * quóniam osténdit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini itaque, peccatóres, et fácite justítiam coràm Deo, * credéntes quòd fáciat vobíscum misericórdiam suam.

Ego autem, et ánima mea, * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes elécti ejus: * ágite dies lætítiæ, et confitémini illi.

Glória Patri, etc.

Ant. Benedícite Dóminum, omnes elécti ejus.)

PSALMUS 146.

Deus ex suâ in populum providentiâ celebratur.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus; * Deo nostro sit jucúnda decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus, * dispersiónes Israélis congregábit;

Qui sanat contrítos corde, * et álligat contritiónes eórum:

Qui númerat multitúdinem stellárum, * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus; * et sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cítharâ,

Qui óperit cœlum núbibus, * et parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * et herbam servitúti hóminum;

Qui dat juméntis escam ipsórum, * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum, * et in eis qui sperant super misericórdiâ ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Beneplácitum est Dómino super timéntes eum, et in eis qui sperant super misericórdiâ ejus.

Capitulum. Rom. 15.

QUæcúnque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt, ut per patiéntiam et consolatiónem scripturárum spem habeámus.

HYMNUS.

PRomíttis, et servas datam
Immóbilis fidem, Deus:
Hanc manè primo sédulâ
Repóscimus fidem prece.

Promíttit atque décipit
Incértus et fallax homo:
Sic quassa, si incúmbas super,
Arúndo transfiget manum.

Beátus ergò, qui tuo
Se totus abdit in sinu:
Hâc arce tutum túrbinis
Vis nulla de statu quatit.

Ne cor vacíllet, óbligas
Temet sacraménto, Deus:
Spes nixa tanto pignore
Ætérna jam prensat bona.

Jam mente præsúmens
polum,
Secúra sublími throno
Assístit, et cœléstium
Prælíbat undas flúminum.

Fons ô perénnis grátiæ,
Colénda semper Trínitas,
Te spem salútis únicam
Da mente totâ quærere.
Amen.

℣. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam,

℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 142.

Ad Benedict. *Ant.*

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; adjútor eórum, et protéctor eórum est. *Ps.* 113.

AD PRIMAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm lucis orto sídere, etc.

PSALMUS 30.

Vox Christi, et fidelium se Deo in mœrore committentium.

IN te, Dómine, sperávi,

Inclína ad me aurem tuam; * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in domum refúgii; * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu: * et propter nomen tuum dedúces me et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abscondérunt mihi, * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum: * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes supervácuè; * ego autem in Dómino sperávi.

Exultábo, et lætábor in misericórdiâ tuâ; * quóniam respexísti humilitátem meam, salvásti de necessitátibus ánimam meam;

Nec conclusísti me in mánibus inimíci; * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Glória Patri, etc.

conturbátus est in irâ óculus meus, ánima mea, et venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, et vicínis meis valdè; * et timor notis meis.

Qui vidébant me, foràs fugérunt à me: * oblivióni datus sum tanquam mórtuus à corde;

Factus sum tanquam vas pérditum; * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dùm convenírent simul advérsùm me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ:

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et à persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, * salvum me fac in misericórdiâ tuâ.

Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te; * erubéscant ímpii, et deducántur in inférnum.

Muta fiant lábia dolósa, * quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem, in supérbiâ, et in abusióne.

Glória Patri, etc.

Altera Divisio Ps. 30.

Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus, * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munitâ.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: * Projéctus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ, * dùm clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus; * quó-

niam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Glória Patri, etc.

Cætera omnia ut Feriâ secundâ.

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

O Fons amóris, Spíritus, etc.

PSALMUS 41.

Solatium justi, spes melioris vitæ.

QUemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quandò véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dùm dícitur mihi quotídiè, Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei,

In voce exultatiónis, et confessiónis, * sonus epulántis.

Quarè tristis es, ánima mea, * et quarè conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 41.

AD me ipsum ánima mea conturbáta est, * proptéreà memor ero tuî de terrâ Jordánis, et Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ: * dicam Deo, Suscéptor meus es.

Quarè oblítus es meì, et quarè contristátus in-

cédo, * dùm afflígit me inimícus?

Dùm confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Dùm dicunt mihi per síngulos dies: * Ubi est Deus tuus?

Quarè tristis es, anima mea, * et quarè contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 42.

Veritatis divinæ invocatio; spes in Domino collocanda.

JUdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sanctâ: * ab hómine iniquo et dolóso érue me;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quarè me repulísti? et quarè tristis incédo, dùm afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam; * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in citharâ, Deus, Deus meus: * quarè tristis es, ánima mea, et quarè contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Glória Patri, etc.

Capitul. Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, speráte in illum, et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia.

℟. *br.* Miserére meî, Deus, * Miserére meî.

Miserére meî.

℣. Quóniam in te confídit ánima mea. *Ps.* 56. * Miserére meî. Glória Patri. Miserére meî, Deus.

℣. Mirífica misericórdias tuas,

℟. Qui salvos facis sperántes in te. *Ps.* 16.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm solis excélsum jubar, etc.

PSALMUS 20.

Christi, post suum de inimicis triumphum, gratiarum actio.

DOmine, in virtúte tuâ lætábitur Rex; * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei, * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum:

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam Rex sperat in Dómino, * et in misericórdiâ Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in irâ suâ conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terrâ perdes, * et semen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum; * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tuâ; * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 102.

Laudandus Omnipotens ex operibus et beneficiis suis innumeris.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * et ómnia quæ intrà me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdiâ et miseratiónibus;

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israël voluntátes suas.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 102.

MIserátor et miséricors Dóminus, * longánimis, et multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur, * neque in ætérnum comminábitur:

Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuit nobis;

Quóniam secúndùm altitúdinem cœli à terrâ, * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantùm distat ortus ab occidénte, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodò miserétur pater filiórum, * misértus est Dóminus timéntibus se;

Quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum; * recordátus est quóniam pulvis sumus.

Homo, sicut fœnum dies ejus: * tanquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet, * et non cognóscet ámpliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in filios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus.

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam; * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino,

omnes virtútes ejus, * ministri ejus qui fácitis voluntátem ejus.

Benedicite Dómino, ómnia ópera ejus, * in omni loco dominatiónis ejus bénedic, ánima mea, Dómino.

Glória Patri, etc.

Capitul. 1. *Joan.* 3.

NUnc filii Dei sumus, et nondùm appáruit quid érimus. Scimus quóniam, cùm appartúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sícuti est, et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se.

℟. *br.* Quarè tristis es, ánima mea? * Spera in Deo. Quarè tristis es, etc.

℣. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis. *Ps.* 41. * Spera in Deo. Glória Patri. Quarè tristis es.

℣. Quàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum!

℟. Concupíscit ánima mea in átria Dómini. *Ps.* 83.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

LAbénte jam solis rotâ, etc.

PSALMUS 81.

Diis terræ excelsior, et eorum Judex Dominus.

DEus stetit in Synagógâ deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem, * et fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno et pupíllo; * húmilem et páuperem justificáte.

Erípite páuperem, * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii estis, * et filii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini, * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 93.

Deus superborum quondam vindex, etc. Justorum consolator.

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum lìberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram, * redde retributiónem supérbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * úsquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem, * loquéntur omnes qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * et hæreditátem tuam vexavérunt:

Víduam et ádvenam interfecérunt, * et pupíllos occidérunt:

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipiéntes in pópulo, * et stulti, aliquándò sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet, * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet, * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 93.

BEátus homo quem tu erudíeris, Dómine, * et de lege tuâ docúeris eum;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam, * et hæreditátem suam non derelínquet;

Quoadúsquè justítia convertátur in judícium; * et qui juxtà illam, omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsùs malignántes, * aut quis stabit mecum advérsùs operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam, Motus est pes meus, * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatió-

nes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi, * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum, et in malítiâ eórum dispérdet eos; * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Glória Patri, etc.

Capitul. Heb. 10.

NOlíte amíttere confidéntiam vestram quæ magnam habet remunerationem.

℟. *br.* Bonum est confídere in Dómino * Quàm confídere in hómine. Bonum est.

℣. Bonum est speráre in Dómino. *Ps.* 117. * Quàm confídere. Glória Patri. Bonum est.

℣. Mihi adhærére Deo bonum est;

℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutórium, etc.

7. d. Psalmus 122.

Præter Altissimum, nullum est in tribulationibus refugium.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum;

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne;

Quia multùm repléta est ánima nostra; * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Glória Patri, etc.

Ant. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

5. a. Psalmus 124.

Fidelium Deus ipse tutela; iniqui perituri.

QUi confídunt in Dómino, sicut mons Sion ; * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus, * et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc, et usque in sæculum:

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas

Bénefac, Dómine, bonis, * et rectis corde:

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël.

Glória Patri, etc.

Ant. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion; non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

8. d. Psalmus 126.

Vani hominum labores, quibus non opitulatur Deus.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum, * ecce hæréditas Dómini, filii, merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis, * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in portâ.

Glória Patri, etc.

Ant. Nisi Dóminus custodíerit civitátem, frustrà vígilat qui custódit eam.

2. D. Psalmus 129.

Redemptio pœnitenti à Christo promissa.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observá-

veris, Dómine, * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est, * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus ; * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódiâ matutínâ usque ad noctem * speret Israël in Dómino ;

Quia apud Dóminum misericórdia, * et copiósa apud eum redémptio :

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Sustinuit ánima mea in verbo ejus ; sperávit ánima mea in Dómino.

I. a. Psalmus 130.

Humilitas, gratum Deo sacrificium.

DOmine, non est exaltátum cor meum, * neque eláti sunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam ;

tribútio in ánimâ meâ :

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória Patri, etc.

Ant. Speret Israël in Dómino.

Capitul. Rom. 15.

DEus spei répleat vos omni gáudio et pace in credéndo, ut abundétis in spe, et virtúte Spíritûs sancti.

Hymnus.

CUr aut amíctûs, aut cibi
Te cura mordet ánxia ?
Homo, tibi vestem, cibum,
Rex ipse mundi próvidet
Qui vestit agri lília,
Cœlíque nutrit pásseres :
Te lílio pluris facit,
Facítque pluris pássere.
Escam peténti fílio
Num scorpiónem pórrigis ?
Tibíne cœléstis Pater
Pro pane saxum pórriga
Ergò quiésce províd
Secúrus in sinu Dei :
Inter patres vel óptim
Se nemo tàm probat p
trem.
Quæ vera promísit b

Si quæris, ultrò cætera
Vovéntis ad nutum fluent.
Tibi, Pater, cum Filio,
Almo simul cum Spiritu,
Deo perénni, próvido,
Honor, Deus, laus, gló-
ria. Amen.

℣. A custódiâ matutinâ usque ad noctem,

℟. Speret Israël in Dómino. *Ps.* 129.

Ad Magn. *Ant.* 8. G.

Misericórdia Dómini à progénie in progénies, timéntibus eum. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Convérte nos, etc.

Deus, in adjutórium, etc.

4. a. PSALMUS 10.

Animæ in Deo confidentis securitas.

IN Dómino confido: quómodò dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretrâ, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus:

Oculi ejus in páuperem respíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum, et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 13.

Impiorum malitia; ex adventu Christi salus exoptatur.

DIxit insípiens in corde suo, * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est

intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant; * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est: * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, et viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justâ est: consílium ínopis confudístis, * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israël.

Glória Patri, etc.

Psalmus 15.

Pars Justorum, Deus resurrectionis spes.

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te: * dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terrâ ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum; * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, et cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris, * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum; * ínsuper et usque

ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper; * quóniam à dextris est mihi ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxterâ tuâ usque in finem.

Glória Patri, etc.

HYMNUS.

GRates, perácto jam die, *et cœt. ut in Feriâ secundâ.*

FERIA QUINTA.

FINIS OFFICII.

Fides in Deum.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

DOmine, lábia mea, etc.

Invitat. Deum qui verax est, * Veníte, adorémus. Veníte, exultémus, etc. *Rom.* 3.

HYMNUS.

Isdem creáti flúctibus
Pisces natant, volant aves:
Utrúmque mortáli genus
Parátur esca córpori.

Menti sed ætérnæ cibus
Debétur alter: hæc Dei
Sermóne vivit; hanc fovet
Cœléstis et nutrit fides.

Hæc parta Christi sánguine,
Manávit in terras fides,
Et impiárum péctora
Victrix subégit géntium.

Fax illa puris córdibus
Monstráre cœlos éfficax,
Ætérna dignis íncitat

Factis meréri præmia.
Per hanc tyrannórum minas
Irásque spernunt mártyres,
Mulcent feras, rident rogos,
Mortem vel ipsam non pavent.
Hâc luce signátum, Deus,
Arctum sequi da trámitem,
Et charitátis úberes
Fructus eúndo cárpere.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

I°. N°. Psalmus 19.

Ut Christi preces et sacrificium suis applicentur rogat Ecclesia.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui; * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndùm cor tuum, * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo, * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis; * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: * nos autem surréximus, et eréсti sumus.

Dómine, salvum fac regem; * et exáudi nos in die quâ invocavérimus te.

In Offic. 9 *Lect. dicitur* Glória Patri *et Ant.*

Lætábimur in salutári tuo, et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Psalmus 32.

Creatorem suum timeat omnis terra: ipse saluti justorum invigilat.

EXultáte, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in citharâ: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium: * misericórdiâ Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt, * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris; * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem;

Quóniam ipse dixit, et facta sunt; * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium; * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet; * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem et generatiónem.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, *et Ant.*

Díligit misericórdiam et judícium: misericórdiâ Dómini plena est terra.

Divisio Psalmi 32.

BEáta gens cujus est Dóminus Deus ejus; * pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respéxit Dóminus, * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem; * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem: * in abundántiâ autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum, * et in eis qui sperant super misericórdiâ ejus,

Ut éruat à morte ánimas eórum, * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum; * quóniam adjútor et protéctor noster est:

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Antiph.* Rectum est verbum Dómini, et ómnia ópera ejus in fide.

In Offic. 9 *Lect. Antiph.* Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus, pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

II°. N°. Psalmus 67.

Summa Dei Creatoris in homines benignitas et providentia.

EXúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus; * et fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant; * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei:

Et justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei, * et delecténtur in lætítiâ.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascéndit super occásum.

Dóminus nomen illi; * exultáte in conspéctu ejus.

Turbabúntur à fácie ejus, * patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo; * Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus, cùm egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota est; * étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sinaï, à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ; * et infirmáta est, tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in eâ: * parásti in dulcédine tuâ páuperi, Deus.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri *et Ant.*

Exúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus; et fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

Divisio Psalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum, dilécti,

diléctì; * et speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ, * et posterióra dorsi ejus in palló-re auri.

Dùm discérnit cœléstis reges super eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis; * mons coagulátus, mons pinguis.

Ut quid suspicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo; étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina, in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem: * accepísti dona in homínibus:

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi; * et Dómini, Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dominus: Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris;

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri. *Ant.* Benedíctus Dóminus die quotídie.

Divisio Psalmi 67.

IN ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excéssu;

Príncipes Juda, duces eórum: * príncipes Zábulon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis; congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut

exclúdant eos qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes, quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægypto; Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo; * psállite Dómino;

Psállite Deo qui ascéndit super cœlum cœli * ad oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis: * date glóriam Deo.

Super Israël magnificéntia ejus, * et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis; Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: * benedíctus Deus.

Glória Patri, etc.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ.

III^r. N^r. Psalmus 88.

Promissiones Davidi factæ; Christum differri humilis querela.

Misericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixísti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis *, præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis; * jurávi David servo meo:

Usque in ætérnum præparábo semen tuum; * et ædificábo in generatiónem et generatiónem sedem tuam.

Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésiâ Sanctórum;

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum, * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine; et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mitigas:

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum; * in bráchio virtútis tuæ dis-

persisti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra; * orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundásti;

Aquilónem et mare tu creásti; * Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt:

Tuum bráchium cum poténtiâ: * firmétur manus tua, et exaltétur dextera tua;

Justítia et judícium præparátio sedis tuæ; * misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam.

In Offic. 9 *Lect. dicitur* Glória Patri, *et Ant.*

In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis.

Divisio Psalmi 88.

BEátus pópulus qui scit jubilatiónem: * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die; * et in justítiâ tuâ exaltabúntur;

Quóniam glória virtútis eórum tu es; * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * et sancti Israël Regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixísti: * Pósui adjutórium in poténte, et exaltávi eléctum de plebe meâ.

Invéni David servum meum, * óleo sancto meo unxi eum:

Manus enim mea auxiliábitur ei, * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso; * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, et suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam, * et testaméntum meum fidéle ipsi:

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, * et

thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam, * et in judíciis meis non ambuláverint;

Si justítias meas profanáverint, * et mandáta mea non custodíerint.

Visitábo in virgâ iniquitátes eórum, * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo, * neque nocébo in veritáte meâ;

Neque profanábo testaméntum meum; * et quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

In Off. 9 *Lect. dicitur* Glória Patri *et Ant.* Beátus pópulus qui scit jubilatiónem.

Altera divisio Psalmi 88.

SEmel jurávi in sancto meo, * Si David méntiar:

Semen ejus in ætérnum manébit; * et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo.

Et sicut luna perfécta in ætérnum, * et testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulísti et despexísti; * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui, * profanásti in terrâ sanctuárium ejus:

Destruxísti omnes sepes ejus, * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam; * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum; * lætificásti omnes inimícos ejus:

Avertísti adjutórium gládii ejus, * et non es auxiliátus ei in bello:

Destruxísti eum ab emundatióne; * et sedem ejus in terram collisísti:

Minorásti dies témporis ejus: * perfudísti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avértis in finem? * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vivet, et non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ

tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tuâ?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, * quod contínui in sinu meo, multárum géntium;

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine; * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum: * fiat, fiat.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine?

In Fer. ℣. Hoc est mandátum Dei,

℟. Ut credámus in nómine Fílii ejus. 1. *Joan.* 3.

In Feriis. ℣. *Sacerd.* Qui timétis Dóminum, crédite illi. *Eccli.* 2.

℟. Crédimus ut justificémur. *Gal.* 2.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium meum inténde, etc.

Psalmus 80.

Festa piè celebranda, hinc Dei favor.

EXultáte Deo adjutóri nostro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum, * psaltérium jucúndum cum cítharâ.

Buccináte in Neoméniâ tubâ, * in insígni die solemnitátis vestræ;

Quia præcéptum in Israël est; * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terrâ Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te: * Israël, si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi

te de terrâ Ægypti; * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam; * et Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum: * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me; * Israël si in viis meis ambulásset;

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem, * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei; * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * et de petrâ, melle saturávit eos.

Glória Patri, etc.

Ant. Audi, pópulus meus, et contestábor te: ego sum Dóminus Deus tuus.

PSALMUS 107.

Ad Dei nutum paratum cor justi; vana salus hominis; solus salvans Deus.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo et psallam in glóriâ meâ.

Exúrge, glória mea; exúrge, psaltérium et cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * et psallam tibi in natiónibus;

Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus, * et super omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui: * salvum fac dexterâ tuâ, et exáudi me.

Glória Patri, etc.

Ant. Exúrgam dilúculo: confitébor tibi, Dómine.

Divisio Psalmi 107.

DEus locútus est in sancto suo: * exultábo, et dívidam Síchimam, et convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses; * et Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus: * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienigenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos? * et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * et ipse ad nihilum dedúcet inimícos nostros.

Glória Patri, etc.

Ant. Deus locútus est in sancto suo.

In Feriis, Canticum Annæ.

Anna diù sterilis gratias agit de sibi dato Samuele: indicat sterilitatem synagogæ et fœcunditatem Ecclesiæ. 1. Reg. 2.

EXultávit cor meum in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos; * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus; neque enim est álius extrà te: * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia gloriántes, * recédant vétera de ore vestro;

Quia Deus scientiárum Dóminus est, * et ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est; * et infírmi accíncti sunt róbore.

Repléti priùs pro pánibus se locavérunt; * et famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos; * et quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, et vivíficat; * dedúcit ad ínferos, et redúcit.

Dóminus páuperem facit, et ditat: * humíliat et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem;

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, et ímpii in ténebris conticéscent; * quia non in fortitúdine suâ roborábitur vir.

Dóminum formidábunt

adversárii ejus; * et super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ; et dabit impérium regi suo, * et sublimábit cornu Christi sui.

Glória Patri, etc.

Ant. Deus scientiárum Dóminus est, et ipsi præparántur cogitatiónes.

(*In semidupl. et simpl.*

Canticum.

David laudat Dominum tanquam bonorum omnium fontem. 1. Paral. 29.

BEnedíctus es, Dómine, Deus Israël patris nostri, * ab ætérno in ætérnum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, et glória, atque victória, * et tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo sunt et in terrâ, * tua sunt.

Tuum, Dómine, regnum; * et tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, et tua est glória : * tu domináris ómnium.

In manu tuâ virtus et ter, confitémur tibi, * et laudámus nomen tuum inclytum.

Glória Patri, etc.

Ant. Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, et glória, atque victória, et tibi laus.)

Psalmus 147.

Ecclesia ad laudes Dei invitatur.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * et ádipe fruménti sátiat te;

Qui emíttit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit;

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum

suum Jacob, * justítias et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni, * et judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri, etc.

Ant. Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob, et judícia sua Israël: non fecit táliter omni natióni.

Capitul. Heb. 11.

SIne fide impossíbile est placére Deo: crédere enim opórtet accedéntem ad Deum quia est, et inquiréntibus se remunerátor sit.

HYMNUS.

DIgnas quis, ô Deus, tibi
Laudes repéndat, qui tuo
Pellis tenébras lúmine,
Salútis et monstras viam?

Tu, quam jubes, donas fidem;
Hæc cúltui præest tuo,
Hæc mentis erróres fugat,
Hæc corda sursùm dírigit.

Te, destitúta spíritu
Nil pompa sacrórum movet:
Secréta puri blándiùs
Tibi litábunt péctoris.

Vox indè cordi cónsona
Vectígal exólvet suum,
Et ad salútem líbero
Prométur ore véritas.

O, qui supérbos réspuis,
Et símplices amas, Deus,
Ut crescat in nobis fides,
Cordis tumórem cómprime.

Sit summa Patri glória;
Sit summa Nato, qui fidem
Cruóre fundávit suo;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Bonum est confitéri, et psállere nómini tuo, Altíssime.

℟. Ad annuntiándum manè misericórdiam tuam. *Ps.* 91.

Ad Bened. *Ant.*

Tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm lucis orto sídere, etc.

PSALMUS 66.

Ut ab omnibus gentibus cognoscatur et laudetur Deus exoptat Ecclesia.

DEus misereátur nostrî, et benedicat nobis,* illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostrî;

Ut cognoscámus in terrâ viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exúltent gentes; quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terrâ dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * et métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 89.

Fugax hominum vita; gratiæ Dei splendor invocatur.

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúsquàm montes fíerent, aut formarétur terra et orbis, * à sæculo et usque in sæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem; * et dixísti: Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies hestérna quæ prætériit, et custódia in nocte;

Quæ pro níhilo habéntur, * eórum anni erunt.

Manè sicut herba tránseat, manè flóreat et tránseat: * véspere décidat, indúret et aréscat;

Quia defécimus in irâ tuâ, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo, * sæculum nostrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt, et in irâ tuâ defécimus: * anni nostri sicut aránea meditabúntur:

Dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni: * si autem in potentátibus, octogínta anni;

Et ámpliùs eórum, * labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * et corripiémur.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 89.

QUis novit potestátem iræ tuæ, * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac, * et eruditos corde in sapiéntiâ.

Convértere, Dómine, úsquequò? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ; * et exultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua; * et dirige filios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; et ópera mánuum nostrárum dírige super nos; * et opus mánuum nostrárum dirige.

Glória Patri, etc.

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

O Fons amóris, Spíritus, etc.

PSALMUS 26.

Fidelium fortitudo ex Deo, æternæ vitæ quærenda bona.

DOminus illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * à quo trepidábo?

Dùm appropiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consístant advérsùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus;

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petrâ exaltávit me; * et nunc exaltávit caput

meum super inimícos meos.

Circuívi et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 26.

EXáudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te : * miserére meî, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum ; exquisivit te fácies mea ; * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me : * ne declínes in irâ à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelínquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus ;

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt me ; * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in viâ tuâ ; * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me ; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini, * in terrâ vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age, * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 83.

E summis domûs Dei bonis vehementer in atria Domini desiderat justus.

QUàm diléċta tabernácula tua, Dómine virtútum ! * concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos :

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam, * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus; * et réspice in fáciem Christi tui;

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus; * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntiâ: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Glória Patri, etc.

Capitul. Heb. 11.

EST fides sperandárum substántia rerum, arguméntum non apparéntium.

℟. *br.* Tu illúminas * Lucérnam meam. Tu illúminas.

℣. Deus meus, illúmina ténebras meas. * Lucérnam.

Glória Patri, etc. Tu illúminas. *Ps.* 17.

℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum;

℟. Et lumen sémitis meis. *Ps.* 111.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm solis excélsum jubar, etc.

PSALMUS 22.

Pro beneficiis per Dei providentiam acceptis gratiarum actio.

DOminus regit me, et nihil mihi déerit, * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu

meo mensam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 33.

Deus justorum lumen et tutela, impiorum eversor.

BEnedícam Dóminum in omni témpore; * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me; * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini; * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum, * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum; * et erípiet eos.

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus, * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt; * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 33.

VEníte, filii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo, * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos, * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala, * ut

perdat de terrâ memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos; * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima; * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum; * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Glória Patri, etc.

Capitul. Jacob 2.

SIcut corpus sine spíritu mórtuum est, ita et fides sine opéribus mórtua est.

℟. *br.* Gressus meos dírige, Dómine, * Secúndùm elóquium tuum. Gressus meos.

℣. Ut custódiam mandáta tua. *Ps.* 118. * Secúndùm. Glória Patri. Gressus meos.

℣. Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me;

℟. Quia mandátis tuis crédidi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

LAbénte jam solis rotâ, etc.

PSALMUS 79.

Miseriarum finis per Christi adventum exoratur.

QUi regis Israël, inténde; * qui dedúcis velut ovem Joseph;

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coràm Ephraïm, Bénjamin, et Manásse.

Excita poténtiam tuam; et veni, * ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos, et osténde fáciem tuam; * et salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsquè irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * et potum dabis nobis in lácrymis in mensúrâ?

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris; * et inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos, et osténde fáciem tuam; * et salvi érimus.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 79.

(DOmine) víneam de Ægypto transtulísti: * ejecísti gentes, et plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus: * plantásti radíces ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * et arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare, * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus, * et vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de silvâ, * et singuláris ferus depástus est eam.

plantávit déxtera tua, * et super fílium hóminis quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, et suffóssa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * et super fílium hóminis quem confirmásti tibi.

Et non discédimus à te: * vivificábis nos, et nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos, et osténde fáciem tuam; * et salvi érimus.

Glória Patri, etc.

Psalmus 92.

Quàm mirabilis Christus in regno suo et suâ lege!

DOminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc:

fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Glória Patri, etc.

Capitul. Rom. 4.

CRedénti in eum qui justíficat impium, reputátur fides ejus ad justítiam, secúndùm propósitum grátiæ Dei.

℟. *br.* Credo, Dómine, * Adjuva incredulitátem meam. Credo, Dómine. *Marc.* 9.

℣. Adáuge nobis fidem. * Adjuva. *Luc.* 17.

Glória Patri. Credo, Dómine.

℣. Justítia Dei per fidem Jesu Christi,

℟. In omnes qui credunt in eum. *Rom.* 3.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutórium, etc.

8. c. PSALMUS 115.

Deus in periculis fida tutela.

CRédidi, propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis:

Ego dixi in excéssu meo: * omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coràm omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus; * ego servus tuus, et filius ancíllæ tuæ:

Dirupísti víncula mea; * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúsalem.

Glória Patri, etc.

Ant. Crédidi, propter quod locútus sum.

1. g. PSALMUS 137.

Ex veritate, omnipotentiâ, et misericordiâ celebrandus Dominus.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi; * adorábo ad templum sanctum tuum,

Et confitébor nómini tuo super misericórdiâ tuâ, et veritáte tuâ; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quâcúnque die invocávero te, exáudi me; * multiplicábis in ánimâ meâ virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes Reges terræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit, * et alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum: * ópera mánuum tuárum ne despícias.

Glória Patri, etc.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdiâ tuâ.

7. d. PSALMUS 144.

Quàm benignè Deus providet omnibus.

EXaltábo te, Deus meus Rex; * et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi; * et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis; * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua, * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur, * et mirabília tua narrábunt;

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * et mag-

nitúdinem tuam narrábunt;

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * et justítiâ tuâ exultábunt.

Glória Patri, etc.

Ant. Generátio et generátio laudábit ópera tua, et mirabília tua narrábunt.

4. a. *Divisio Psalmi* 144.

MIserátor et misericors Dóminus; * pátiens, et multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérsis, * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * et poténtiam tuam loquéntur;

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium sæculórum; * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * et tu das escam illórum in témpore opportúno:

Aperis tu manum tuam, * et imples omne ánimal benedictióne.

Glória Patri, etc.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis.

5. a. *Altera Divisio Psalmi* 144.

JUstus Dóminus in ómnibus viis suis, * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, et deprecatiónem eórum exáudiet, * et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se, * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum, * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæcu-

lum, et in sæculum sæculi.

Glória Patri, etc.

Ant. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Capitul. Rom. 10.

Corde créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem.

HYMNUS.

O Fortis, ô clemens Deus,
Salútis auctor, tu fidem
Nostris poténter ínsere
Germen salútis córdibus.

Hinc omne robur dúcimus;
Hæc arma nobis, hoc manus
Protécta scuto flámmea
Retúndet hostis spícula.

Hinc fúndimus preces tibi
Sacri sub umbrâ nóminis,
Quo nítitur spes ómnium
Uno salútis pignore.

Placátus illo nómine,
Labántibus feres opem,
Dabísque sanctam dégener
Ne vita detúrpet fidem.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas.

Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam;
℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

Ad Magn. *Ant.* 7. d.

Omnis qui credit in illum non confundétur. *Rom.* 10.

AD COMPLETORIUM.

Convérte nos, etc.

Deus, in adjutórium, etc.

4. a. PSALMUS 11.

Justorum paucitas; eloquiorum Domini laus.

Salvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus; * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * et linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt: * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ino-

pum, et gémitum páuperum, * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári; * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta; * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos * à generatióne hâc in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secúndùm altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Glória Patri, etc.

Psalmus 38.

Mundi contemptus; vitæ brevitas; æterni refrigerii desiderium.

DIxi : Custódiam vias meas, * ut non delínquam in linguâ meâ.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui à bonis; * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intrà me, et in meditatióne meâ exardéscet ignis : * locútus sum in linguâ meâ.

Notum fac mihi, Dómine, finem meum, et númerum diérum meórum, quis est, * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos; * et substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verùmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verùmtamen in imágine pertránsit homo; * sed et frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * et substántia mea apud te est.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 38.

AB ómnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, et non apérui os meum; * quóniam tu fecísti.

Amove à me plagas tuas : * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci, in increpatiónibus.

Propter iniquitátem corripuísti hóminem, et

tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi ut refrígerer, prúsquàm ábeam ; * et ampliùs non ero.

Glória Patri, etc.

HYMNUS.

GRates peràcto jam die, *etcæt. ut sup. Fer.* 2.

FERIA SEXTA.

FINIS OFFICII.

Deus adjutor in tribulationibus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

DOmine, lábia mea, etc.

Invitat. Deum adjutórem in tribulatiónibus, * Venite, adorémus. *Ps.* 45.

HYMNUS.

JAm sánctius moves opus,
Tecum, Deus, deliberans :
Mundo recénti príncipem,
Tibique præcónem paras.

Homo creátur : hunc sacro
Cœléstis oris hálitu
Succéndis, et vitam tuî
Spiráre das imáginem.

Ergò per omnes æquoris
Tellúris omnes et sinus
Regnábit ; at memor suî
Deo minórem se gerat.

Heu, cæca cordis právitas !
Jugum rebéllis éxcutit ;

Deo supérbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.
Hinc quanta lúctuum cohors
Incúmbit orbi pérdito !
O Christe, ni feras opem,
Spes tota sontes déserat.
Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio ;
Cujus movémur hálitu,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

I°. N°. Psalmus 51.

Frustrà in divitiis suis confidunt impii ; salus est in Dominum sperantibus.

QUid gloriáris in malítiâ, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptéreà Deus déstruet te in finem; * evéllet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo, et radícem tuam de terrâ vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, et super eum ridébunt, et dicent: * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum;

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum, * et præváluit in vanitáte suâ.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * sperávi in misericórdiâ Dei in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum quia fecísti ; * et expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

In Festis 9 *Lect.* Glória Patri *et Ant.* Ego sicut olíva fructífera in domo Dei.

Psalmus 54.

A fictis amicis servari orat justus.

EXáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam : * inténde mihi, et exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne meâ, * et conturbátus sum à voce inimíci, et à tribulatióne peccatóris ;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * et in irâ moléstì erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me, * et contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ? * et volábo, et requiéscam.

Ecce elongávi fúgiens, * et mansi in solitúdine.

Expectábam eum, qui salvum me fecit * à pusillanimitáte spíritûs, et tempestáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem et contradictiónem in civitáte:

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra, et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique;

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset, * abscondíssem me fórsitan ab eo:

Tu verò homo unánimis, * dux meus, et notus meus,

Qui simul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos, * et descéndant in inférnum vivéntes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * et Dóminus salvábit me.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri. *Ant.* Ad Deum clamávi, et Dóminus salvábit me.

Divisio Psalmi 54.

VEsperè, et manè, et merídie narrábo, et annuntiábo, * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio

mutátio, et non timuérunt Deum : * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab irâ vultûs ejus; * et appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum; * et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, et ipse te enútriet; * non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.

Tu verò, Deus, dedúces eos * in púteum intéritûs.

Viri sánguinum et dolósi non dimidiábunt dies suos; * ego autem sperábo in te, Dómine.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Conturbátus sum à voce inimíci, et à tribulatióne peccatóris; quóniam declinavérunt in me iniquitátes.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Jacta super Dóminum curam tuam, et ipse te enútriet; non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.

IIº. Nº. Psalmus 58.

Ecclesiæ zelus adversùs impios.

ERipe me de inimícis meis, Deus meus, * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * et de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine; * sine iniquitáte cucúrri, et diréxi.

Exúrge in occúrsum meum, et vide: * et tu, Dómine Deus virtútum, Deus Israël,

Inténde ad visitándas omnes gentes: * non misereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam, et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, et gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad

te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

In Offic. 9 Lect. Glória Patri, *et Ant.* Exúrge in occúrsum meum, et vide, et tu, Dómine Deus virtútum.

Divisio Psalmi 58.

DEus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos; * nequándò obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tuâ, * et depóne eos, protéctor meus, Dómine;

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum; * et comprehendántur in supérbiâ suâ.

Et de execratióne et mendácio annuntiabúntur in consummatióne, * in irâ consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * et fínium terræ.

Converténtur ad vésperam, et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum; * si verò non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * et exultábo manè misericórdiam tuam;

Quia factus es suscéptor meus, et refúgium meum, * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

In Offic. 9 Lect. Glória Patri, etc. *Ant.* Cantábo fortitúdinem tuam, et exultábo manè misericórdiam tuam.

Psalmus 60.

Justus ab exilio poscit liberari; Christi regnum æternum.

EXáudi, Deus, deprecatiónem meam, * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, * dùm anxiarétur cor meum; in petrâ exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula, * pró-

tegar in velaménto alárum tuárum ;

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam, * dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies Regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Factus es suscéptor meus, et refúgium meum in die tribulatiónis meæ. *Ps.* 58.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : ut reddam vota mea de die in diem.

IIIº. Nº. Psalmus 68.

Variæ Passionis Christi circumstantiæ.

SAlvum me fac, Deus, * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profúndi, * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris, * et tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : * defecérunt óculi mei, dùm spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injústè ; * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam, * et delícta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me, * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium ; * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus filiis matris meæ ;

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * et oppróbria exprobrántium ti-

bi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam, * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium, * et factus sum illis in parábolam.

Advérsùm me loquebántur qui sedébant in portâ, * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine; * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar, * líbera me ab iis qui odérunt me, et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum, * neque úrgeat super me púteus os suum.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc. *Ant.* In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, in veritáte salútis tuæ.

Divisio Psalmi 68.

EXáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua; * secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, et líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel, * et in siti meâ potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coràm ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant, * et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram

tuam, * et furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta, * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt; * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * et non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium, * et cum justis non scribántur.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc. *Ant.* Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, et reveréntiam meam.

Altera Divisio Psalmi 68.

EGo sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * et magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vitulum novéllum, * córnua producéntem et úngulas.

Vídeant páuperes, et læténtur: * quærite Deum, et vivet ánima vestra;

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cœli et terra, * mare, et ómnia reptília in eis;

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * et ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * et hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam; * et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in eâ.

Glória Patri, etc.

In Offic. Fer. 3 *Lect. Ant.* Ne avértas fáciem tuam à púero tuo, quóniam tríbulor.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Laudábo nomen Dei cum cántico, et magnificábo eum in laude.

In Fer. ℣. Edúces de tribulatióne ánimam meam,

℟. Et in misericórdiâ tuâ dispérdes inimícos meos. *Ps.* 142.

In Fer. ℣. *Sacerd.* Deus est Deus vivens, liberátor, atque Salvátor. *Dan.* 6.

℟. In Dómino Deo nostro habémus fidúciam. 4. *Reg.* 18.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium, etc.

PSALMUS 53.

Oratio justi adversùs hostes auxilium Dei sperantis.

DEus, in nómine tuo salvum me fac, * et in virtúte tuâ júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei;

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsùm me, et fortes quæsiérunt ánimam meam, * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis; * et in veritáte tuâ dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; * et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me; * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri, etc.

Ant. Auribus pércipe verba oris mei; quóniam aliéni insurrexérunt advérsùm me.

PSALMUS 70.

Se à Deo edoctam dicit Ecclesia; contrà inimicos suos auxilium rogat.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: * in justítiâ tuâ líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum, * ut salvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum, * et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contrà legem agéntis, et iníqui.

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, spes mea à juventúte meâ.

In te confirmátus sum ex útero; * de ventre ma-

tris meæ tu es protéctor meus.

In te cantátio mea semper: * tanquam prodígium factus sum multis, et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis; * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, persequímini, et comprehéndite eum; * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundántur et defíciant detrahéntes ánimæ meæ: * operiántur confusióne et pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo; * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Glória Patri, etc.

Ant. Deus meus, éripe me de manu peccatóris, quóniam tu es patiéntia mea.

Divisio Psalmi 70.

OS meum annuntiábit justítiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me à juventúte meâ; * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senéctam et sénium: * Deus, ne derelínquas me;

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra est,

Poténtiam tuam, et justítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quæ fecísti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas et malas! * et convérsus vivificásti me, et de abyssis terræ íterùm reduxísti me.

Multiplicásti magnificéntiam tuam; * et convérsus consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veri-

tátem tuam, * Deus, psallam tibi in cítharâ, sanctus Israël.

Exultábunt lábia mea, cùm cantávero tibi; * et ánima mea, quam redemísti;

Sed et lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, * cùm confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Glória Patri, etc.

Ant. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas et malas! et convérsus vivificásti me.

In Officio feriali dicitur:
Cantícum. Habacuc. 3.

Orat Propheta; narrat mirabilia Domini opera; dolet de futurâ desolatione populi; videt impios percussos; sperat auxilium à Domino.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dómine, opus tuum, * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet, * et sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit, * córnua in mánibus ejus,

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus: * ante fáciem ejus ibit mors;

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus: * stetit, et mensus est terram.

Aspéxit, et dissólvit gentes: * et contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ, * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine, aut in flumínibus furor tuus? * vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos, * et quadrígæ tuæ, salvátio;

Súscitans suscitábis arcum tuum: * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ; vidérunt te, et doluérunt

montes; * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam, * altitúdo manus suas levávit.

Sol et luna stetérunt in habitáculo suo, * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurántis hastæ tuæ,

In frémitu conculcábis terram, * et in furóre obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii; * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus; * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat;

Ut requiéscam in die tribulatiónis, * et ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit; * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ; * et arva non ásferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus, * et non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * et exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea; * et ponet pedes meos quasi cervórum;

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Glória Patri, etc.

Ant. Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

(*In semidupl. et simpl.*

Canticum. Is. 26.

Urbem sanctam laudat, et gratias agit ob exaltationem justorum humiliationemque impiorum

URbs fortitúdinis nostræ Sion: * salvátor ponétur in eâ murus et antemurále.

Aperíte portas, * et in-

grediátur gens justa, custódiens veritátem.

Vetus error ábiit: servábis pacem; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperástis in Dómino in sæculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitántes in excélso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes páuperis, gressus egenórum.

Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulándum.

Et in sémitâ judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te: * nomen tuum, et memoriále tuum in desidério ánimæ.

Anima mea desiderávit te in nocte; * sed et spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terrâ, * justítiam dis- terrâ Sanctórum iníqua gessit, et non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * et non vídeant:

Vídeant, et confundántur zelántes pópuli; * et ignis hostes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera nostra operátus es nobis.

Glória Patri, etc.

Ant. In sémitâ judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te.)

PSALMUS 145.

Non hominibus fidendum, sed Deo; cujus opera et beneficia narrantur.

LAuda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vitâ meâ; * psallam Deo meo, quándiù fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus:

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram su-

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum et terram, mare et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos; * Dóminus illúminat cæcos;

Dóminus érigit elísos; * Dóminus díligit justos;

Dóminus custódit ádvenas; pupíllum et víduam suscípiet; * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Glória Patri, etc.

Ant. Laudábo in vitâ meâ Dóminum, qui facit judícium injúriam patiéntibus.

Capitulum. 2. *Cor.* 1.

NOn simus fidéntes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos, qui de tantis perículis nos erípuit et éruit, in quem sperámus quóniam et adhuc erípiet.

HYMNUS.

ULtrícibus nos úndiquè
Dùm saucias telis, Deus,
Quis ferre, te præter, queat
Mœréntibus solátium?

Flagélla nos terrent tua;
Non illa spem demunt tamen:
Quæ ferre nos jubes, Pater,
Fiunt medéla vúlnerum.

At ímpetus libídinum
Ferociéntes cómprime;
Hæc vera nos vexant mala,
Sanáre quæ solus potes.

Ne déseras nos, íngruunt
Intùs forísque prælia:
Hostíne præda mens erit
Christi redémpta sánguine?

Audis precántes: ánxiæ
Spes blanda jam menti redit;
O Christe, tetros mors tua
Mortis pavóres díscutit.

Sit Trinitáti glória,
Quæ sic flagéllis quos amat
Exércet, ut cleméntiæ
Rursùm recordétur suæ.
Amen.

℣. Exultábo manè misericórdiam tuam;

℟. Quia factus es suscéptor meus in die tribulatiónis. *Ps.* 58.

Ad Benedict. *Ant.*

Confitèbor nómini tuo, Dómine, quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me. *Ps.* 53.

AD PRIMAM.

Deus, in adjutórium, etc.

Hymnus.

JAm lucis orto sidere, etc.

Psalmus 43.

Patres beneficiis cumulati; ob religionem et futuram requiem omnia sustinenda.

DEus, áuribus nostris audívimus; * patres nostri annuntiavérunt nobis

Opus, quod operátus es in diébus eórum, * et in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit; et plantásti eos: * afflixísti pópulos, et expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos.

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus et Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * et in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * et gládius meus non salvábit me:

Salvásti enim nos de affligéntibus nos, * odiéntes nos confudísti.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die, * et in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Nunc autem repulísti, et confudísti nos; * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsùm post inimícos nostros; * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tanquam oves escárum, * et in géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tu-

um sine prétio, * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem et derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis :

Totâ die verecúndia mea contrà me est, * et confúsio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrántis et obloquéntis, * à fácie inimíci et persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te, * et iniquè non égimus in testaménto tuo :

Et non recéssit retrò cor nostrum, * et declinásti sémitas nostras à viâ tuâ.

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

Glória Patri, etc.

Altera Divisio Ps. 43.

SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad Deum aliénum,

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exúrge, quarè obdórmis, Dómine? * exúrge, et ne repéllas in finem.

Quarè fáciem tuam avértis? * oblivísceris inópiæ nostræ et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra; * conglutinátus est in terrâ venter noster.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos, * et rédime nos propter nomen tuum.

Glória Patri, etc.

Cæt. omnia, ut sup. Fer. 2

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

O Fons amóris, Spíritus, etc.

PSALMUS 39.

Antiquarum hostiarum loco se substituit Christus; ipse obedientiæ typus.

EXpéctans expectávi Dóminum, * et inténdit mihi;

Et exaudívit preces meas; * et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos; * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt, * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus, * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi, et locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti; * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 39.

ANnuntiávi justítiam tuam in ecclésiâ magnâ: * ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, et veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua, et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus; * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei, * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me; * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrór-

sùm, et revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstìm confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent, et læténtur super te omnes quæréntes te: * et dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus et protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 57.

Calumniatorum supplicia bonorumque præmia justam Dei providentiam arguunt.

SI verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terrâ injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulvâ: erravérunt ab útero; * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndùm similitúdinem serpéntis, * sicut áspidis surdæ, et obturántis aures suas,

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * et venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devéniant tanquam aqua decúrrens: * inténdit arcum suum, donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priúsquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum, * sicut vivéntes, sic in irâ absórbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindíctam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris:

Et dicet homo: Si útique est fructus justo, * útique est Deus júdicans eos in terrâ.

Glória Patri, etc.

Capitul. 2. *Cor.* 1.

BEnedíctus Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostrâ.

℟. *br*. Esto bráchium nostrum * In témpore tribulatiónis. Esto bráchium. *Is*. 33.

℣. Quia vana salus hóminis. *Ps*. 59. * In témpore. Glória Patri. Esto bráchium.

℣. In Deo faciémus virtútem,

℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos. *Ps*. 59.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium, etc.

Hymnus.

JAm solis excélsum jubar, etc.

Psalmus 101.

Vita brevis et misera; solus, qui ab initio terram fundavit, Deus immutabilis.

DOmine, exáudi oratiónem meam, * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quâcúnque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum, * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis; * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * et qui laudábant me, advérsùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ; * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt, * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, * e

Divisio Psalmi 101.

Tu exúrgens miserébe-ris Sion; * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion; * et vidébitur in glóriâ suâ.

Respéxit in oratiónem humílium, * et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne álterâ; * et pópulus qui creábitur laudábit Dóminum;

Quia prospéxit de excélso sancto suo; * Dóminus de cœlo in terram aspéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * et laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges, ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in viâ virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Glória Patri, etc.

Altera Divisio Psalmi 101.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti; * et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt; tu autem pérmanes; * et omnes sicut vestiméntum veteráscent;

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur: * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt; * et semen eórum in sæculum dirigétur.

Glória Patri, etc.

Capitul. Heb. 12.

Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris: quem enim díligit Dóminus, castígat; flagéllat autem omnem fílium quem récipit.

℟. *br*. Ego, Dómine, *

In flagélla parátus sum. Ego, Dómine.

℣. Et dolor meus in conspéctu meo semper. *Ps.* 37. * In flagélla. Glória Patri. Ego, Dómine.

℣. Tránseat à me cálix iste :

℟. Verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Matt.* 26.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, etc.

Hymnus.

LAbénte jam solis rotâ, etc.

Psalmus 21.

Christus moriturus in cruce obsecrat ut sibi adsit Deus.

DEus Deus meus, réspice in me, quarè me dereliquísti? * longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies; * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo; * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projéctus sum ex útero; * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 21.

(DEus meus) ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi; * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me

os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum; * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquéscens* in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis; * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea:

Ipsi verò consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea; et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámeâ, Deus, ánimam meam, * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * et à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiæ laudábo te.

Glória Patri, etc.

Altera Divisio Psalmi 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum; * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël; * quóniam non sprevit neque despéxit deprecatiónem páuperis;

Nec avértit fáciem suam à me; * et cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Ecclésiâ magnâ: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur; et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ familiæ géntium;

Quóniam Dómini est regnum, * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues

terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; * et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Glória Patri, etc.

Capitul. 2. *Cor.* 4.

ID quod in præsénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, suprà modum in sublimitáte, ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

℟. *br.* Beáti * Qui lugent. Beáti qui lugent.

℣. Quóniam ipsi consolabúntur. *Matt.* 5. * Qui lugent.

℣. Gloriámur in tribulatiónibus. *Rom.* 5.

℟. De cœlo habéntes adjutórem. 2. *Mach.* 11.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte meâ, * dicat nunc Israël.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte meà, * étenim non potuérunt mihi.

Suprà dorsum meum fabricavérunt peccatóres; * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus, * concídit cervíces peccatórum.

Confundántur et convertántur retrórsùm * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod, priùsquàm evellátur, exáruit.

De quo non implévit manum suam, qui metit: * et sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos: * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Glória Patri, etc.

Sæpè expugnane, étenim non it mihi.

PSALMUS 138.

Dei in nos à providentia.

DOmine, probásti me, et cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam, et funículum meum investigásti;

Et omnes vias meas prævidísti; * quia non est sermo in linguâ meâ.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia, novíssima et antíqua: * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * et quò à fácie tuâ fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es: * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur à te, et nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

Glória Patri, etc.

Ant. Dómine, probásti me et cognovísti me.

6. Ꝟ. *Divisio Psalmi* 138.

COnfitébor tibi (Dómine), quia terribíliter magnificátus es; * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occúlto; * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; et in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimis confortátus est principátus eórum;

Dinumerábo eos, et super arénam multiplica-

buntur; * exurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos; * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum; * intérroga me, et cognósce sémitas meas;

Et vide si via iniquitátis in me est; * et deduc me in viâ ætérnâ.

Glória Patri, etc.

Ant. Confitébor tibi, Dómine, quia terribíliter magnificátus es.

3. b. PSALMUS 139.

Se ab improbis defendi precatur Justus.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo: * à viro iníquo éripe me:

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * totâ die constituébant prælia:

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris; * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: * abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum: * juxtà iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino, Deus meus es tu; * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Glória Patri, etc.

Ant. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris.

7. b. *Divisio Psalmi* 139.

DOmine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri; * cogitavérunt contrà me, ne derelinquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitûs eórum; * labor labiórum ipsórum opériet eos:

Cadent super eos carbónes; in ignem dejícies

eos; * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terrâ: * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium inopis, * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo, * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Glória Patri, etc.

Ant. Dómine, Dómine, * virtus salútis meæ, obumbrásti super caput meum in die belli.

Capitul. 1. *Pet.* 2.

CHristus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus.

HYMNUS.

SPeráte, mortáles, gravi
Peccáta quos premunt jugo:
Qui sanguis in terras fluit,
Vestræ salútis pignus est.

Divina mundi victima,
Amándo non servas modum:
Cur totus it venis cruor?
Guttam dedisse súfficit.

Imménsus hoc amor jubet,
Suásque dat leges tibi:
Hic solus impónit crucem,
Et crux amánti fit levis.

Sic ergò, Christe, nos amas!
Salváre sic mundum juvat.
O ter beátum, cui licet
Tecum pati, tecum mori!

Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par, tibi, laus, Spíritus. Amen.

℣. Christo passo in carne;

℟. Et vos, eâdem cogitatióne armámini. 1. *Pet.* 4.

Ad Magn. *Ant.* 8. G.

Per multas tribulatiónes, opórtet nos intráre in regnum Dei. *Act.* 14.

AD COMPLETORIUM.

Convérte nos, etc.

℣. Deus, in adjutórium, etc.

4. a. PSALMUS 37.

Malæ vitæ sustinenda ad veniam peccatorum obtinendam.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * ne-

que in irâ tuâ corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi, * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne meâ à fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum; * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt, et corrúptæ sunt cicatrices meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * et non est sánitas in carne meâ.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum; * et gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 37.

AMíci mei, et próximi mei * advérsùm me appropinquavérunt et stetérunt.

Et qui juxtà me erant, de longè stetérunt; * et vim faciébant, qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes; * et dolos totâ die meditabántur.

Ego autem, tanquam surdus, non audiébam, * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi, * tu exáudies me, Dómine, Deus meus.

Quia dixi: Nequándò supergáudeant mihi inimíci mei; * et dùm commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum; * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo; * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me, * et multiplicáti sunt qui odérunt me iniquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 55.

Justus spe erectus in Deo solatium quærit.

MIserére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo; * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur: * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt, et abscóndent: * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in irâ pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi; * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo, sicut et in promissióne tuâ.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsùm, * in quâcúnque die invocávero te.

Ecce cognóvi * quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, * in Dómino laudábo sermónem.

In Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam laudatiónes tibi;

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et

pedes meos de lapsu; * ut pláceam coràm Deo in lúmine vivéntium.

Glória Patri, etc.

Hymnus.

GRates, perácto jam die, et cæt. ut sup. Fer. secundâ.

SABBATO.

FINIS OFFICII.

Merces Sanctorum, stimulus ad laborem et objectum desiderii nostri.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

DOmine, lábia mea, etc.

Invit. Deum reddéntem justis mercédem labórum, * Venite, adorémus. *Sap.* 10.

Hymnus.

PUgnáte, Christi milites;
Fortes fide resistite:
Imménsa promisit Deus
Pio labóri præmia.

Non ille fluxas ac leves
Palmas dabit vincéntibus;
Sed lucis ætérnæ decus,
Et pura semper gáudia.

Mentes beátas éxcipit
Formósa cœlitum domus:
Hic turba, cœlis áltior,
Subjécta calcat sidera.

Cadúca vobis præmia
Offert levis mundi favor:
Vultus ad astra tóllite,
Hic ipse fit merces Deus.

Huc certa nos spes évocat,
Huc vota tendant ómnia;
Nec térreat brevis labor,
Ætérna quos merces manet.

Qui nos corónat laus Patri,
Qui nos redémit Filio,
Almâ juvans nos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

I. N. Psalmus 40.

Eleemosinæ meritum; Judæ proditio.

BEátus qui intélligit super egénum et páuperem; * in die malâ liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terrâ; * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére mei; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quandò moriétur, et peribit nomen ejus.

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * et loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me; * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti, * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël à sæculo, et usque in sæculum: * fiat, fiat.

In Offic. 9 Lect. Glória Patri. *Ant.* Dóminus consérvet eum et vivíficet eum.

PSALMUS 48.

Nihil contrà infernum prosunt opes; justitia sola ex eo eripit.

AUdite hæc, omnes gentes; * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem;

Quique terrígenæ, et filii hóminum, * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sa-

piéntiam, * et meditátio cordis meis prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam; * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die malâ?* iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte suâ, * et in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo? * non dabit Deo placatiónem suam,

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ: * et laborábit in ætérnum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit sapiéntes moriéntes.

Simul insípiens et stultus peribunt, * et relínquent aliénis divítias suas.

Et sepúlcra eórum domus illórum in ætérnum, tabernácula eórum in progénie et progénie: vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis; * et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt: * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno; * et auxílium eórum veteráscet in inférno à glóriâ eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

In Off. 9 *Lect.* Glória Patri.

Ant. Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, cùm accéperit me.

Divisio Psalmi 48.

NE timúeris, cùm dives factus fúerit homo, * et cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam, cùm interíerit, non sumet ómnia: * neque descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vitâ ipsius benedicétur: * confitébitur tibi, cùm benefécoeris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum, * et usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 Lect. Ant. Propter innocéntiam suscepísti me, Dómine, et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

In Offic. 9 Lect. Ant. Ne timúeris, cùm dives factus fúerit homo.

II°. N°. Psalmus 61.

Frustrà oppugnatur, qui Deo subjectus in ejus tutelâ manet.

Nonne Deo subjécta erit ánima mea? ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus; * suscéptor meus, non movébor ampliùs.

Quoúsquè irrúitis in hóminem? * interfícitis univérsi vos, tamquàm paríeti inclináto, et macériæ depúlsæ?

Verùmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucúrri in siti: * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verùmtamen Deo subjécta esto, ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea: * Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coràm illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verùmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere: * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi: Quia potéstas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

In Offic. 9 Lect. Glória Patri, etc.

Ant. Potéstas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia.

PSALMUS 63.

Vana impiorum consilia; Evangelii prædicatio.

EXáudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor; * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem;

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum, rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, et non timébunt; * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos; * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum; * et infirmátæ sunt contrà eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos; * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo; * et laudabúntur omnes recti corde.

In Offic. 9 Lect. Glória Patri, etc.

Ant. Exáudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor.

PSALMUS 74.

Deus est mundi rector, et futurus judex: hinc quantùm metuendus.

COnfitébimur tibi, Deus; * confitébimur, et invocábimus nomen tuum: narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in eá: * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum; * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem;

Quia neque ab oriénte, neque ab occidénte, * neque à desértis móntibus.

Quóniam Deus judex est, * hunc humíliat, et hunc exáltat :

Quia calix in manu Dómini, vini meri plenus mixto; * et inclinávit ex hoc in hoc;

Verúmtamen fæx ejus non est exinanita; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum; * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam; * et exaltabúntur córnua justi.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Tu reddes, (Dómine), unicuíque juxtà ópera sua. *Ps.* 61.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Deus judex est, hunc humíliat, et hunc exáltat.

III°. N°. PSALMUS 75.

Exaltandum magnum Christi nomen, per quem salus Ecclesiæ facta est.

NOtus in Judæâ Deus: * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis; * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum, * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tuâ, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecisti judícium: * terra trémuit, et quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc.

Ant. Réddite Dómino Deo vestro, omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

PSALMUS 82.

Ab inimicis suis Ecclesiam vindicat Deus, quia omnipotens.

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas neque compescáris, Deus.

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * et cogitavérunt advérsus sanctos suos.

Dixérunt: Veníte, et disperdámus eos de gente, * et non memorétur nomen Israël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter; * simul advérsùm te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum, et Ismaëlítæ;

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec; Philistiím cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis; * facti sunt in adjutórium filiis Loth.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ; * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor; * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum, sicut Oreb, et Zeb, * et Zébee, et Sálmana;

Omnes príncipes eórum, qui dixérunt: * Hæreditáte possideámus sanctuárium Dei.

In Offic. 9 *Lect.* Glória Patri, etc.

Ant. Deus, quis símilis erit tibi?

Divisio Psalmi 82.

DEus meus, pone illos ut rotam, * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam, * et sicut flamma combúrens montes.

Ita persequéris illos in tempestáte tuâ, * et in irâ tuâ turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ, * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant et contur-

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus, * tu solus Altíssimus in omni terrâ.

Glória Patri, etc.

In Offic. 3 *Lect. Ant.* Cogitátio hóminis confitébitur tibi, et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi. *Ps.* 75.

In Offic. 9 *Lect. Ant.* Tu solus Altíssimus in omni terrâ.

In Fer. ℣. Seminánti justítiam

℟. Merces fidélis. *Prov.* 11.

In Fer. ℣. *Sacerd.* Dilectíssimi, non injústus Deus, ut obliviscátur óperis. *Heb.* 6.

℟. In hoc enim laborámus. 1. *Tim.* 4.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium, etc.

Psalmus 16.

Justus ab inimicis liberari poscit; beatitudinis spes.

EXáudi, Dómine, justítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte: * igne me examinásti; et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum; * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbrâ alárum tuárum prótege me * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Glória Patri, etc.

Ant. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, Dómine, ut non moveántur vestígia mea.

Divisio Psalmi 16.

INimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt; * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me; * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam; * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, prævéni eum, et supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terrâ dívide eos in vitâ eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis; * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítiâ apparébo conspéctui tuo; * satiábor, cùm apparúerit glória tua.

Glória Patri, etc.

Ant. In justítiâ apparébo conspéctui tuo; sa-

PSALMUS 56.

De inimicis victoriam rogat justus; misericordiæ et veritatis Dei commendatio.

MIserére meî, Deus, miserére meî; * quóniam in te confídit ánima mea:

Et in umbrâ alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, et liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam; * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum; dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma et sagittæ; * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus; * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis; * et incur-

meam fóveam; * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo et psalmum dicam.

Exúrge, glória mea; exúrge, psaltérium et cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * et psalmum dicam tibi in géntibus.

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus; * et super omnem terram glória tua.

Glória Patri, etc.

Ant. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum.

In Offic. Fer. dicitur sequens Canticum. Deut. 32.

Dei refert beneficia, populique ingratitudinem sæpiùs à Domino castigatam; compendium Prophetiarum.

Audite, cœli, quæ loquor; * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrina mea, * fluat ut ros elóquium meum;

Quasi imber super herbam, * et quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo: * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfécta sunt ópera, et omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis, et absque ullâ iniquitáte, justus et rectus.

Peccavérunt ei, et non filii ejus in sórdibus; * generátio prava atque pervérsa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi: * majóres tuos, et dicent tibi:

Quandò dividébat Altíssimus gentes, * quandò separábat filios Adam,

Constítuit términos populórum * juxtà númerum filiórum Israël.

Pars autem Dómini pópulus ejus; * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terrâ

desértâ, * in loco horróris, et vastæ solitúdinis.

Circumdúxit eum, et dócuit, * et custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expándit alas suas, et assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit, * et non erat cum eo Deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petrâ, * oleúmque de saxo duríssimo,

Bútyrum de arménto, et lac de óvibus, * cum ádipe agnórum et aríetum filiórum Basan;

Et hircos cum medúllâ trítici, * et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, et recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum, * et recéssit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, et non Deo; * diis quos ignorábant:

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquísti; * et oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, et ad iracúndiam concitátus est: * quia provocavérunt eum fílii sui, et fíliæ.

Et ait: Abscóndam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum:

Generátio enim pervérsa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * et irritavérunt in vanitátibus suis:

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * et in gente stultâ irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inférni novíssima:

Devorabítque terram cum gérmine suo, * et món-

tium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala; * et sagittas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, et intùs pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli; * ne fortè superbírent hostes eórum,

Et dícerent: Manus nostra excélsa, et non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, et sine prudéntiâ: * útinàm sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent!

Quómodò persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?

Nonne ideò, quia Deus suus véndidit eos, * et Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum; * et inimíci nostri sunt júdices.

De vineâ Sodomórum, vínea eórum, * et de suburbánis Gomórrhæ:

Uva eórum, uva fellis; * et botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * et venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * et signáta in thesáuris meis?

Mea est últio, et ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà est dies perditiónis; * et adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus, * et clausi quoque defecérunt, residuíque consúmpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * et bibébant vinum libáminum.

Surgant, et opituléntur

vobis, * et in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus; * et non sit álius Deus præter me:

Ego occidam, et ego vivere fáciam; percútiam, et ego sanábo; * et non est qui de manu meâ possit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam; et dicam: * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóstibus meis; * et his qui odérunt me, retribuam:

Inebriábo sagittas meas sánguine,* et gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum,* et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur.

Et vindíctam retribuet in hostes eórum, * et propítius erit terræ pópuli sui.

Glória Patri, etc.

Ant. Deus fidélis, justus et rectus.

In semidupl. et simpl.
Canticum. Judith. 16.

Domino cantat Judith ob victoriam in Holofernem obtentam.

INcípite Dómino in tympanis; * cantáte Dómino in cymbalis.

Modulámini illi psalmum novum; * exaltáte et invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella: * Dóminus nomen est illi.

Qui pósuit castra sua in médio pópuli sui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne, * in multitúdine fortitúdinis suæ:

Cujus multitúdo obturávit torréntes, * et equi eórum cooperuérunt valles.

Dixit se incensúrum fines meos, * et júvenes meos occisúrum gládio,

Infántes meos dare in prædam, * et vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnipotens nócuit eum, et trádidit eum in manus fé-

minæ, * et confódit eum.
Glória Patri, etc.
Ant. Eripuit nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

PSALMUS 116.

Quòd gentibus innotuerit veritas, Dei laudatio.

LAudáte Dóminum, omnes gentes; * laudáte eum, omnes pópuli;
Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * et véritas Dómini manet in ætérnum.
Glória Patri, etc.
Ant. Laudáte Dóminum, omnes gentes.

Capitul. 1. *Cor.* 9.

NEscítis quòd hi qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravíum? sic cúrrite ut comprehendátis.

HYMNUS.

REcens ab auctóris manu,
Primus parens mortálium,
Curis solútus ánxiis,
Dies agébat cándidos.
Mox, pœna peccáti, labor
Cum Patre natos óbruit:
Hinc terra cultóris manu
Versánda, spinas prótulit.
Omnes dolóris filii,
Omnes labóri náscimur:
Inter labóres vívimus;
Labóre vitam cláudimus.
At non caret fructu labor:
Factus medéla críminis,
Corpus domat, cor érigit,
Et munit ad cœlum viam.
Qui nos corónat, laus Patri;
Qui nos redémit Fílio;
Almâ juvans nos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Ego ad te, Dómine, clamávi.
℟. Et manè orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87.

Ad Bened. *Ant.* Hæc dicit Dóminus Deus: Elécti mei non laborábunt frustrà. *Is.* 65.

AD PRIMAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm lucis orto sídere, etc.

PSALMUS 87.

Christus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, se Deo commendat.

DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi et nocte coràm te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam;

Quia repléta est malis ánima mea; * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum; * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámpliùs, * et ipsi de manu tuâ repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, et in umbrâ mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longè fecísti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópiâ.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die; * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua,* et justítia tua in terrâ obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi, * et manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam?* avértis fáciem tuam à me.

Pauper sum ego, et in labóribus à juventúte meâ: * exaltátus autem, humiliátus sum, et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ; * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die; * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum et próximum, * et notos meos à miséria.

Glória Patri, et Fílio,* et Spirítui sancto;

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum.

Amen.

PSALMUS 142.

Præ Dei magnitudine humiliat se anima, et ejus adjutorium in adversis deprecatur.

DOmine, exáudi oratiónem meam; * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tuâ; exáudi me in tuâ justítiâ.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terrâ vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi;* et anxiátus est super me spíritus meus: in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum: meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aquâ tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine:* defécit spíritus tuam à me; * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in quâ ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 142.

ERipe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi;* doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam; * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tuâ.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * et in misericórdiâ tuâ dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniam ego servus tuus sum.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto;

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum.

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium, etc.

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus, etc.

Psalmus 28.

Ad adorationem et sacrificium vocantur filii Dei.

AFférte Dómino, filii Dei; * afférte Dómino filios arietum.

Afférte Dómino glóriam et honórem; afférte Dómino glóriam nómini ejus;* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit; * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte; * vox Dómini in magnificéntiâ.

Vox Dómini confringéntis cedros; * et confringet Dóminus cedros Líbani,

Et comminuet eas tanquam vítulum Líbani; * et diléctus quemádmodùm filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: vox Dómini concutiéntis desértum; * et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa; * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit * et sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit; * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Glória Patri, etc.

Psalmus 44.

Carmen nuptiale; Christi, et Ecclesiæ dotes.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ filiis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum,* potentíssime.

Spécie tuâ et pulchritúdine tuâ inténde,* prósperè procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ; pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem; proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis, * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum; * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intùs; * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam; * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítiâ et exultatióne; * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * et in sæculum sæculi.

Glória Patri, etc.

Psalmus 149.

Deo Sanctorum remuneratori magnifico canticum.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésiâ Sanctórum.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum; * et fílii Sion exúltent in Rege suo.

Laudent nomen ejus in choro, * in tympano, et psaltério psallant ei;

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo, * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt Sancti in

glóriâ; * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * et gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * et nóbiles eórum in mánicis férreis,

Ut fáciant in eis judícium conscríptum: * glória hæc est ómnibus Sanctis ejus.

Glória Patri, etc.

Capitul. Coloss. 3.

QUodcúmque fácitis, ex ánimo operámini, sicut Dómino, et non homínibus, sciéntes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis.

℟. *br.* Providébam Dóminum * In conspéctu meo semper. Providébam Dóminum. *Ps.* 15.

℣. Omnia judícia ejus. *Ps.* 17. * In conspéctu. Glória Patri. Providébam.

℣. Oculi mei semper ad Dóminum. *Ps.* 24.

℟. Et retribuet mihi. *Ps.* 17.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium, etc.

HYMNUS.

JAm solis excélsum jubar, etc.

PSALMUS 45.

Ecclesia ex Dei tutelâ et beneficiis inconcussa.

DEus noster refúgium et virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dùm turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus: * non commovébitur, adjuvábit eam Deus manè dilúculò.

Conturbátæ sunt gentes et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum; * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ,

Arcum cónteret, et confrínget arma, * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus; * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terrâ.

Dóminus virtútum nobíscum; * suscéptor noster Deus Jacob.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 47.

Mirabilis Christi in Ecclesiam beneficentia.

MAgnus Dóminus, et laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur; * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt, * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis; * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri; * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam, * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie álterâ:

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi, * ipse reget nos in sæcula.

Glória Patri, etc.

Psalmus 86.

Quantùm Ecclesiam prædiligit Christus.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Raab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in eâ; * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum; * horum qui fuérunt in eâ.

Sicut lætántium ómnium habitátio est in te.

Glória Patri, etc.

Capitul. Philip. 4.

FRatres, quæcúnque sunt vera, quæcúnque pudica, quæcúnque justa, quæcúnque sancta.. Si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitáte.

℟. *br.* Utinàm dirigántur viæ meæ ad custodiéndas * Justificatiónes tuas! Utinàm.

℣. In toto corde meo exquisivi. *Ps.* 118. * Justificatiónes. Glória Patri. Utinàm.

℣. Da mihi intelléctum,

℟. Ut sciam testimónia tua. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, etc

Hymnus.

LAbénte jam solis rotâ, etc.

Psalmus 59.

Synagogæ afflictæ flebilis querimonia, auxilii divini deprecatio.

DEus, repulísti nos, et destruxísti nos: * irátus es, et misértus es nobis.

Commovísti terram, et conturbásti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura, * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs.

Ut liberéntur dilécti

tui; * salvum fac déxterâ tuâ, et exáudi me.

Deus locutus est in sancto suo: * lætábor, et partibor Síchimam, et convállem tabernaculórum metibor

Meus est Gálaad, * et meus est Manásses, * et Ephraïm fortitúdo cápitis mei:

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum, * mihi alienigenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos? * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 73.

In populi et templi calamitate, ex suis operibus magnis, in auxilium appellatur Deus.

Ut quid, Deus, repulísti in finem? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab initio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ; * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa; et non cognovérunt, * sicut in éxitu super summum.

Quasi in silvâ lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum; * in secúri et ásciâ dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum; * in terrâ polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terrâ.

Signa nostra non vídimus, jam non est pro-

phéta; * et nos non cognóscet ampliùs.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 73.

USquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam et déxteram tuam * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tuâ mare; * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis; * dedísti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupísti fontes, et torréntes; * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox; * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terræ; * æstátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus: inimícus improperávit Dómino; * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam; * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum qui te odérunt ascéndit semper.

Glória Patri, etc.

Capitul. Gal. 6.

BOnum faciéntes non deficiámus, témpore enim suo metémus non deficiéntes. Ergò, dùm tempus habémus, operémur bonum.

℟. *br.* Ergò, * Non dissolvántur manus. 2. *Par.* 15. Ergò.

℣. Erit enim merces óperi. *Ibid.* * Non dissolvántur. Glória Patri. Ergò.

℣.

℣. Qui séminat in benedictiónibus,

℟. De benedictiónibus et metet. 2. *Cor.* 9.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutórium, etc.

1. f. Psalmus 127.

Quàm prosperæ sint res timentibus Deum.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis :* beátus es, et benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans * in latéribus domûs tuæ.

Filii tui sicut novéllæ olivárum * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ;

Et vídeas filios filiórum tuórum; * pacem super Israël.

Glória Patri, etc.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum., qui ámbulant in viis ejus.

5. a. Psalmus 131.

Oratio Ecclesiæ Christum et ejus gratias deposcentis.

MEménto, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus;

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in locum strati mei;

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem;

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta : * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus, * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam; * et Sancti tui exúltent.

Propter David servum

tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Glória Patri, etc.

Ant. Introïbimus in tabernáculum Dómini.

7. ç. *Divisio Psalmi* 131.

JUrávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc quæ docébo eos;

Et fílii eórum usque in sæculum * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion; * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi; * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam; * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári; * et Sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illùc prodúcam cornu

sum autem efflorébit sanctificátio mea.

Glória Patri, etc.

Ant. Sion réquies mea in sæculum sæculi.

2. *D.* Psalmus 143.

Victoria ab hostibus Dei donum est.

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum; * suscéptor meus, et liberátor meus;

Protéctor meus, et in ipso sperávi: * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est; * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, et descénde; * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatió-

alto; éripe me, et líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem, * et déxtera eórum déxtera iniquitátis.

Glória Patri, etc.

Ant. Deus meus, misericórdia mea, et suscéptor meus.

6. F. *Divisio Psalmi* 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi, * in psaltério decachórdo psallam tibi,

Qui das salútem régibus: * qui redemísti David servum tuum, de gládio malígno éripe me;

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem, * et déxtera eórum déxtera iniquitátis:

Quorum filii sicut novéllæ plantatiónes * in juventúte suâ:

Fíliæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi:

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

Oves eórum fœtósæ, abundántes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ:

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Capitul. 1. *Cor.* 15.

FRatres mei dilécti, stábiles estóte, et immóbiles, abundántes in ópere Dómini semper, sciéntes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

HYMNUS.

SUpréme motor córdium,
Tu sanctitátis frúgibus
Justos ab orbe cóndito
Tenóre ditas pérpeti.

Hìc spes, fides et cháritas
Manent simul dùm vívimus:
Præséntis ævi post diem
Manébit una cháritas.

O cháritas! ô véritas!
O lux perénnis! en erit
Post tot labóres, ut tuo

Tandem fruámur sábbato.
Hîc mille per discrímina,
Semen geméntes spárgimus:
Illic ovánte spléndidam
Gestábimus messem manu.
Tu trine, tu potens Deus,
Fructus adáuge quos petis:
Illos corónans, múnera
Æquus coronábis tua.
Amen.

℣. Qui perseveráverit usque in finem,
℟. Hic salvus erit. *Mat.* 10.

Ad Magnif. *Antiph. et Oratio ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

Convérte nos, etc.

Deus, in adjutórium, etc.

4. a. Psalmus 50.

Pœnitentis animæ amara contritio.

MIserére meî, Deus, * secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte meâ, * et à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, * et peccátum meum contrà me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coràm te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti; * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor; * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam; * et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis; * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie

tuâ, * et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui ; * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas ;* et ímpii ad te convertêntur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ ; * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries ; * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam, si voluisses sacrifícium, dedíssem útique ; * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo, spíritus contribulátus : * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígnè fac, Dómine, in bonâ voluntáte tuâ, Sion, * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta ; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri, etc.

Psalmus 85.

Per fidem gentes illuminari rogat Christus.

INclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me ; * quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum ; * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die ; * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi :

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis, * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudísti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine ; * et non est secúndùm ópera tua.

Omnes gentes quascúnque fecísti, vénient et adorábunt coràm te, Dómine, * et glorificábunt nomen tuum ;

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

Glória Patri, etc.

Divisio Psalmi 85.

DEduc me, Dómine, in viâ tuâ, et ingrédiar in veritáte tuâ: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me, * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax,

Réspice in me, et miserére mei; * da impérium tuum púero tuo, et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bono, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri, etc.

HYMNUS.

GRates, perácto jam die, etc. *ut Feriâ 2, omissis Precibus.*

ANTIPH. de B. M. V.

A primis Vesperis Festi SS. Trinitatis, ad Nonam Sabbati ante Dominicam primam Adventûs, inclusivè.

ANTIPHONA.

SAlve, Regína, Mater misericórdiæ.

Vita, dulcédo, et spes nostra, salve.

Ad te clamámus éxules filii Evæ.

Ad te suspirámus geméntes et flentes in hâc lacrymárum valle.

Eia ergò, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte.

Et Jesum benedictum, fructum ventris tui, nobis post hoc exilium osténde.

O clemens!

O pia!

℣. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui glorióse Vírginis Matris Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte, præparásti; da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ intercessióne, ab instántibus malis, et à morte perpétuâ liberémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Oratio post Officium.

Leo X. Pontifex Maximus concessit, ut qui post Officium divinum Orationem sequentem dixerit, defectuum et culparum in eo persolvendo ex humanâ fragilitate contractarum remissionem et indulgentiam consequatur.

SAcrosánctæ et indivíduæ Trinitáti, crucifíxi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimæ et gloriosíssimæ Vírginis Maríæ fœcúndæ integritáti, et ómnium Sanctórum universitáti, sit sempitérna laus, honor, virtus et glória ab omni creatúrâ; nobísque remíssio ómnium peccatórum, per infiníta sæcula sæculórum. Amen.

℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis quæ portavérunt ætérni Patris Fílium;

℟. Et beáta úbera quæ lactavérunt Christum Dóminum. Amen.

Pater noster, *etc.* Ave, María, *etc.*

ORATIONES VOTIVÆ.

De SS. Sacramento.

Oratio.

DEus, qui nobis, sub Sacraménto mirábili, passiónis tuæ memóriam reliquísti; tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Pro Papâ.

DEus, ómnium fidélium Pastor et rector, fámulum tuum N.

quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quæsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere, ut ad vitam, unà cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per.

Pro Rege.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus N. Rex noster, qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, et vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te, qui via, véritas, et vita es, gratiósus váleat pervenire. Per.

Ad postulandam Aëris serenitatem.

AD te nos, Dómine, clamántes exáudi, et serenitátem nobis tribue supplicántibus; ut qui justè pro peccátis nostris affligimur, misericórdiâ tuâ prævèniénte, cleméntiam sentiámus. Per.

Pro quâcunque necessitate.

DEus, refúgium nostrum et virtus, adésto piis Ecclésiæ précibus, auctor ipse pietátis; et præsta ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per.

Pro gratiis Deo agendis.

DEus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infinítus est thesáurus; piissimæ majestáti tuæ, pro collátis donis, grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes, ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens ad præmia futúra dispónas. Per.

PROPRIUM
DE
TEMPORE.

PARS ÆSTIVA.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

SS. TRINITATIS.

DUPLEX II. CLASSIS, PRIVILEGIATUM.

Duplex quodlibet occurrens hâc die transfertur; de Semidupl. aut Simpl. fit comm.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris*, *fol. iij.*

Ant. 2. *D.* Nobis unus Deus Pater, ex quo ómnia, et nos in illum. 1. *Cor.* 8.

Ant. 3. a. Nobis unus Dóminus Jesus Christus, per quem ómnia, et nos per ipsum. *Ibid.*

Ant. 5. c. In uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus. 1. *Cor.* 12.

Ant. 4. f. Magnus Dóminus noster, et magna

virtus ejus, et sapiéntiæ ejus non est númerus. *Psal.* 146.

Ant. 1. D. Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt ómnia, ipsi glória in sæcula. *Rom.* 11.

Capitul. 1. *Joan.* 5.

TRes sunt qui testimónium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus; et hi tres unum sunt.

℟. O altitúdo divitiárum, sapiéntiæ et sciéntiæ Dei! * Quàm investigábiles sunt viæ ejus! *Rom.* 11.

℣. Dóminus exercítuum magnus consílio, et incomprehensíbilis cogitátu. *Jerem.* 32. * Quàm investigábiles. Glória Patri. * Quàm investigábiles.

HYMNUS.

TEr sancte, ter potens Deus,
Incomprehénsa Trínitas:
Ò lux perénnis! própriis
O ter beáta gáudiis!

O vera semper Unitas!
O una semper Véritas!
O sancta semper, quæ bonum
Diffúndis omne, Cháritas!

Te densa circùm núbila,
Te circùm inaccéssum jubar,
Quod intùs ardent Angeli
Circùm treméntes cérnere.

Te confitétur in tuo
Et plebs renáta nómine;
Firmâque prælíbat fide
Amor quod ambit præmium.

Da posse quod jubes, Pater;
Da scire, Fili, quod doces;
Fac corde toto, Spíritus,
Nos velle, quod probas bonum.

* Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Magnus Dóminus et laudábilis nimis,

℟. Magnitúdinis ejus non est finis. *Ps.* 144.

Ad Magn. *Ant.* 7. G. Solus habet immortalitátem, et lucem inhábitat inaccessíbilem, quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest. 1. *Timoth.* 6.

Orat. ut infrà ad Laudes.

Comm. Dominicæ.

Ant. Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3.

℣. Servus tuus sum ego;

℟. Da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua. *Psal.* 118.

Oratio ut infrà post Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Dominicâ.

HYMNUS.

QUod lapsa retrò sæcula
Vix nóverant mystérium,
Nobis revelásti, Deus,
In Filio per Spíritum.

O Trínitas unus Deus,
Quam per fidem nunc crédimus,
Te quandónam vidébimus,
Laudémus ut te júgiter?

Qui nos creávit, laus Patri, etc. *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 5. a.

Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem. *Apoc.* 4.

Oratio ut infrà post Laudes.

AD MATUTINUM.

Invit. Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 28.

Psal. Veníte.

HYMNUS.

TEr sancte, ter potens Deus, etc. *ut sup. ad Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Psal. Dómine, Dóminus noster. *fol.* 59.

Ant. Quàm admirábile est nomen tuum in univérsâ terrâ!

Psalm. Exultáte, justi. *fol.* 134.

Antiph. Verbo Dómini cœli firmáti sunt, et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Divis. Ps. Beáta gens. *fol.* 135.

Ant. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus.

℣. Pater noster es tu. *Is.* 64.

℟. Tu creásti ómnia. *Apoc.* 4.

De Epístolâ ad Románoş.
Lectio j. Cap. 5.

PRoptéreà, sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, et per peccátum mors, et ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt.... sed regnávit mors ab Adam usque ad Móysen, étiam in eos qui non peccavérunt in similitúdinem prævaricatiónis Adæ, qui est forma futúri. Sed non sicut delíctum, ita et donum. Si enim uníus delícto multi mórtui sunt, multò magis grátia Dei, et donum in grátiâ uníus hóminis Jesu Christi, in plures abundávit; et non sicut per unum peccátum, ita et donum: nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem, grátia autem ex multis delíctis in justificatiónem.

℟. Ubi est, mors, victória tua? * Ubi est, mors, stímulus tuus? 1. *Cor.* 15.

℣. Chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, tulit Christus de médio, affigens illud cruci. *Coloss.* 2. * Ubi est.

Lectio ij.

SI enim uníus delícto mors regnávit per unum, multò magis abundántiam grátiæ, et donatiónis, et justítiæ accipiéntes, in vitâ regnábunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem: sic et per uníus justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam uníus hóminis peccatóres constitúti sunt multi, ita et per uníus obeditiónem justi constituéntur multi... Ubi autem abundávit delíctum, superabundávit grátia. Ut sicut regnávit peccátum in mortem, ita et grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. Deo grátias, qui * Dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. 1. *Cor.* 15.

℣. Donans ómnia delícta, et expólians Principátus et Potestátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphans illos in semetípso. *Col.* 2. * Dedit.

Lectio iij. Cap. 6.

QUid ergò dicémus? Permanébimus in peccáto, ut grátia abúndet? Absit. Qui enim mórtui sumus peccáto, quómodò adhuc vivémus in illo?.... Non ergò regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus. Sed neque exhibeátis membra vestra arma iniquitátis peccáto, sed exhibéte vos Deo tanquam ex mórtuis vivéntes, et membra vestra arma justítiæ Deo. Peccátum enim vobis non dominábitur: non enim sub lege estis, sed sub grátiâ.

℟. Vetus homo noster crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti, et * Ultrà non serviámus peccáto. *Rom.* 6.

℣. Liberáti à peccáto, servi facti justítiæ. *Rom.* 6. * Ultrà non. Glória Patri. * Ultrà non.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Confitébor tibi... in concílio. *fol.* 33.

Ant. Redemptiónem misit pópulo suo, mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Psal. Confitémini Dómino. *fol.* 84.

Ant. Edúxit eos de ténebris et umbrâ mortis, et víncula eórum disrúpit.

Divis. Psal. Os meum annuntiábit. *fol.* 167.

Ant. Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi, et ánima mea quam redemísti.

℣. Occísus es, Dómine;

℟. Redemísti nos Deo in sánguine tuo. *Apoc.* 5.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Lib.* 15. *de Trin. cap. ult.*

Lectio iv.

DOmine Deus noster, crédimus in te Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum. Neque enim díceret Véritas: (Ite, baptizáte omnes Gentes, in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti,) nisi Trínitas esses. Nec baptizári nos jubéres, Dómine Deus, in ejus nómine qui non est Dóminus Deus. Neque dicerétur voce divínâ: (Audi, Israël: Dóminus Deus tuus unus est),

nisi Trinitas ita esses, ut unus Dóminus Deus esses.

℟. Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus, * Hi tres unum sunt.

℣. Scimus quóniam Fílius dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joann.* 5. * Hi tres.

Lectio v.

ET si tu, Deus Pater, ipse esses Fílius Verbum tuum Jesus Christus, et donum vestrum Spíritus sanctus, non legerémus in lítteris veritátis: (Misit Deus Fílium suum.) Nec tu, ô Unigénite! díceres de Spíritu sancto: (Quem mittet Pater in nómine meo); et, (Quem ego mittam vobis à Patre.) Ad hanc régulam fídei dírigens intentiónem meam, quantùm pótui, quantùm me posse fecísti, quæsívi te.

℟. Nôsse te, Deus, consummáta justítia est, et * Scire justítiam et virtútem tuam radix est immortalitátis. *Sap.* 15.

℣. Hæc est vita ætérna, ut cognóscant te, solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. *Joan.* 17. * Scire justítiam.

Lectio vj.

DOmine Deus meus, una spes mea, exáudi me, ne fatigátus nolim te quærere, sed quæram fáciem tuam semper ardénter. Tu, da quæréndi vires, qui invenire te fecísti, et magis magísque inveniéndi te spem dedísti. Coràm te est firmitas et infírmitas mea: illam serva, istam sana. Coràm te est sciéntia et ignorántia mea; ubi mihi aperuísti, súscipe intrántem; ubi clausísti, áperi pulsánti. Memínerim tuî, intélligam te, díligam te. Auge in me ista, donec me refórmes ad íntegrum... cùm pervenérimus ad te, manébis unus ómnia in nobis, et sine fine dicémus, unum laudántes te in unum, et in te facti étiam nos unum: Dómine Deus une, Deus, Trínitas.

℟. Dómine, * Quandò hæc erunt? *Matth.* 24.

℣. Ante te omne desidérium meum. *Psal.* 37. * Quandò. Glória Patri. * Quandò.

IN III. NOCTURNO.

Psalm. Lauda, ánima mea. *fol.* 170.

Ant. Dóminus érigit elísos, Dóminus illúminat cæcos.

Divis. Psal. Eripe me de inimícis meis. *fol.* 201.

Ant. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam; propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.

Divis. Psal. (Dómine), víneam de Ægypto. *fol.* 152.

Ant. Non discédimus à te, vivificábis nos, et nomen tuum invocábimus.

℣. Divisiónes gratiárum sunt, idem autem Spíritus;

℟. Omnia operátur dívidens síngulis, prout vult. 1. *Cor.* 12.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 28.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Data est mihi omnis potéstas in cœlo et in terrâ. Eúntes ergò docéte omnes Gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. Et réliqua.

Homília
S. Gregórii Nazianzéni.
Tract. de fide.

QUis catholicórum ignórat Patrem verè esse Patrem, Fílium verè Fílium, et Spíritum sanctum verè esse Spíritum sanctum? Sicut ipse Dóminus ad Apóstolos suos dicit: (Eúntes, baptizáte omnes Gentes in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti.) Hæc est perfécta Trínitas in Unitáte consístens, quam scílicet uníus substántiæ profitémur. Non enim nos secúndùm córporum conditiónem, divisiónem in Deo fácimus; sed secúndùm divínæ natúræ poténtiam, quæ in matériâ non est, et nóminum Persónas verè constáre crédimus, et Unitátem Divinitátis esse testámur.

℟. Nobis * Unus Deus Pater, et unus Dóminus Jesus Christus, unus atque idem Spíritus. 1. *Cor.* 8 *et* 12.

℣. Occurrámus omnes in unitátem fídei. *Ephes.* 4. * Unus.

Lectio viij.

NEc extensiónem partis alicújus ex parte, ut quidam putavérunt, Dei Fílium dícimus. Nec verbum sine re, velut sonum vocis accípimus; sed tria nómina et tres Persónas uníus esse esséntiæ, uníus majestátis atque poténtiæ crédimus, et ideò unum Deum confitémur quia Unitas majestátis plúrium vocábulo Deos próhibet appellári.

℟. Pater, Dómine cœli et terræ, confíteor tibi, quia * Revelásti ea. *Matth.* 11.

℣. Nobis revelávit per Spíritum suum: Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei. 1. *Corinth.* 2. * Revelásti ea.

Lectio ix.

DEniquè Patrem et Fílium cathólicè nominámus: duos autem Deos dícere, nec póssumus, nec debémus. Non quòd Fílius Dei Deus non sit, imò verò verus Deus de Deo vero; sed quia non aliúndè quàm de ipso uno Patre, Dei Fílium nóvi-

phétæ, hoc Apóstoli tradidérunt, hoc ipse Dóminus dócuit, cùm dicit: (Ego et Pater unum sumus,) Unum ad Unitátem Divinitátis, ut dixi, refert: Sumus autem, Persónis assignat.

℟. Hæc est victória quæ * Vincit mundum, fides nostra. 1. *Joan.* 5.

℣. Testificáta à lege et Prophétis. *Rom.* 3. * Vincit. Glória Patri, etc. * Vincit.

℣. *Sacerd.* Exaltáte Dóminum quantùm potéstis.

℟. Major est omni laude. *Eccli.* 43.

AD LAUDES.

Psal. Dóminus regnávit, irascántur. *fol.* 68.

Ant. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est.

Psal. Jubiláte Deo, omnis terra. *fol.* 11.

Ant. Dóminus ipse est Deus; ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Psal. Laudáte Dóminum de cœlis. *fol.* 16.

Ant. Júvenes et vírgi-

mini; quia exaltátum est nomen ejus solius.

Canticum. Eccli. 43.

MUlta dicémus, et deficiémus in verbis: * consummátio autem sermónum ipse est in ómnibus.

Gloriántes ad quid valébimus? * Ipse enim omnípotens super ómnia ópera sua.

Terríbilis Dóminus, et magnus veheménter, * et mirábilis poténtia ejus.

Glorificántes Dóminum quantumcúnque potuéritis: * supervalébit enim adhuc, et admirábilis magnificéntia ejus.

Benedicéntes Dóminum, exaltáte illum, quantùm potéstis: * major enim est omni laude.

Exaltántes eum, replémini virtúte ne laborétis: * non enim comprehendétis.

Quis vidébit eum et enarrábit? * et quis magnificábit eum sicut est ab initio?

Glória Patri, etc.

Ant. Quis magnificábit (Deum) sicut est ab initio?

Ps. Laudáte Dóminum in Sanctis ejus. *fol.* 91.

Ant. Laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capitulum. 2. *Cor.* 13.

GRátia Dómini nostri Jesu Christi, et cháritas Dei, et communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis.

HYMNUS.

O Luce quæ tuâ lates,
Beáta semper Trínitas!
Te confitémur, crédimus,
Pióque corde quærimus.

O Sancte Sanctórum Pater!
O Nate de Deo Deus!
O charitátis vínculum,
Jungens utrúmque, Spíritus!

Ut se videt totum Pater,
Coæva Proles náscitur;
Amórque quo se díligunt,
Et ipse procédit Deus.

Est totus in Nato Pater,
In Patre totus Fílius;
Natóque plenus ac Patre
Inest utríque Spíritus.

Quod Natus est, hoc Spíritus;
Hoc est utérque, quod Pater:
Tres una summa véritas,
Tres una summa cháritas.

Ætérna Patri glória,
Natóque sit cum Spíritu,
Qui vivit et regnat Deus
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Quis loquétur poténtias Dómini?

℟. Audítas fáciet omnes laudes ejus. *Psal.* 105.

Ad Bened. *Ant.*

Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus omnípotens. *Apoc.* 4.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis, in confessióne veræ fidei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtiâ majestátis adoráre Unitátem; quæsumus, ut ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spiritûs sancti Deus, per ómnia, etc.

Pro Commem. Dominicæ.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Cap. 6.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Estóte misericórdes sicut et Pater vester miséricors est. Et réliqua.

Homília
S. Augustini Episcopi.
Serm. 83. *aliàs* 15. *de verb. Dom.*

DUo sunt ópera misericórdiæ quæ nos líberant, quæ bréviter ipse Dóminus pósuit in Evangélio: (Dimíttite, et dimittétur vobis; date, et dábitur vobis.) Dimíttite et dimittétur vobis, ad ignoscéndum pértinet. Date et dábitur vobis, ad præstándum benefícium pértinet. Quod ait de ignoscéndo, et tu vis tibi ignósci quod peccas, et habes álium cui tu possis ignóscere. Rursùs quod pértinet ad tribuéndum benefícium, petit te mendícus, et tu es Dei mendícus: omnes enim quandò orámus, mendíci Dei sumus; ante jánuam magni Patrisfamíliâs stamus, imo étiam prostérnimur, súpplices ingemíscimus, áliquid voléntes accípere, et ipsum áliquid ipse Deus est. Quid à te petit mendícus? Panem. Et tu, quid petis à Deo, nisi Christum qui

dicit: Ego sum panis vivus qui de cœlo descéndi? Ignósci vobis vultis? Ignóscite: remittite, et remittétur vobis. Accípere vultis? Date, et dábitur vobis.

Ant. Nolíte condemnáre, et non condemnabímini: eâdem quippè mensúrâ quâ mensi fuéritis, remetiétur vobis. *Luc.* 6.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo,

℟. Ut meditárer elóquia tua. *Ps.* 118.

Oratio.

DEus, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris; et, quia sine te nihil potest mortális infírmitas, præsta auxílium grátiæ tuæ, ut in exequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum.

AD HORAS.

HYMNUS.

QUod lapsa, etc. *ut sup. ad Completor.*

Psalmi de Dominicâ.

Ad Prim. post Psalm. non dic. Allelúia; *sed statim dic.*

SYMBOLUM.

QUicúnque vult salvus esse, * ante ómnia opus est ut téneat cathólicam Fidem;

Quam nisi quisque íntegram inviolatámque serváverit, * absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc est, * ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in Unitáte venerémur,

Neque confundéntes persónas, * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs sancti;

Sed Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti una est Divínitas, * æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius, * imménsus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres ætérni, * sed unus ætérnus:

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi; * sed unus increátus, et unus imménsus.

Similiter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus;

Et tamen non tres omnipoténtes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dii, * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquámque persónam Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur: * ita tres deos, aut dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est; * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre et Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergò Pater, non tres patres; * unus Fílius, non tres fílii; * unus Spíritus sanctus, non tres spíritus sancti.

Et in hâc Trinitáte nihil prius, aut postérius, nihil majus, aut minus; * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt, et coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * et Unitas in Trinitáte, et Trinitas in Unitáte veneránda sit.

Qui vult ergò salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergò fides recta, ut credámus et confiteámur * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántiâ Patris ante sæcula génitus; * et homo est ex substántiâ matris in sæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo, * ex ánimâ rationáli, et humánâ carne subsistens.

Æquális Patri secúndùm Divinitátem; * minor Patre secúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne Divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omninò, non confusióne substántiæ; * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális et caro unus est homo: * ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostrâ, descéndit ad ínferos, * tértiâ die resurréxit à mórtuis;

Ascéndit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis, * indè ventúrus est judicáre vivos et mórtuos;

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * et redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam, * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc est Fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri, etc. Allel.

℟. *parv.* Benedíctio, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, et virtus, et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum, amen. *Apocal.* 7.

Oratio ut suprà ad Laud.

Canon. Ann. 553.

Ex Conc. Constantinopolitáno secúndo œcuménico.

SI quis non confitétur Patris, et Filii, et Spíritûs sancti unam natúram sive substántiam, et unam virtútem, et potestátem, Trinitátem Consubstantiálem, unam Deitátem in tribus subsisténtiis sive Persónis, adorándam; anathéma sit.

AD II. VESPERAS.

Psal. Dixit Dóminus. *fol.* 33.

Ant. 7. c. Dixit Dómi-

nus Dòmino meo : Sede à dextris meis.

Psal. In éxitu. *fol.* 35.

Ant. 5. a. Deus noster in cœlo, ómnia quæcúnque vóluit, fecit.

Psal. Confitébor. *fol.* 154.

Ant. 3. c. Cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini, quóniam excélsus Dóminus.

Ps. Exaltábo. *fol.* 154.

Ant. 4. *E.* Magnus Dóminus, et laudábilis nimis, et magnitúdinis ejus non est finis.

Divis. Psal. Miserátor et misericors Dóminus. *fol.* 155.

Ant. 1. D. Notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Allelúia, allel. ℣. Eléctis secúndùm præscientiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spiritûs, in aspersiónem sánguinis Jesu Christi, grátia et pax. 1. *Pet.* 1.

Allelúia.

PROSA.

NOn dócilis pati frenos,
Supérba mens obstúpeat;
Audáces sólita sonos
Dare vox, pudens síleat.
In fide simplex, gens sancta
Credat Dei mystérium,
Trinitáti mens devóta
Pium præstet obséquium.
* Unum Deum adorámus,
Natúrâ non compósitum;
Tres Persónas prædicámus,
Patrem, Verbum, et Spíritum.
Pater ab ævo se videns
Parem sibi gignit Natum;
Utérque sese díligens
Parem prodúcit Spíritum.
In splendóribus Sanctórum,
Verbum, Numen de Númine,
Patri compar, prodit verum
Lumen, de vero lúmine.
Prolis amor et Paréntis,
Paraclétus non génitus
Procédit, et procedéntis
Par est glória Spiritûs.
Persónis stat non confúsis
Indivísa substántia;
In tribus una distínctis
Agnóscitur poténtia.
Quæ nos de limo formásti,
Incomprehénsa Trinitas!

Tua, quos ad te creásti,
Salvet imménsa Cháritas.
Quos mundat unda vitális
In tuo fusa nómine,
Per cursum vitæ mortális
Immúnes fac à crímine.
Nos spíritum emissúros
Tuo signátum númine,
Ad pátriam reversúros,
Tuo récrea lúmine.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 8. F. Per Jesum Christum habémus accéssum in uno Spíritu ad Patrem. *Eph.* 2.

Commem. Dominicæ.

Ant. Non est discípulus super magístrum; perféctus autem omnis erit, si sit sicut magíster ejus. *Luc.* 6.

℣. Custódit Dóminus omnes diligéntes se,

℟. Et omnes peccatóres dispérdet. *Ps.* 144.

Oratio ut suprà, ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. et Hymnus ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. F. Benedictum, Dómine, nomen glóriæ tuæ sanctum, et laudábile, et superexaltátum in ómnibus sæculis. *Dan.* 3.

Oratio ut suprà post Laud.

In locis ubi SS. Trinitas est titulus Ecclesiæ, per Octav. dicuntur Lectiones de Scripturâ currente, cætera ut in die, secund. Fer. Cap. et ℟ ℟. brev. Horar. de Psalt. ut in Dominic. usq. ad Fest. Corp. Christi excl. et posteà fit tant. commem. Oct. SS. Trinitatis.

Die octavâ quæ est Dominica intrà Octav. Corporis Christi, fit officium SS. Eucharistiæ, cum comm. Oct. SS. Trinitatis.

FERIA SECUNDA.

Omnia dicuntur ut in Psalterio, cum Orat. Dominicæ præced.

De Epístolâ ad Romános.

Lectio j. Cap. 6.

HUmánum dico propter infirmitátem carnis vestræ: sicut enim exhibuístis membra vestra servíre immundítiæ

et iniquitáti ad iniquitátem, ita nunc exhibéte membra vestra servire justítiæ in sanctificatiónem. Cùm enim servi essétis peccáti, líberi fuístis justítiæ. Quem ergò fructum habuístis tunc in illis, in quibus nunc erubéscitis? nam finis illórum mors est. Nunc verò liberáti à peccáto, servi autem facti Deo, habétis fructum vestrum in sanctificatiónem, finem verò vitam ætérnam. Stipéndia enim peccáti, mors; grátia autem Dei, vita ætérna in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Ergò * Non regnet peccátum in mortáli córpore. *Rom.* 6.

℣. Nunc solúti sumus à lege mortis, ut serviámus in novitáte Spíritûs. *Rom.* 7. * Non regnet.

Lectio ij. Cap. 8.

NIhil ergò damnatiónis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secúndùm carnem ámbulant... Qui enim secúndùm carnem sunt, quæ carnis sunt sápiunt; qui verò secúndùm Spíritum sunt, quæ sunt Spíritûs séntiunt. Nam prudéntia carnis, mors est; prudéntia autem Spíritûs, vita et pax. Quóniam sapiéntia carnis inimíca est Deo... Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt.

℟. Non secúndùm carnem, sed * Secúndùm Spíritum ambulámus. *Rom.* 8.

℣. Dignè Deo per ómnia placéntes. *Col.* 1. * Secúndùm.

Lectio iij.

VOs autem in carne non estis, sed in Spíritu; si tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mórtuum est propter peccátum, Spíritus verò vivit propter justificatiónem. Quòd si Spíritus ejus, qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitat in vobis, qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit et mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis.

℟. Lætátum est cor meum, * Caro mea requiéscet in spe. *Ps.* 15.

℣. Repósita est hæc spes

mea in sinu meo. *Job.* 19. * Caro mea. Glória Patri. * Caro mea.

FERIA TERTIA.

De Epístolâ ad Romános.

Lectio j. Cap. 8.

ERgò, fratres, debitóres sumus non carni, ut secúndùm carnem vivámus. Si enim secúndùm carnem vixéritis, moriémini : si autem Spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúnque enim Spíritu Dei agúntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepístis Spíritum servitútis íterùm in timóre, sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus : Abba, Pater... Si autem filii, et hærédes; hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi, si tamen compátimur, ut et conglorificémur.

℟. Gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei; non solùm autem, sed et * Gloriámur in tribulatiónibus.

℣. Tribulátio patiéntiam operátur; patiéntia probatiónem ; probátio spem : spes autem non confúndit. *Rom.* 5. * Gloriámur.

Lectio ij.

SI Deus pro nobis, quis contrà nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepéroit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsùs eléctos Dei? Deus, qui justíficat. Quis est qui condémnet? Christus Jesus qui mórtuus est, imò qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

℟. Dóminus petra mea et robur meum, * Deus fortis, scutum meum, cornu salútis meæ, elevátor meus, refúgium meum. 2. *Reg.* 22.

℣. Si exúrgat advérsùm me prælium, in hoc ego sperábo. *Ps.* 26. * Deus fortis.

Lectio iij.

QUis ergò nos separábit à charitáte Christi? Tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius? Sicut

scriptum est: Quia propter te mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis; sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre à charitáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Dómine, * Díligam te, fortitúdo mea. *Ps.* 17.

℣. Etiámsi oportúerit me mori tecum. *Matth.* 26. * Díligam te. Glória Patri. * Díligam te.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ ad Romános.

Lectio j. Cap. 12.

OBsecro ítaque vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationá- sæculò, sed reformámini in novitáte sensûs vestri, ut probétis quæ sit volúntas Dei bona, et bénéplacens, et perfécta. Dico enim, per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos, non plus sápere quàm opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem, et unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei.

℟. Dómino Deo nostro serviémus, et * Obediéntes érimus præcéptis ejus. *Jos.* 24.

℣. Ideò humiliémus illi ánimas nostras. *Judith.* 8. * Obediéntes.

Lectio ij.

SIcut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúmdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra. Habéntes autem donatiónes secúndùm grátiam, quæ data est nobis, differéntes, sive prophétiam secúndùm ratiónem fídei, sive ministérium, in minis-

tátur, in exhortándo; qui tribuit, in simplicitáte; qui præest, in sollicitúdine; qui miserétur, in hilaritáte.

℟. Unicuique nostrûm data est grátia ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, * In ædificatiónem córporis Christi. *Ephes.* 4.

℣. In ómnibus exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros. 2. *Cor.* 6. * In ædificatiónem.

Lectio iij.

Dilléctio sine simulatióne, odiéntes malum, adhæréntes bono: charitáte fraternitátis invicem diligéntes, honóre invicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitátibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes.

℟. Utinàm * Dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas!

℣. Non confúndar, cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis. *Ps.* 118. * Dirigántur. Glória Patri. * Dirigántur.



IN FESTO
CORPORIS CHRISTI.

DUPLEX I. CLASSIS.

Si in hâc die occurrat Duplex etiam primæ Classis, transfertur post totam Octavam in primam diem non impeditam.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol. iij.*

Antiphona. 3. a. Fáciet Dóminus ómnibus pópulis in monte Sion convívium pinguium, convívium medullatórum. *Isa.* 25.

Ant. 2. *D.* Tríticum cómedent, et vinum bibent in átriis sanctis. *Isa.* 67.

Ant. 4. B. Erit ánima eórum quasi hortus irríguus, et ultrà non esúrient. *Jerem.* 31.

Sacerdótum pinguédine. *Jerem.* 31.

Ant. 7. G. Audíte, audiéntes me, et comédite bonum, et fériam vobíscum pactum sempitérnum. *Is.* 55.

Capitulum. 1. *Cor.* 11.

Dóminus Jesus, in quâ nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit et dixit: Accípite, et manducáte, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradétur; hoc fácite in meam commemoratiónem.

℟. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam. *Ps.* 115.

*. Memóriam fecit mirabílium suórum, escam dedit timéntibus se.

HYMNUS.

PAnge, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium,
Fructus ventris generósi,
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intáctâ Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátûs
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observátâ lege plenè
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

* Tantum ergò Sacraméntum
Venerémur cérnui,
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui:
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.

Genitóri Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio;
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

℣. Iste est panis quem Dóminus dedit ad vescéndum. *Exod.* 16.

℟. Hic est sanguis fœderis quod pépigit Dóminus. *Exod.* 24.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.
Panis Dei est: de cœlo descéndit, et dat vitam mundo. *Joan.* 6.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. de Dominicâ.

HYMNUS.

MAgister cum discípulis
Virtútis suæ cónsciis,
Sedens de pane cónficit
Seipsum, et his pórrigit.

In divínis opéribus
Est nihil mirabílius:
Nam cómedens comeditur,
Foris manens ingréditur.
Hoc posse dat homínibus

In órdine sublimibus,
Sic panem benedícere,
Carnem Christi conficere.
Hoc nemo valet álius,
Sanctus homo vel Angelus,
Quod solus potest Présbyter
Formam servans intégriter.
Decet ergò Presbyteros,
Honóre tanto præditos,
Se ipsos circumspícere,
Fidéliter atténdere.
Regále Sacerdótium,
Mirificum officium!
His únctio quid cóntulit,
Charácter quantum éxtulit!
Sint pura cordis íntima,
Et recta foris ómnia:
Intróeat mellífluus
Cibus, cibans nos Dóminus. Amen.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. *Joan.* 6.

Oratio ut inf. ad Laud.

Sic dicitur Complet. in Festis j. et ij. Class. intrà Oct. occurrent. In Festo Liberat. Civit. Ps. dicuntur de Feriâ; cætera verò ut hodiè.

AD MATUTINUM.

Invit. Panem vitæ Jesum Christum Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 6.

Psal. Veníte.

HYMNUS.

SAcris solémniis juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis sonent præcónia:
Recédant vétera, nova sint ómnia,
Corda, voces, et ópera.
Noctis recólitur cœna novíssima,
Quâ Christus créditur agnum et ázyma
Dedísse frátribus juxtà legítima
Priscis indúlta pátribus.
Post agnum typicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum Discípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus córporis férculum;
Dedit et trístibus sánguinis póculum;
Dicens: Accípite quod trado vásculum:
Omnes ex eo bíbite.

Sic sacrifícium istud
instítuit,
Cujus offícium commítti
voluit
Solis Presbyteris, quibus
sic cóngruit,
Ut sumant et dent cæte-
ris.
Panis Angélicus fit pa-
nis hóminum;
Dat panis cœlicus figúris
términum:
O res mirábilis! mandúcat
Dóminum
Pauper, servus et húmilis.
Te, trina Deïtas úna-
que, póscimus;
Sic nos tu vísitas, sicut te
cólimus:
Per tuas sémitas duc nos
quò téndimus,
Ad lucem quam inhábitas.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Te decet. *fol.* 116.

Ant. Parásti, Deus, cibum illórum.

Psal. Dóminus illuminátio. *fol.* 147.

Ant. Vídeam voluptátem Dómini, et vísitem templum ejus.

Divis. Psalm. Exáudi, Dómine, vocem meam. *fol.* 148.

Ant. Exquisívit te fácies mea; fáciem tuam, Dómine, requíram.

℣. Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea.

℟. Lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 12.

DIxit Dóminus ad Móysen et Aáron in terrâ Ægypti: Mensis iste vobis princípium ménsium, primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad univérsum cœtum filiórum Israël, et dícite eis: Décimâ die mensis hujus tollat unusquísque agnum per familias et domos suas. Sin autem minor est númerus, ut sufficere possit ad vescéndum agnum, assúmet vicínum qui junctus est dómui suæ, juxtà numérum animárum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque máculâ, másculus, annículus: juxtà quem ritum tollétis et hœdum. Et servábitis eum usque

ad quartam décimam diem mensis hujus; immolabitque eum univérsa multitúdo filiórum Israël ad vésperam; et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrúmque postem et in superlimináribus domórum in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illâ assas igni, et ázymos panes cum lactúcis agréstibus.

℟. Pascha nostrum * Immolátus est Christus. 1. *Cor.* 5.

℣. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. *Joan.* 1. * Immolátus.

Lectio ij. Cap. 16.

LOcútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Audivi murmuratiónes filiórum Israël; lóquere ad eos: Vésperè comedétis carnes, et manè saturabímini pánibus; scietísque quòd ego sum Dóminus Deus vester. Factum est ergò vésperè, et ascéndens cotúrnix coopéruit castra. Manè quoque ros jácuit per circúitum castrórum. Cùmque operuísset superfíciem terræ, appáruit in solitúdine minútum, et quasi pilo tusum, in similitúdinem pruínæ super terram. Quod cùm vidíssent filii Israël, dixérunt ad ínvicem: Manhu? quod signíficat: Quid est hoc? Ignorábant enim quid esset. Quibus ait Móyses: Hic est panis quem Dóminus dedit vobis ad vescéndum.

℟. Non Móyses dedit panem de cœlo, sed * Pater dat panem de cœlo verum. *Joan.* 6.

℣. Omnes, veníte, properáte, et comédite. *Is.* 55. * Pater dat.

De Libro tértio Regum.

Lectio iij. Cap. 19.

VEnit Elías in Bersabée Juda, et dimísit ibi púerum suum, et perréxit in desértum viam uníus diéi. Cùmque venísset, et sedéret subter unam juníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur, et ait: Súfficit mihi, Dómine, tolle ánimam meam: neque enim mélior sum quàm patres mei. Projecítque se, et obdormívit in umbrâ juníperi. Et ecce Angelus Dómini tétigit eum, et dixit illi: Surge et cómede. Respéxit

xit, et ecce ad caput suum subcinerícius panis, et vas aquæ: comédit ergò et bibit, et rursùm obdormívit. Reversúsque est Angelus Dómini secúndò, et tétigit eum, dixítque illi: Surge, cómede: grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comédit et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illius, quadraginta diébus et quadraginta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb.

℟. Calix cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? et * Panis quem frángimus, nonne participátio Córporis Dómini est? 1. *Cor.* 10.

℣. Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso manducáverit, non moriátur. *Joann.* 6. * Panis quem frángimus. Glória Patri, etc. * Panis quem.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Quemádmodùm desiderat cervus, etc. *fol.* 122.

Ant. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei, in voce exultatiónis et confessiónis, sonûs epulántis.

Psal. Júdica me, Deus. *fol.* 123.

Ant. Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Psalm. Júdica me, Dómine. *fol.* 94.

Ant. Circúmdabo altáre tuum, Dómine, ut áudiam vocem laudis, et enárrem univérsa mirabília tua.

℣. Replébimur in bonis domûs tuæ.

℟. Sanctum est templum tuum: mirábile in æquitáte. *Ps.* 64.

De Epistolâ sancti Ignátii Episc. et Mart.

Ad Smyrnenses, j. sæc.

Lectio iv.

COnsideráte eos qui áliam opiniónem tuéntur contrà grátiam Jesu Christi quæ ad nos venit, quómodò contrárii sint senténtiæ Dei..... Ab Eucharístiâ et oratióne ábstinent, eò quòd non confiteántur Eucharístiam carnem esse Salva-

tóris nostri Jesu Christi, quæ pro peccátis nostris passa est, quam Pater suâ benignitáte suscitávit. Qui ergò contradícunt huic dono Dei, altercántes moriúntur. Utile autem esset ipsis dilígere, ut et resúrgerent.

℟. In ómnibus his peccavérunt, et * Non credidérunt in mirabílibus Dómini. *Ps.* 77.

℣. Dómine, áperi óculos istórum, ut vídeant. 4. *Reg.* 6. * Non credidérunt.

Ex Apológiâ sancti Justíni Mártyris.

Ad Antonium Pium, Pro Christianis, an. 150.

Lectio v.

Ei qui frátribus præest, offértur panis et póculum aquæ et vini, quibus ille accéptis laudem et glóriam rerum universárum Patri, per nomen Fílii et Spíritûs sancti offert; et Eucharístiam, sive gratiárum actiónem pro eo quòd nos donis [illegible] participáre lícitum est, quàm veram esse doctrínam nostram credénti, et lavácro propter remissiónem peccatórum et regeneratiónem ablúto, et ita, ut Christus trádidit, viventi. Non enim ut commúnem panem, neque commúnem potum, ista súmimus; sed quemádmodùm per verbum Dei caro factus Jesus Christus Servátor noster, et carnem et sánguinem salútis nostræ causâ hábuit: ad eúmdem modum étiam eam, in quâ per preces Verbi ejus ab ipso profécti grátiæ sunt actæ, alimóniam, undè sanguis et caro nostra per mutatiónem aluntur, incarnáti illíus Jesu Carnem et Sánguinem esse edócti sumus.

℟. Nunc * Scimus quòd nobíscum sit Dóminus. *Jos.* 22.

℣. Partícipes enim Christi efficti sumus. *Heb.* 3. * Scimus quòd.

Lectio vj.

QUómodò constábit Hæréticis eum panem in quo grátiæ actæ sint, Corpus esse Dómini sui, et cálicem Sánguinis ejus, si non ipsum fabricatóris mundi Fílium dicant, id est, Verbum ejus? Quómodò autem rursùs dicunt carnem in corruptiónem devenire, et non percípere vitam, quæ Córpore Dómini et sánguine álitur? Ergò aut senténtiam mutent, aut abstíneant offeréndo quæ prædícta sunt. Nostra autem cónsonans est senténtia Eucharístiæ, et Eucharístia rursùs confírmat senténtiam nostram. Quemádmodùm enim qui est à terrâ panis, percípiens invocatiónem Dei, jam non commúnis panis est, sed Eucharístia ex duábus rebus constans, terrénâ et cœlésti: sic et córpora nostra percipiéntia Eucharístiam, jam non sunt corruptibília, spem resurrectiónis habéntia.

℟. Multiplicásti misericórdiam tuam, * Deus; fílii hóminum inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, et torrénte voluptátis tuæ potábis eos. *Ps.* 35. ℣. Qui mandúcat panem qui de cœlo descéndit, vivet in ætérnum. *Joan.* 6. * Deus. Glória Patri. * Deus.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Consérva me. *fol.* 132.

Ant. Dóminus pars hæreditátis meæ et cálicis mei.

Ps. Dóminus regit me. *fol.* 149.

Ant. Calix meus inébrians quàm præclárus est!

Ps. Quàm dilécta. *fol.* 148.

Ant. Cor meum et caro mea exultavérunt in Deum vivum.

℣. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus. *Ps.* 33.

℟. Comédite, amíci, et bíbite, et inebriámini. *Cant.* 5.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea verè est

cibus, et sanguis meus verè est potus. Et réliqua.

Homília
Sancti Thomæ Aquinátis.
Ex Opusc. 57.

IMménsa divínæ largitátis benefícia exhíbita pópulo Christiáno inæstimábilem ei cónferunt dignitátem: neque enim est aut fuit aliquándò tàm grandis nátio, quæ hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus síquidem Dei Fílius, suæ divinitátis volens nos esse partícipes, nostram natúram assúmpsit, ut hómines deos fáceret, factus homo. Et hoc insuper, quod de nostro assúmpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostrâ reconciliatióne in arâ Crucis hóstiam óbtulit Deo Patri; Sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum, ut redémpti à miserábili servitúte, à peccátis ómnibus mundarémur. Et ut tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, Corpus suum in cibum, et Sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini suméndum fidélibus derelíquit.

℟. Veníte, * Audíte, omnes, quanta fecit (Deus.) *Psal.* 6.

℣. Jesus, cùm dilexísset suos qui erant in mundo, in finem diléxit eos. *Joan.* 13. * Audíte.

Lectio viij.

O Pretiósum et admirábile convívium, salutíferum, et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convívio pretiósius esse potest? In quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in lege, sed nobis Christus suméndus propónitur verus Deus. Quid hoc Sacraménto mirabílius? In ipso namque panis et vinum in Corpus et Sánguinem Christi substantiáliter convertúntur; ideòque Christus Deus et Homo perféctus, sub módici panis et vini spécie continétur. Manducátur itaque à fidélibus, sed mínimè lacerátur: quinimò, diviso Sacraménto, sub quâlibet divisiónis particulâ ínteger persevérat. Accidéntia

étiam sine subjécto in eâdem exístunt, ut fides locum hábeat, dùm visíbile invisibíliter súmitur, sub aliénâ spécie occultátum; et sensus à deceptióne immúnes reddántur, qui de accidéntibus júdicant sibi notis.

℟. Quid est homo, quòd memor es ejus, * (Dómine? Quid est) fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Psalm.* 8.

℣. Substántia enim tua dulcédinem tuam, quam in fílios habes, (osténdit.) *Sap.* 16. * Dómine.

Lectio ix.

NUllum étiam Sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur peccáta, virtútes augéntur, et mens ómnium spirituálium charísmatum abundántiâ impinguátur. Offértur in Ecclésiâ pro vivis et mórtuis, ut ómnibus prosit, quod est pro salúte ómnium institútum. Suavitátem dénique hujus Sacraménti nullus dignè exprímere súfficit, per quod spirituális dulcédo in suo fonte gustátur, et recólitur memória illíus, quam in suâ passióne Christus monstrávit, excellentíssimæ charitátis. Undè, ut árctiùs hujus charitátis imménsitas fidélium córdibus infigerétur, in últimâ cœnâ, quandò, Pascha cum Discípulis celebráto, transitúrus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacraméntum instítuit, tanquam Passiónis suæ memoriále perénne, figurárum véterum impletívum, miraculórum ab ipso factórum máximum, et de suâ contristátis abséntiâ solátium singuláre.

℟. Nomen tuum in ætérnum, * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem. *Ps.* 134.

℣. A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. *Matth.* 21.* Dómine. Glória Patri. * Dómine.

℣. *Sacerd.* Benedícito Dóminum inebriántem te ab ómnibus bonis suis. *Eccli.* 32.

℟. Ipsi glória et impérium. *Apoc.* 1.

AD LAUDES.

Psal. Deus, Deus meus. *fol.* 13.

Ant. Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea, et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Psal. Exultáte Deo adjutóri. *fol.* 141.

Ant. Cibávit eos ex ádipe fruménti, et de petrâ, melle saturávit eos.

Psal. Bénedic, ánima mea, Dómino. *fol.* 124.

Ant. Bénedic, ánima mea, Dómino, qui replet in bonis desidérium tuum.

Canticum. Prov. 9.

SApiéntia ædificávit sibi domum, * excídit colúmnas septem.

Immolávit víctimas suas, * míscuit vinum, et propósuit mensam suam.

Misit ancillas suas, ut vocárent ad arcem, * et ad mœnia civitátis:

Si quis est párvulus, véniat ad me. * Et insipiéntibus locúta est:

Venite, comédite panem meum, * et bíbite vinum quod míscui vobis [illegible]

addéntur tibi anni vitæ.

Glória Patri, etc.

Ant. Sapiéntia immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam.

Psal. Cantáte Dómino... cantáte. *fol.* 66.

Ant. Tóllite hóstias et introíte in átria ejus; adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Capitulum. 1. *Cor.* 11.

QUotiescúnque manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

HYMNUS.

O Quàm stupéndas índuit
Formas amor! Verbum Dei,
Jugis sub arâ víctima,
Nobis facit sese cibum.

Divínus hospes íntimis
Hærére gaudet córdibus;
Fit indè mortális caro
Divinitátis párticeps.

Seu nocte, seu die, memor
Sit, Christe, sacro córpore
Mens pasta: quo vis di-

A quo creámur, laus Patri;
Quo páscimur, laus Fílio;
Quo consecrámur, nec minor
Laus utriúsque Flámini.
Amen.

℣. Hóstiam et oblatiónem noluísti, Deus. *Heb.* 10.

℟. Acceptábis, Dómine, sacrifícium justítiæ. *Ps.* 50.

Ad Bened. *Ant.* Ab ortu solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus, et in omni loco sacrificátur et offértur nómini meo oblátio munda, dicit Dóminus exercituum. *Malach.* 1.

Oratio.

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti; tribue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus.

AD HORAS.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

VErbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.
In mortem à Discípulo
Suis tradéndus æmulis
Priùs in vitæ férculo
Se trádidit Discípulis.
Quibus sub binâ spécie
Carnem dedit et Sánguinem;
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.
Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

* O salutáris Hóstia!
Quæ cœli pandis óstium,
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.
Qui carne nos pascis tuâ,
Sit laus tibi, Pastor bone,

Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Psal. de Dominicâ.

℟. *Parv.* Non est ália nátio tàm grandis quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest. *Deut.* 4.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut in sacro convívio, in quo Christus súmitur, et recólitur memória Passiónis ejus, impleámur grátiâ, et futúræ glóriæ pignus accipiámus. Per eúmdem.

Canon.

Ex Concilio Tridentino. *Sess.* 13. *de Euch. Cap.*5.

DEclárat sancta Synodus piè et religiósè ádmodùm in Dei Ecclésiam indúctum fuisse hunc morem, ut singulis annis, peculiári quodam et Festo die præcélsum et venerábile (Eucharístiæ) Sacraméntum singulári venerátióne ac solemnitáte celebrarétur, utque in Processiónibus reverénter et honorífice illud per vias et loca pública circumferrétur.

AD ALIAS HORAS.

HYMNUS.

O Salutáris Hóstia! etc. *ut suprà.*

℟. *Parv. et Or.* Præsta, quæsumus, *ut sup.*

AD II. VESPERAS.

Psal. Dixit Dóminus. *fol.* 33.

Ant. 1. D. Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Psal. Confitébor tibi. *fol.* 33.

Ant. 2. *D.* Memóriam fecit mirabílium suórum, escam dedit timéntibus se.

Psal. Crédidi, propter. *fol.* 153.

Ant. 3. a. Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Psal. Beáti omnes. *fol.* 209.

Ant. 4. E. Filii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ.

Psal. Lauda, Jerúsalem. *fol.* 144.

Ant. 5. a. Pósuit fines tuos pacem, et ádipe frumenti sátiat te.

Allelúia, all. ℣. Quid... bónum (Dómini) est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electórum, et vinum gérminans vírgines? Allel. *Zach.* 9.

PROSA.

LAuda, Sion, Salvatórem;
Lauda ducem et pastórem,
In hymnis et cánticis.
Quantùm potes, tantùm aude,
Quia major omni laude,
Nec laudáre súfficis.
Laudis thema speciális,
Panis vivus et vitális
Hódiè propónitur.
Quem, in sacræ mensâ cœnæ,
Turbæ fratrum duodénæ
Datum non ambígitur
Sit laus plena, sit sonóra,
Sit jucúnda, sit decóra
Mentis jubilátio.
Dies enim solémnis ágitur,
In quâ mensæ prima recólitur
Hujus institútio.
In hâc mensâ novi Regis,
Novum Pascha novæ legis
Phase vetus términat.
Vetustátem nóvitas,
Umbram fugat véritas,
Noctem lux éliminat.
Quod in cœnâ Christus gessit,
Faciéndum hoc expréssit
In suî memóriam.
Docti sacris institútis,
Panem, vinum, in salútis
Consecrámus hóstiam.
Dogma datur Christiánis,
Quòd in carnem transit panis,
Et vinum in sánguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animósa firmat fides,
Præter rerum órdinem.
Sub divérsis speciébus,
Signis tantùm, et non rebus,
Latent res exímiæ.
Caro cibus, sanguis potus;
Manet tamen Christus totus
Sub utrâque spécie.
A sumente non concisus,
Non confráctus, non divisus,
Integer accípitur.
Sumit unus, sumunt mille;
Quantùm isti, tantùm ille;
Nec sumptus consúmitur.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquáli
Vitæ vel intéritûs.
Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptiónis
Quàm sit dispar éxitus.
Fracto demùm Sacraménto,
Ne vacílles; sed meménto
Tantùm esse sub fragménto,
Quantùm toto tégitur.
Nulla rei fit scissúra;
Signi tantùm fit fractúra,
Quâ nec status, nec statúra
Signáti minúitur.
Ecce Panis Angelórum,
Factus cibus viatórum,
Verè panis filiórum,
Non mitténdus cánibus.
In figúris præsignátur,
Cùm Isaac immolátur,
Agnus Paschæ deputátur,
Datur manna pátribus.
Bone Pastor, panis vere,
Jesu, nostrî miserére;
Tu nos pasce, nos tuére,
Tu nos bona fac vidére
In terrâ vivéntium.
Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hîc mortáles;
Tuos ibi commensáles,
Cohærédes et sodáles
Fac sanctorum civium.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 5. C.
Ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. *Luc.* 22.

Oratio ut sup. ad Laud.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dom. Cæt. ut heri, præt. Ant. seq.
Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.
Panem de Cœlo præstitísti, (Dómine,) omne delectaméntum in se habéntem. *Sap.* 16.

Si intrà Octav. occurrat Festum duplex j. vel ij. Clas. vel Festum Liberatæ Civit. ab irrupt. Hæreticorum, fit de iis Officium cum commemorat. Oct. Corp. Christi; quodcunque aliud Dupl. transfertur post Octavam: de Dom. Semid. Oct. etiam Semid. et Simpl. occurr. intrà hanc Octav. fit commemor.

INTRA OCTAVAM.
AD MATUTINUM.

Inv. et Hymn. ut in die. Psalmi tres cum suis Ant. et ℣. ut in die, secund. Fer. Lect. et Resp. ut hab. inf. pro quâlib. die. ℣. *Sacerd. ut in die.*

Ad Laud. *Psalm. et Canticum ut in die cum primâ Ant. Cæterâ ut in eodem Festo.*

Ad Hor. *Hymn. ut in die; cæt. ut in Psalter. secund. Fer. præter ea quæ sequuntur.*

Ad Prim. *Ad ℟. br.* ℣. Qui carne nos pascis tuâ.

AD TERTIAM.

Capitul. Joan. 6.

NIsi manducavéritis Carnem Fílii hóminis, et bibéritis ejus Sánguinem, non habébitis vitam in vobis; qui mandúcat meam Carnem, et bibit meum Sánguinem, habet vitam ætérnam.

℟. *br.* Sitívit ánima mea * Ad Deum fortem vivum. Sitívit.

℣. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis. *Ps. 41.* * Ad Deum. Glória Patri. Sitívit.

℣. Justi epuléntur et exúltent,

℟. Et delectén tur in lætítiâ. *Psal. 67.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut in sacro convívio, in quo Christus súmitur, et recólitur memória Passiónis ejus, impleámur grátiâ, et futúræ glóriæ pignus accipiámus. Per eúmdem Dóminum.

AD SEXTAM.

Capitul. 1. Cor. 11.

QUicúnque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indignè, reus erit Córporis et Sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de cálice bibat.

℟. *br.* Lavábo inter innocéntes manus meas; et * Circúmdabo altáre

tuum, Dómine. *Ps.* 25. Lavábo.

℣. Cum hominibus operántibus iniquitátem.. non communicábo.... *Ps.* 140. * Circúmdabo. Glória. Lavábo.

℣. Parásti, (Dómine) in conspéctu meo mensam,

℣. Advérsùs eos qui tribulant me. *Ps.* 22.

Oratio ut sup.

AD NONAM.

Capitul. Joan. 6.

SIcut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me.

℟. *br.* Vivo, jam non ego, * Vivit in me Christus. *Gal.* 2. Vivo.

℣. Mihi enim vivere Christus est. *Philip.* 1. * Vivit in. Glória Patri. Vivo, jam.

℣. A te quid vólui super terram?

℟. Deus cordis mei, et pars mea in ætérnum.

AD VESPERAS.

Palm. et Ant. ut in ij. Vesp. Fest.

Capitulum, Hymn. et Vers. ut in prim. Vesp.

Ad Magn. *Ant. ut in ij. Vesp.*

Oratio ut in die.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. de Psalter.

Hymn. Magister cum discípulis, etc. *ut in die. Capitul. et* ℣. *de Psal. Ad* Nunc dim. *Ant.* 1. g.

Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. *Joan.* 6.

Oratio. Illúmina.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ ad Romános.

Lectio j. Cap. 12.

BEnedícite persequéntibus vos, benedícite et nolíte maledícere. Gaudére cum gaudéntibus; flere cum fléntibus. Idipsum invícem sentiéntes, non alta sapiéntes, sed

apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddéntes, providéntes bona, non tantùm coràm Deo, sed étiam coràm ómnibus homínibus.

℟. Utinàm * Dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas! *Ps.* 118.

℣. Si réddidi retribuéntibus mihi mala, décidam méritò ab inimícis meis inánis. *Ps.* 7. * Dirigántur.

Lectio ij.

SI fieri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes. Non vosmetípsos defendéntes, charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim: Mihi vindícta; Ego retríbuam, dicit Dóminus. Sed si esurierit inimícus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim fáciens, carbónes ignis côngeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

℟. Et nos * Ergò non ulciscámur nos pro his quæ pátimur. *Judith.* 8.

℣. Cháritas non irritátur, ómnia suffert, ómnia sústinet. 1. *Cor.* 13. * Ergò non.

Sermo
Sancti Cyrílli Hierosolymitáni.

Cateches. Mystag. 4. iij. et iv. sæc.

Lectio iij.

CUm Christus de pane pronuntiáverit, ac díxerit: Hoc est Corpus meum; quis audébit deínceps ambígere? Et cùm idem ipse tam asseveránter díxerit: Hic est Sanguis meus; quis unquàm dubitáverit, ut dicat non esse ejus sánguinem? Aquam ólim in vinum convértit, in Cana Galilææ, quod habet quamdam cùm sánguine propinquitátem; et eum parùm dignum existimábimus, cui credámus quod vinum in sánguinem transmutárit? Ad eas núptias, quibus córpora copulántur, vocátus, præter opiniónem ómnium hoc fecit miráculum: et non multò magis, sic eum Corpus et Sánguinem suum fruénda nobis donásse persuásum fírmiter habébimus, ut ea cum omni certitúdine

tanquam Corpus ipsíus, et Sánguinem sumámus?

℟. Hic est panis qui de cœlo descéndit... * Et nos credídimus, et cognóvimus. *Joan.* 6.

℣. Apud Deum ómnia possibília sunt. *Mat.* 19. * Et nos. Glória Patri. * Et nos.

SABBATO.

De Epístolâ ad Romános.

Lectio j. Cap. 13.

OMnis ánima potestátibus sublimióribus súbdita sit: non est enim potéstas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinátæ sunt. Itaqne qui resístit potestáti, Dei ordinatióni resístit. Qui autem resístunt, ipsi sibi damnatiónem acquírunt. Nam Príncipes non sunt timóri boni óperis, sed mali. Vis autem non timére potestátem? Bonum fac, et habébis laudem ex illâ. Dei enim miníster est tibi in bonum; si autem ma-

℟. (Dómine,) * Imposuísti hómines super cápita nostra. *Ps.* 65.

℣. Justum est súbditum esse. 2. *Machab.* 9. * Imposuísti.

Lectio ij.

IDeò necessitáte súbditi estóte, non solum propter iram, sed étiam propter consciéntiam. Ideò enim et tribúta præstátis: minístri enim Dei sunt in hoc ipsum serviéntes. Rédditeergò ómnibus débita: cui tribútum, tribútum; cui véctigal, véctigal; cui timórem, timórem; cui honórem, honórem. Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis. Qui enim díligit próximum, legem implévit.

℟. Hæc sunt præcépta *Quæ mandávit Dóminus. *Levit.* 27.

℣. Obediéntes érimus præcéptis. *Josue.* 24. * Quæ mandávit.

Ex Libro sancti Ambrósii Epíscopi.

tidiáno cœli pascebántur aliménto. Undè dictum est : Panem Angelórum manducávit homo; sed tamen panem illum qui manducavérunt, ómnes in desérto mórtui sunt. Ista autem esca quam áccipis, iste panis vivus qui descéndit de cœlo, vitæ ætérnæ substántiam subminístrat; et quicúnque hunc manducáverit, non moriétur in ætérnum, et est Corpus Christi. Considera nunc utrùm præstántior sit panis Angelórum, an Caro Christi, quæ útique corpus est vitæ. Manna illud è cœlo, hoc suprà cœlum; illud cœli, hoc Dómini cœlórum; illud corruptióni obnóxium, si in diem álterum servarétur, hoc aliénum ab omni corruptióne; quod quicúnque religiósè gustáverit, corruptiónem sentíre non póterit. Illis aqua de petrâ fluxit, tibi sanguis è Christo; illos ad horam satiávit aqua, te sanguis díluit in ætérnum. Judæus bibit, et sitit; tu, cùm bíberis, sitíre non póteris; et illud in umbrâ, hoc in veritáte.

℟. Quómodò * Omnia nobis divínæ virtútis donáta sunt? 2. *Petr.* 1.

℣. Non fecit táliter omni natióni. *Ps.* 147. * Omnia nobis. Glória Patri. * Omnia nobis.

Commem. Dominicæ in Vesperis, quæ dic. de Octav.

Ant. Homo quidam fecit cœnam magnam, et misit servum suum horâ cœnæ dícere invitátis ut veníren; quia paráta sunt ómnia. *Luc.* 14.

℣. Parásti in conspéctu meo mensam,

℟. Advérsùs eos qui tríbulant me. *Ps.* 22.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA II.

POST PENTECOSTEN.

Offic. fit de Oct. cum Commem. Dom.

De Epístolâ ad Romános.
Lectio j. Cap. 13.

NOn adulterábis, non occídes, non furáberis, non falsum testimónium dices, non concupísces;

et si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur : Díliges próximum tuum sicut teipsum. Diléctio próximi malum non operátur. Plenitúdo ergò legis est diléctio... Abjiciámus ergò ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéstè ambulémus, non in comessatiónibus et ebrietátibus, non in cubílibus et impudicítiis, non in contentióne et æmulatióne; sed induímini Dóminum Jesum Christum.

℟. Hoc est mandátum (Dómini,) ut* Credámus in nómine Fílii ejus Jesu Christi, et diligámus altérutrum. 1. *Joan.* 3.

℣. In his univérsa lex pendet. *Matth.* 22. * Credámus in nómine Fílii, etc.

Lectio ij. Cap. 14.

NEmo nostrûm sibi vivit, et nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus; sive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergò vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. In hoc enim Christus mórtuus est et resur-

et vivórum dominétur... Omnes stábimus ante tribúnal Christi... Itaque unusquísque nostrûm pro se ratiónem reddet Deo.

℟. Qui vivunt, * Jam non sibi vivant; sed ei qui pro ipsis mórtuus est, et resurréxit.

℣. Omnes enim manifestári opórtet ante tribúnal Christi. 2. *Corinth* 5. * Jam non sibi vivant.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 14.

IN illo témpore, Dixit Jesus Pharisæis parábolam hanc : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocávit multos. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

Hom. 36. *in Evang.*

HOc distáre, fratres charíssimi, inter delícias córporis et cordis solet, quòd corporáles delíciæ, cùm non hab ntur, grave in se desidérium accéndunt; cùm verò hábitæ edúntur, comedéntem prótinùs in fastídium per satietátem vertunt. At contrà spirituáles delíciæ

fastídio sunt; cùm verò habéntur, in desidério; tantòque à comedénte ámpliùs esuriúntur, quantò et ab esuriénte ámpliùs comedúntur. In illis appetítus placet, experiéntia dísplicet: in istis appetítus vilis est, et experiéntia magis placet. In illis appetítus saturitátem, satúritas fastídium génerat: in istis autem appetítus saturitátem, satúritas appetítum parit. Augent enim spiritáles delíciæ desidérium in mente, dùm sátiant; quia, quantò magis eárum sapor percípitur, eò ámpliùs cognóscitur quod avidiùs amétur, et idcircò non hábitæ amári non possunt, quia eárum sapor ignorátur... Has autem homo delícias tunc amísit, cùm in paradíso peccávit. Undè huc fastidiósi jam venímus... tantòque se ámpliùs fastídii nostri morbus exággerat, quantò se magis ab esu illius dulcédinis ánimus elóngat... sed supérna nos piétas nec deseréntes se déserit. Contémptas enim illas delícias ad memóriæ nostræ óculos révocat, eásque nobis propónit: in promissióne torpórem éxcutit, atque ut fastídium nostrum repéllere debeámus, invítat: ait namque: (Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocávit multos...) Quia satietátem nobis dulcédinis intérnæ præparávit.

℟. Quàm * Magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te! *Ps.* 30.

℣. Edent páuperes et saturabúntur, et vivent corda eórum in sæculum sæculi. *Ps.* 21. * Magna. Glória Patri. * Magna.

Ad Laud. ut intr. Octavam.

Commem. Dominicæ.

Ant. Dómine, factum est ut imperásti, et adhuc locus est; et ait Dóminus servo: Exi in vias, et sepes, et compélle intráre, ut impleátur domus mea. *Luc.* 14.

℣. Edent páuperes, et saturabúntur,

℟. Et laudábunt Dóminum. *Ps.* 21.

Oratio.

Deus, qui nos ad delícias spiritáles semper invítas, auge in nobis pa-

rátæ dulcédinis desidérium; ut tuæ vocatióni fidéliter obsequéntes, posthábitis ómnibus, ad cœnæ tuæ convívium accurrámus. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Ut intrà Octavam.

Commem. Dominicæ.

Ant. Dico vobis, quòd nemo virórum illórum qui vocáti sunt, gustábit cœnam meam. *Luc.* 14.

℣. Qui elóngant se à te períbunt:

℟. Perdidísti omnes qui fornicántur abs te. *Ps.* 72.

Oratio ut suprà.

FERIA SECUNDA.

De Epístolâ ad Romános.

Lectio j. Cap. 14.

NOn ámpliùs ínvicem judicémus, sed hoc judicáte magis, ne ponátis offendículum fratri, vel scándalum ..Si enim propter cibum frater tuus contristátur, jam non secúndùm charitátem ámbulas. Noli cibo tuo illum pérdere pro quo Christus mórtuus est... Itaque quæ pacis sunt sectémur, et quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus. Noli propter escam destrúere opus Dei... Bonum est non manducáre carnem, et non bíbere vinum, neque in quo frater tuus offénditur, aut scandalizátur, aut infirmátur.

℟. Si esca scandalízat fratrem meum, * Non manducábo carnem in ætérnum, ne fratrem meum scandalízem 1. *Corinth.* 8.

℣. Cháritas benigna est, non quærit quæ sua sunt, 1. *Cor.* 13. * Non manducábo carnem in ætérnum, ne fratrem meum scandalízem.

Lectio ij. Cap. 15.

DEbémus autem nos firmióres imbecillitátes infirmórum sustinére, et non nobis placére. Unusquisque vestrûm próximo suo pláceat in bonum ad ædificatiónem... Quæcúnque enim scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt, ut per patiéntiam et consolatiónem Scripturárum, spem habeámus. Deus

autem patiéntiæ et solátii det vobis idípsum sápere in altérutrum, secúndùm Jesum Christum, ut unánimes uno ore honorificétis Deum et Patrem Dómini nostri Jesu Christi. Propter quod suscípite ínvicem, sicut et Christus suscépit vos in honórem Dei.

℟. Si sic Deus diléxit nos, et nos * Debémus altérutrum dilígere. 1. *Joan.* 4.

℣. In ómnibus placéntes, non contradicéntes, non fraudántes, sed in ómnibus fidem bonam osténdéntes. *Tit.* 2. * Debémus altérutrum dilígere.

Sermo
S. Joánnis Chrysóstomi.
Hom. 82. *In Matth.* §. 5.

Lectio iij.

CUique fidéli per hoc mystérium Christus se conjúngit, et quos génuit, per se nutrit, neque álii tradit, hocque tibi modo probat se carnem accepísse tuam. Ne itaque segnes simus, tantâ dignáti charitáte et tanto honóre. Non vidétis quanto ímpetu infántes lábia sua ubéribus admóveant? cum eódem stúdio nos ad hanc accedámus mensam, et ad úbera spirituális póculi, imò verò majóre cum stúdio, ut lacténtes púeri grátiam Spíritûs attrahámus. Unúsque nobis sit dolor, si hoc spirituáli aliménto privémur. Non sunt humánæ virtútis hæc ópera. Is qui tunc in illâ cœnâ hæc confécit, et nunc étiam operátur. Nos ministrórum habémus órdinem; qui verò illa sanctíficat, et transmútat, ipse est. Nullus ergò Judas adsit, nullus avárus. Si quis discípulus non est, recédat; non récipit hæc mensa eos qui tales non sunt. Cum Discípulis, inquit, meis fácio Pascha.

℟. Dómine, Deus meus, sancte meus, mundi sunt óculi tui, ne vídeas malum; * Respícere ad iniquitátem non póteris. *Habac.* 1.

℣. Fúgiant qui odérunt te à fácie tuâ. *Num.* 10. * Respícere ad iniquitátem non póteris.

Glória Patri. * Respícere ad iniquitátem.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, vocátus Apóstolus Jesu Christi.... Ecclésiæ Dei quæ est Corínthi, sanctificátis in Christo Jesu, vocátis sanctis, cum ómnibus qui invocant nomen Dómini Jesu Christi, in omni loco ipsórum et nostro, grátia vobis, et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátiâ Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quòd in omnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni sciéntiâ, sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in ullâ grátiâ, expectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Qui secúndùm carnem sunt, quæ carnis sunt sápiunt: * Qui secúndùm spíritum sunt, quæ sunt spíritûs séntiunt. *Rom.* 8.

℣. Cháritas non æmulátur, non gaudet super iniquitáte; congáudet autem veritáti. 1. *Cor.* 13. * Qui secúndùm, etc.

Lectio ij.

OBsecro autem vos, fratres, per nomen Dómini nostri Jesu Christi, ut idípsum dicátis omnes, et non sint in vobis schísmata; sitis autem perfécti in eódem sensu, et in eâdem senténtiâ. Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quia contentiónes sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquísque vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nómine Pauli baptizáti estis?

℟. Itaque * Neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat; sed qui increméntum dat, Deus.

℣. Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? 1. *Cor.* 3. * Neque.

Sermo
S. Hierónymi Presbyteri.
Epist. ad Hedibiam, qu. 2.
Lectio iij.

AUdiámus panem quem fregit Dóminus, deditque Discípulis suis, esse Corpus Dómini Salvatóris, ipso dicénte ad eos: (Accípite et comédite, hoc est Corpus meum:) et Cálicem illum esse, de quo iterùm locútus est: (Bíbite ex hoc, omnes, hic est Sanguis meus....) Iste est calix de quo in Prophétâ légimus: (Cálicem salutáris accípiam). Et álibi: (Calix tuus inébrians quàm præclárus est!) Si ergò panis qui de cœlo descéndit, Corpus est Dómini; et vinum quod Discípulis dedit, Sanguis illíus est... ascendámus cum Dómino cœnáculum magnum stratum atque mundátum, et accipiámus ab eo cálicem novi testaménti; ibíque cum eo Pascha celebrántes, inebriémur ab eo vino sobrietátis... Nec Móyses dedit nobis panem verum, sed Dóminus Jesus: ipse conviva et convívium, ipse cómedens et qui coméditur.

℟. Dóminus pars hæreditátis meæ, * Dóminus pars cálicis mei. *Ps.* 15.

℣. Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam. *Ps.* 42. * Dóminus. Glória Patri. * Dóminus.

FERIA QUARTA.

De Epistolâ primâ ad Corínthios.
Lectio j. Cap. 1.

MIsit me Christus.... evangelizáre, non in sapiéntiâ verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi?

℟. Mihi * Absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6.

℣. Virtus enim Dei est in salútem omni credénti. *Rom.* 1. * Absit.

Lectio ij.

NAm quia in Dei sapiéntiâ non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt. Nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam: ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam; quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus; et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Ergò * Evacuátum est scándalum crucis. *Galat.* 5.

℣. Complácuit (Patri per Christum) reconciliáre ómnia, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. *Col.* 1. * Evacuátum est.

Sermo Sancti Augustíni Episc.
Tract. in Ps. 98.

Lectio iij.

(ADoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est..) Alio loco dícitur: (Cœlum mihi sedes est, terra autem scabéllum pedum meórum;) ergò terram nos jubet adoráre... Et quómodò adorábimus terram? Cùm dicat apértè Scriptúra: (Dóminum Deum tuum adorábis...) Anceps factus sum: tímeo adoráre terram, ne damnet me qui fecit cœlum et terram: rursùs tímeo non adoráre scabéllum pedum Dómini mei, quia Psalmus mihi dixit: (Adoráte scabéllum pedum ejus...) Flúctuans, convérto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc, et invénio quómodò sine impietáte adorétur terra, sine impietáte adorétur scabéllum pedum ejus: suscépit enim de terrâ terram; quia caro de terrâ est, et de carne Maríæ carnem accépit. Et quia in ipsâ carne hic ambulávit, et ipsam carnem nobis man-

ducándam ad salútem dedit; nemo autem illam carnem mandúcat, nisi priùs adoráverit: invéntum est quemádmodùm adorétur tale scabéllum pedum Dómini; et non solùm non peccémus adorándo, sed peccémus non adorándo.

℟. Memor ero (Dómine,) mirabílium tuórum, et * In adinventiónibus tuis exercébor. *Ps.* 76.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum. *Ps.* 5. * In adinventiónibus. Glória Patri. * In adinventiónibus.

Ad Magn. *Antiph. ut in I. Vesp. Festi; cæt. ut intrà Octav. prætet Orat. ut infr. ad Laudes.*

FERIA QUINTA.

In die octavâ Corporis Christi, in honorem Sacerdotii ejus.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Invitat. et Hymn. ut in die. Psal. Ant. et ℣. ut in primo Nocturno.

De Epístolâ primâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

VIdéte vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secùndùm carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes; et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus.

℟. Videant, * et Lætén-tur páuperes. *Ps.* 68.

℣. Deus elégit (eos) in hoc mundo dívites in fide, et hærédes regni. *Jacob.* 2. * Lætén-tur.

Lectio ij. Cap. 2.

ET ego, cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum; et ego in infirmitáte et timóre, et tremóre multo fui apud

vos. Et sermo meus et prædicátio mea, non in persuasibilibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spiritûs et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntiâ hóminum, sed in virtúte Dei.

℟. Ubi sápiens? nonne * Stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? 1. *Cor.* 1.

℣. Ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. 2. *Cor.* 4. * Stultam fecit.

Sermo
sancti Cyrilli Alexandríni.
Lib. 4. *in Joan. Cap.* 17.

Lectio iij.

(QUi mandúcat, inquit, Carnem meam, et bibit Sánguinem meum, in me manet, et ego in illo.) Sícuti enim si quis liquefáctæ ceræ áliam ceram infúderit, álteram cum álterâ per totum commísceat necésse est: sic qui Carnem et Sánguinem Dómini récipit, cum ipso ita conjúngitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniátur... Si vitam æsiderámus, ad recipiéndam Eulógiam libénter concurrámus.... Studiósè, sanctèque vivas, atque ita Eulógiæ párticeps fias; quæ, (mihi crede,) non mortem solùm, verùm étiam morbos omnes depéllit. Sedat enim, cùm in nobis máneat, Christus sæviéntem membrórum nostrórum legem; pietátem corróborat, perturbatiónes ánimi extínguit, ægrótos curat, collísos redíntegrat; et sicut Pastor bonus qui ánimam suam pro óvibus pósuit, ab omni nos éripit casu.

℟. Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, ita * Desíderat ánima mea ad te, Deus. *Ps.* 41.

℣. Dóminus exáltans ánimam, illúminans óculos, dans sanitátem, et vitam, et benedictiónem. *Eccli.* 34. * Desíderat. Glória Patri. * Desíderat.

Ad Laudes, omnia ut in die.

Oratio.

DOmine Jesu, Póntifex

désinis; sacerdótes minístros tuos sanctífica; ut dignè Deo Patri, et te, et seipsos tecum offérre mereántur. Qui vivis et regnas....

Hæc Oratio dicitur ad Horas et ad II. Vesp.

Ad Horas, ut intrà Oct.

Ad Magn. *Ant. ut in II. Vesp.*

Si sequatur Festum j. vel ij. Class. vel F:t:ι n Liber. Civit. Vesperæ dicuntur de Festo sequenti. Si verò sequatur quodlibet aliud Dup. aut Semid. Vesperæ dicunt. de die Oct. Corp. Christi, cum commem. sequenti.

Officium Sacratissimi Cordis D. N. J. C. fiet Dominicâ II. julii, ut suo loco notatur.

FERIA SEXTA.

De Epistolâ primâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 2.

NOs autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis, quæ et lóquimur, non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrínâ spíritûs, spirituálibus spirituália comparántes. Animális autem homo non pércipit ea quæ sunt Spíritûs Dei: stultítia enim est illi, et non potest intelligere, quia spirituáliter examinátur. Spirituális autem júdicat ómnia; et ipse à némine judicátur. Quis enim cognóvit sensum Dómini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habémus.

℟. Per Jesum Christum * Máxima et pretiósa nobis promíssa donávit Deus. 2. *Pet.* 1.

℣. Signávit nos, et dedit pignus Spiritûs in córdibus nostris. 2. *Cor.* 1. * Máxima et pretiósa nobis.

Lectio ij. Cap. 3.

ET ego, fratres, non pótui vobis loqui quasi spirituálibus, sed quasi carnálibus. Tanquam párvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondùm enim poterátis; sed nec nunc quidem potéstis, adhuc enim carnáles estis. Cùm enim sit inter vos zelus et con-

téntio, nonne carnáles estis, et secúndùm hóminem ambulátis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; álius autem: Ego Apollo; nonne hómines estis? Quid ígitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri ejus cui credidístis, et unicuíque sicut Dóminus dedit.

℟. Si spíritu vívimus, spíritu et ambulémus: * Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. *Gal.* 5.

℣. Ubi enim zelus et conténtio, ibi omne opus pravum. *Jacob.* 3. * Non efficiámur.

Lectio iij.

EGo plantávi, Apollo rigávit; sed Deus increméntum dedit. Itaque neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat; sed qui increméntum dat, Deus. Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt. Unusquísque autem própriam mercédem accípiet secúndùm suum labórem: Dei enim sumus adjutóres: Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis.

℟. Non nobis, * Dómine, non nobis; sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. 2. *Cor.* 10. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

SABBATO.

De Epístolâ primâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 3.

NEscítis quia templum Dei estis, et Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, dispérdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se sedúcat; si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sápiens. Sapiéntia enim hujus mundi stultítia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehéndam sapiéntes in astútiâ eórum.

℟. Membra nostra membra sunt Christi. * Membra nostra templum sunt Spíritûs sancti. 1. *Cor.* 6.

℣. Ergò debitóres sumus

non carni ut secúndùm carnem vivámus. *Rom.* 8. * Membra.

Lectio ij. Cap. 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hìc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die; sed neque meipsum júdico: nihil enim mihi cónscius sum, sed non in hoc justificátus sum; qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque, nolíte ante tempus judicáre, quoadúsquè véniat Dóminus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium; et tunc laus erit unicuíque à Deo.

℟. In ómnibus * Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros. 2. *Cor.* 6. ℣. Non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. 1. *Thess.* 2. * Exhibeámus.

Lectio iij.

PUto enim quòd Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tanquam morti destinátos, quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo; nos infírmi, vos autem fortes; vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris; maledícimur, et benedícimus; persecutiónem pátimur, et sustinémus; blasphemámur, et obsecrámus; tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque ad huc.

℟. Non est servus super Dóminum, * Súfficit discípulo ut sit sicut magister ejus. *Matth.* 10. ℣. Tribulatiónes me manent, sed nihil horum vereor. *Act.* 20. * Súfficit. Glória Patri. * Súfficit.

Ad Magn. Ant. 2. *D.*

Non simus fidéntes in nobis, sed in Deo, qui de tantis perículis nos erípuit et éruit, in quem sperámus, quóniam et adhuc erípiet. 2. *Cor.* 1.

Oratio ut infrà ad Laud.

DOMINICA III.
POST PENTECOSTEN.
IN I. NOCTURNO.
De Epistolâ primâ ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 4.

NOn ut confúndam vos hæc scribo; sed ut filios meos charíssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo; sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui. Rogo ergò vos, imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi. Ideò misi ad vos Timótheum, qui est filius meus charíssimus, et fidélis in Dómino, qui vos commonefáciet vias quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubíque in omni Ecclésiâ dóceo.

℟. Erúdiens eos * Instruit disciplínâ. *Job.* 33.

℣. Tanquam si nutrix fóveat filios suos. 1. *Thes.* 2. * Instruit.

Lectio iij. Cap. 5.

OMnínò audítur inter vos fornicátio, et talis fornicátio, qualis nec inter gentes; ita ut uxórem patris sui áliquis hábeat. Et vos infláti estis! et non magis luctum habuístis, ut tollátur de médio vestrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem absens córpore, præsens autem spíritu, jam judicávi ut præsens eum qui sic operátus est, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, congregátis vobis, et meo spíritu, cum virtúte Dómini nostri Jesu, trádere hujúsmodi Sátanæ in intéritum carnis, ut spíritus salvus sit in die Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Deus * Dedit potestátem talem homínibus. *Matth.* 9.

℣. Ad correptiónem iniquitátum. *Sap.* 1. * Dedit potestátem.

Lectio iij.

NOn est bona gloriátio vestra. Nescítis quia módicum ferméntum totam massam corrúmpit? Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova conspérsio, sicut estis ázymi. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. Itaque epulémur non in ferménto véteri neque in

ferménto malítiæ et nequítiæ, sed in ázymis sinceritátis et veritátis.

℟. Complácui in veritáte tuâ, * Dómine; cum iniqua geréntibus non introíbo.

℣. Lavábo inter innocéntes manus meas, et circúmdabo altáre tuum. *Ps.* 25. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi. *Hom.* 15. *in Epist.* 1. *ad Corinth.*

Lectio iv.

MIhi máximè vidétur id quod de ferménto dícitur, étiam ad Sacerdótes reférri, qui sinunt intrínsecùs esse multùm ferménti véteris..... Nam avarítia est vetus ferméntum, et quocúnquè ceciderit, atque in quamcúnque domum inciderit, immúndam illam éfficit: etiámsi parva ex injustítiâ lucréris, id totam tuam substántiam fermentávit. Ideòque sæpè áccidit ut módica malè indúcta, multa quæ benè colléċta jacent, ejécerint.

℟. Deduc me, Dómine, in sémitam mandatórum tuórum; * Inclína cor meum in testimónia tua, et non in avarítiam. *Ps.* 118.

℣. Aváro nihil est sceléstius. *Eccli.* 10. * Inclína.

Lectio v.

NIhil enim est magis pútridum avarítiâ: etiámsi enim cellæ penuáriæ clavem indúxeris, etiámsi jánuam et vectem, frustrà hæc facis, avarítiam perniciosíssimum furem intùs inclúdens, qui ómnia auférre possit. Quid ígitur, ínquies, cùm multi avári hæc non patiántur? Certè patiéntur, etsi non statim illis áccidat. Si verò nunc effúgiant, tunc magis timéto, ad majus enim supplícium reservántur; imò verò si ipsi effúgiant, at hærédes eórum ea ipsa patiúntur.

℟. Abominátio Dómini cogitatiónes malæ, * Contúrbat domum suam qui sectátur avarítiam. *Prov.* 15.

℣. Nonne Deus requíret ista? Ipse enim novit

abscóndita cordis. *Ps.* 43. * Contúrbat.

Lectio vj.

QUómodò ergò, inquies, ille quispiam prósperè agit, licèt sit malus? Sed non usque in finem. Audi quid dicat Prophēta. (Noli æmulári in malignántibus, quóniam tanquàm fœnum velóciter aréscent.) Ubi enim, quæso... postquàm hinc abdúctus fuit? Ubi spes conspícua? Ubi honorábile nomen? An non ómnia transiērunt? Nonne ómnia ad illum spectántia, sómnium sunt et umbra? Hoc ipsum expécta de síngulis qui hujúsmodi sunt, de vivénte et de eo qui pòst futúrus est. At tália non sunt ea quæ ad sanctos viros spectant, neque póteris éadem de illis dícere, quòd quæ ad illos pértinent, umbra sint, et sómnium, et fábula.

℟. Non recédet * Memória (sapiéntis), et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39.

℣. Non sic ímpii, non sic; sed tanquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ. *Ps.* 1. * Memória. Glória Patri. * Memória.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo témpore, Erant appropinquántes (ad Jesum) Publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant Pharisæi et Scribæ, dicéntes: Quia hic peccatóres récipit, et mandúcat cum illis. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

Homil. 34. *in Evang.*

COnsiderándum nobis est, fratres mei, cur Dóminus plus de convérsis peccatóribus, quàm de stántibus justis, in cœlo gáudium esse fateátur. Undè hoc? nisi, quod ipsi per quotidiánum visiónis experiméntum nóvimus, quia plerúmque hi qui nullis se oppréssos peccatórum mólibus sciunt, stant quidem in viâ justítiæ, nulla illícita perpetrant, sed tamen ad cœ-

léstem pátriam ánxiè non anhélant, tantòque sibi in rebus lícitis usum præbent, quantò se perpetrásse nulla illícita meminérunt. Et plerúmque pigri rémanent ad exercénda bona præcípua, quia valdè sibi secúri sunt, quòd nulla commíserint mala gravióra.

℟. Quàm * Magna misericórdia Dómini, et propitiátio illíus converténtibus ad se! *Eccli.* 17.

℣. Plus díligit is, cui plus donávit. *Luc.* 7. * Magna.

Lectio viij.

At contrà nonnúnquàm hi qui se áliqua illícita egísse meminérunt, ex ipso suo dolóre compúncti, inardéscunt in amóre Dei, seséque in magnis virtútibus exércent, cuncta diffícilia sancti certáminis áppetunt, ómnia mundi derelínquunt, honóres fúgiunt, accéptis contuméliis lætántur. flagrant desidério, ad cœléstem pátriam anhélant; et, quia se errásse à Deo consíderant, damna præcedéntia lucris sequéntibus recompénsant. Majus ergò de peccatóre convérso, quàm de stante justo gáudium sit in cœlo; quia et dux in prælio plus eum mílitem díligit, qui post fugam revérsus hostem fórtiter premit, quàm illum qui nunquàm terga præbuit, et nunquàm áliquid fórtiter egit.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino; * Noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Psal.* 102.

℣. Ubi abundávit delíctum, superabundávit grátia. *Rom.* 5. * Noli oblivísci.

Lectio ix.

Sed inter hæc sciéndum est quia sunt plerique justi, in quorum vitâ tantum est gáudium, ut eis quælibet peccatórum pœniténtia præpóni nullátenùs possit. Nam multi, et nullórum sibi malórum sunt cónscii, et tamen in tanti ardóris afflictióne se exércent, ac si à peccátis ómnibus coangusténtur. Cuncta étiam lícita réspuunt, ad despéctum mundi sublímiter accingúntur, licére sibi nolunt omne quod libet, bona sibi ámputant

étiam concéssa, contémnunt visibília, invisibílibus accendúntur, laméntis gaudent, in cunctis semetípsos humíliant; et sicut nonnúlli peccáta óperum, sic ipsi cogitatiónum peccáta deplórant. Quid ítaque illos díxerim, nisi et justos et pœniténtes?

℟. Qui justus est, justificétur adhuc; * Qui sanctus est, sanctificétur adhuc. *Apoc.* 22.

℣. Hoc enim plácitum est in Dómino. *Coloss.* 3. * Qui sanctus. Glória Patri. * Qui sanctus.

Ad Bened. *Ant.*

Gáudium erit in cœlo super uno peccatóre pœniténtiam agénte, quàm super nonagínta novem justis qui non índigent pœniténtiâ. *Luc.* 15.

Oratio.

PRotéctor in te sperántium, Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum, multíplica super nos misericórdiam tuam; ut te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant* 5. a.

Múlier... si perdíderit drachmam unam,... quærit diligénter,... et cùm invénerit, cónvocat amícas,... dicens: Congratulámini mihi, quia invéni drachmam quam perdíderam.

FERIA SECUNDA.

De Epístolâ primâ ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 5.

SCripsi vobis in epístolâ, ne commisceámini fornicáriis: non útique fornicáriis hujus mundi, aut aváris, aut rapácibus, aut idólis serviéntibus, alióquin debuerátis de hoc mundo exiísse. Nunc autem scripsi vobis non commiscéri, si is qui frater nominátur, est fornicátor, aut avárus, aut idólis sérviens, aut maledícus, aut ebriósus, aut rapax, cum ejúsmodi nec cibum súmere: quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicáre? Nonne de iis qui intùs sunt, vos judicátis? Nam eos qui foris

sunt,

sunt, Deus judicábit. Auférte malum ex vobis ipsis.

℟. Oleum peccatòris non impínguet caput meum; * Cum homínibus operántibus iniquitátem non communicábo. *Psal.* 140.

℣. Cum ímpiis non sedébo. *Psal.* 25. * Cum homínibus.

Lectio ij. Cap. 6.

Audet áliquis vestrûm habens negótium advérsùs álterum, judicári apud iníquos, et non apud sanctos? An nescítis quóniam sancti de hoc mundo judicábunt? Et si in vobis judicábitur mundus, indígni estis qui de mínimis judicétis? Nescítis quóniam Angelos judicábimus? Quantò magis sæculária? Sæculária igitur judícia si habuéritis, contemptíbiles qui sunt in Ecclésiâ, illos constitúite ad judicándum.

℟. Quæ participátio justitiæ cum iniquitáte? * Quæ pars fidéli cum infidéli? 2. *Cor.* 6.

℣. Odívi, Dómine, ecclésiam malignántium. *Psal.* 25. * Quæ pars.

Lectio iij.

Ad verecúndiam vestram dico: Sic non est inter vos sápiens quisquam qui possit judicáre inter fratrem suum? sed frater cum fratre judício conténdit? et hoc apud infidéles. Jam quidem omninò delictum est in vobis, quòd judícia habétis inter vos. Quarè non magis injúriam accípitis? Quarè non magis fraudem patímini? Sed vos injúriam fácitis, et fraudátis, et hoc frátribus.

℟. Ex Deo sumus, * Diligámus nos ínvicem. 1. *Joan.* 4.

℣. In ómnibus placéntes, non contradicéntes, non fraudántes, sed in ómnibus fidem bonam osténdentes. *Tit.* 2. * Diligámus. Glória Patri. * Diligámus.

FERIA TERTIA.

De Epístolâ primâ ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 6.

An nescítis quia iníqui regnum Dei non possidébunt? Nolíte erráre:

neque fornicárii, neque idólis serviéntes, neque adúlteri, neque molles, neque masculórum concubitóres, neque fures, neque avári, neque ebriósi, neque maledíci, neque rapáces regnum Dei possidébunt. Et hæc quidam fuístis, sed ablúti estis, sed sanctificáti estis, sed justificáti estis in nómine Dómini Jesu Christi, et in Spíritu Dei nostri.

℟. Abjiciámus ergò ópera tenebrárum, et * Induámur arma lucis.

℣. Honestè ambulémus, non in comessatiónibus et ebrietátibus, non in cubílibus et impudicítiis, non in contentióne et æmulatióne. *Rom.* 13. * Induámur.

Lectio ij.

NEscítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi, fáciam membra meretrícis? Absit. An nescítis quóniam qui adhæret meretríci, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne unâ. Qui autem adhæret Dómino, unus spíritus est. Fúgite fornicatiónem. Omne peccátum quodcúnque fécerit homo, extrà corpus est; qui autem fornicátur, in corpus suum peccat. An nescítis quóniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habétis à Deo, et non estis vestri? Empti enim estis prétio magno. Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. (Dómine Deus;) * Absit à nobis hoc scelus. *Jos.* 22.

℣. Nec nominétur, sicut decet sanctos. *Eph.* 5. * Absit à nobis.

Lectio iij. Cap. 7.

BOnum est hómini mulíerem non tángere... Volo enim omnes vos esse sicut meipsum; sed unusquisque próprium donum habet ex Deo: álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis et víduis: Bonum est illis si sic permáneant sicut et ego... De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo; consílium autem do tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergò hoc bonum esse propter

instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse.

℟. Scivi quóniam * Aliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det.

℣. Adii Dóminum, et deprecátus sum illum ex totis præcórdiis. *Sap.* 8. * Aliter. Glória Patri. * Aliter.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ primâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 7.

HOc ítaque dico, fratres, tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tanquam non habéntes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudéntes; et qui emunt, tanquam non possidéntes; et qui utúntur hoc mundo, tanquam non utántur: prætérit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri, et divísus est.

℟. Si ita est, * Non éxpedit núbere. *Matth.* 19.

℣. Beátior, si permánserit secúndùm consílium. 1. *Cor.* 7. * Non éxpedit.

Lectio ij. Cap. 9.

CUm liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucrifácerem. Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrárer. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cùm ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant, lucrifácerem. Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifácerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infírmus, ut infirmos lucrifácerem. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar.

℟. Quis sápiens? osténdat ex bonâ conversatióne operatiónem suam

* In mansuetúdine sapiéntiæ.

℣. Quæ desúrsùm est sapiéntia, est pacífica, suadíbilis, plena misericórdiâ et frúctibus bonis. *Jac.* 3. * In mansuetúdine.

Lectio iij.

NEscítis quòd ii qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravium? Sic cúrrite ut comprehendátis. Omnis autem, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet; et illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum, sic pugno, non quasi áërem vérberans; sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo, ne fortè, cùm áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar.

℟. Et nos per patiéntiam * Currámus ad propósitum nobis certámen. *Heb.* 12.

℣. In hæreditátem incorruptíbilem, conservátam in cœlis. 1. *Pet.* 1. * Currámus. Glória Patri. * Currámus.

FERIA QUINTA.

De Epistolâ primâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 10.

QUi se existimat stare videat ne cadat. Tentátio vos non apprehéndat nisi humána. Fidélis autem Deus est qui non patiétur vos tentári suprà id quod potéstis, sed fáciet étiam cum tentatióne provéntum, ut possítis sustinére. Propter quod, charíssimi mihi, fúgite ab idolórum cultúrâ: ut prudéntibus loquor, vos ipsi judicáte quod dico. Calix benedictiónis, cui benedícimus, nonne communicátio Sánguinis Christi est? Et panis quem frángimus, nonne participátio Córporis Dómini est? Quóniam unus panis, unum Corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participámus.

℟. Serviémus Dómino; * Absit à nobis ut relinquámus Dóminum, et serviâmus diis aliénis. *Josue.* 24.

℣. Parásti (Dómine), in conspéctu meo mensam advérsùs eos qui tríbulant me; et calix meus inébrians quàm præclárus est! *Psal.* 22. * Absit à nobis.

Lectio ij. Cap. 11.

SIve ergò manducátis, sive bíbitis, sive áliud quid fácitis, ómnia in glóriam Dei fácite. Sine offensióne estóte Judæis, et Géntibus, et Ecclésiæ Dei, sicut et ego per ómnia ómnibus pláceo, non quærens quod mihi útile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi. Laudo autem vos, fratres, quòd per ómnia mei mémores estis, et, sicut trádidi vobis, præcépta mea tenétis.

℟. Nemo enim nostrûm sibi vivit;... * Dómino vívimus. *Rom.* 14.

℣. Et ideò conténdimus placére illi. 2. *Corinth.* 5. * Dómino vívimus.

Lectio iij. Cap. 12.

DE spirituálibus autem nolo vos ignoráre, fratres; scitis quóniam, cùm Gentes essétis, ad simulácra muta prout ducebámini eúntes. Ideò notum vobis fácio quòd nemo in spíritu Dei loquens, dicit anathéma Jesu. Et nemo potest dícere, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto. Divisiónes verò gratiárum sunt, idem autem Spíritus. Et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus; et divisiónes operatiónum sunt, idem verò Deus, qui operátur ómnia in ómnibus.

℟. Omne datum óptimum, et * Omne donum perféctum desúrsùm est, descéndens à Patre lúminum. *Jacob.* 1.

℣. Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt ómnia; ipsi glória in sæcula. Amen. *Rom.* 11. * Omne donum. Glória Patri, etc. * Omne donum.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ primâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 12.

UNicuique autem datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem. Alii quidem

per Spiritum datur sermo sapiéntiæ, álii autem sermo sciéntiæ, secúndùm eúmdem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, álii grátia sanitátum in uno Spíritu, álii operátio virtútum, álii prophétia, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult. Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; ómnia autem membra córporis, cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus.

℟. (Per ómnia) * Crescámus in illo,... qui est caput Christus.

℣. Ex ipso totum corpus connéxum per junctúram subministratiónis, secúndùm operatiónem in mensúram uniuscujúsque membri, augméntum córporis facit. *Ephes.* 4. * Crescámus.

Lectio ij.

ETenim in uno Spíritu ... sive servi, sive líberi; et omnes in uno spíritu potáti sumus. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si díxerit pes, Quóniam non sum manus, non sum de córpore, num ideò non est de córpore? Et si díxerit auris, Quóniam non sum óculus, non sum de córpore, num ideò non est de córpore? Si totum corpus óculus, ubi audítus? Si totum audítus, ubi odorátus?

℟. Unicuíque nostrûm * Data est grátia in ædificatiónem Córporis Christi. *Eph.* 4.

℣. Quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus. *Rom.* 14. * Data est.

Lectio iij.

NUnc autem pósuit Deus membra, unumquódque eórum in córpore sicut vóluit. Quòd si essent ómnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus... Et si quid pátitur unum

congáudent ómnia membra.

℟. Multi * Unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter altérius membra. *Rom.* 12.

℣. Non sit schisma in córpore; sed idipsum pro ínvicem sollícita sint membra. 1. *Corinth.* 12. * Unum corpus. Glória. * Unum.

SABBATO.

De Epístolâ primâ ad Coríntbios.

Lectio j. Cap. 12.

NOs estis Corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem pósuit Deus in Ecclésiâ, primùm Apóstolos, secúndò Prophétas, tértiò Doctóres, deindè virtútes, exindè grátias curatiónum, opitulatiónes, gubernatiónes, género linguárum, interpretatiónes sermónum. Numquid omnes Apóstoli? Numquid omnes Prophétæ? Numquid omnes Doctóres? Numquid omnes virtútes? Numquid omnes grátiam habent curatiónum? Numquid omnes linguis loquúntur? Numquid omnes interpretántur? Æmulámini autem charísmata melióra, et adhuc excellentiórem viam vobis demónstro.

℟. Hæc * Omnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens singulis prout vult. 1. *Cor.* 12.

℣. Magna virtus ejus, et sapiéntiæ ejus non est númerus. *Psalm.* 146. * Omnia.

Lectio ij. Cap. 13.

SI linguis hóminum loquar et Angelórum, charitátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tínniens. Et si habúero prophétiam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam; et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, charitátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum ita ut árdeam, charitátem autem non habúero, nihil mihi prodest. Cháritas pátiens est, benígna est, cháritas non

æmulátur, non agit pérperàm, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti; ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

℟. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, * Nec flúmina óbruent illam. *Cantic.* 8.

℣. Plenitúdo legis est diléctio. *Roman.* 13. * Nec flúmina óbruent illam.

Lectio iij

CHáritas nunquàm éxcidit; sive Prophétiæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus, et ex parte prophetámus. Cùm autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est... Vidémus nunc per spéculum in ænigmate, tunc autem fácie ad fáciem... Nunc cognósco ex parte, tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum. Nunc autem manent fides, spes, cháritas, tria hæc; major autem horum est cháritas. Sectámini charitátem.

℟. Quandò véniam, * Quando apparébo ante fáciem Dómini? *Psal.* 41.

℣. In hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupiéntes. 2. *Cor.* 5. * Quandò apparébo. Glória Patri, etc. * Quandò apparébo.

Ad Magn. *Ant.* 2. *D.*

Vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia à Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio. 1. *Cor.* 1.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA IV.
POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Epistolâ primâ ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 15.

NOtum vobis fácio, fratres, Evangélium quod prædicávi vobis, quod et accepístis, in quo et statis, per quod et salvámini, quâ ratióne prædicáverim vobis, si

tenétis, nisi frustrà credidístis. Trádidi enim vobis imprimìs, quod et accépi, quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndùm scriptúras, et quia sepúltus est, et quia resurréxit tértiâ die secúndùm scriptúras, et quia visus est Cephæ, et post hoc úndecim; deíndè visus est plus quàm quingéntis frátribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt. Deíndè visus est Jacóbo, deindè Apóstolis ómnibus, novissimè autem ómnium tanquam abortívo, visus est et mihi.

℟. Ipsi enim audívimus et * Scimus, quia hic est verè Salvátor mundi. *Joan.* 4.

℣. Tráditus est propter delícta nostra, et resurréxit propter justificatiónem nostram. *Rom.* 4. * Scimus.

Lectio ij.

EGo enim sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátiâ autem Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit, sed abundántiùs illis ómnibus laborávi; non ego autem, sed grátia Dei mecum. Sive enim ego, sive illi, sic prædicámus, et sic credidistis.

℟. Dídici sufficiens esse, * Omnia possum in eo qui me confórtat. *Philip.* 4.

℣. Quia quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus. 1. *Cor.* 1. * Omnia possum.

Lectio iij.

SI autem Christus prædicátur quòd resurréxit à mórtuis, quómodò quidam dicunt in vobis quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est, neque Christus resurréxit: si autem Christus non resurréxit, inánis est ergò prædicátio nostra, inánis est et fides vestra. Invenímur autem et falsi testes Dei, quóniam testimónium díximus advérsùs Deum, quòd suscitáverit Christum quem non suscitávit, si mórtui non resúrgunt.

℟. Scio quòd * Re-

démptor meus vivit, et in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum. *Job.* 19.

℣. (Iniquórum) senténtia procul sit à me. *Job.* 22. * Redémptor meus. Glória Patri. * Redémptor meus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 10. *in Epist.* 1. *Cor.*

Lectio iv.

UNusquisque hæc cógitans, sive dicéndi facultátem hábeat, sive pecúnias, quòd nempè res Dómini sibi créditæ sint, non autem suæ, ne illas penès se retíneat, neque sibi ascríbat, sed Deo ómnia largiénti, illas accéptas réferat. Vis vidére fidéles dispensatóres? Audi quid dicat Petrus: (Quid nos respícitis, quasi própriâ virtúte aut pietáte fecérimus hunc ambuláre?)... Et Paulus cùm dixísset, Plus quàm omnes laborávi... subjúnxit: (Non ego autem, sed grátia Dei mecum.)... Nihil enim habes tuum; non pecúnias, non verbum, non ipsam ánimam, nam et ipsa Dómini est; cùm ígitur opus fúerit, hanc quoque depóne.

℟. Fidúciam habémus per Christum ad Deum, non quòd sufficiéntes simus cogitáre áliquid à nobis, quasi ex nobis, sed * Sufficiéntia nostra ex Deo est. 2. *Cor.* 3.

℣. Pro hujúsmodi gloriábor, pro me autem nihil gloriábor. 2. *Cor.* 12. * Sufficiéntia.

Lectio v.

QUòd si vitam amas, et si depónere jussus contradícis, jam non fidélis dispensátor es. Et quómodò licet, Deo vocánte, resístere? Propter hoc ipsum admíror Dei benignitátem: quæ enim potest ille, étiam te invíto, à te accípere, non vult te invíto inférri, ut mercédem hábeas. Potest ánimam, te invíto, accípere; sed vult, te voléente, ut cum Paulo dicas: Quotídiè mórior. Potest tuam glóriam accípere, te invíto, teque húmilem réddere; sed vult, te quo-

que volénte, ut remunerratiónem hábeas.

℟. Dómine, * Animam meam pro te ponam. *Joan.* 13.

℣. Non recúso mori. *Actuum.* 25. * Animam.

Lectio vj.

AD magnam pervenísti dignitátem, et Principátum assecútus es Ecclesiásticum? Ne altum sápias. Non tu glóriam obtinuisti, sed illâ te Deus induit. Illâ ígitur ut aliénâ útere. Se illam ad ea quæ non decent adhíbeas, ne infléris, ne tibi víndices; sed páuperem et inglórium te esse putáto. Verbi facultátem accepisti? Ne infléris, neque arrogánter agas: neque enim tuum est munus et donum. Ne ingrátus esto circà ea quæ sunt Dómini, sed ea consérvis distríbue..... Commúnia sunt enim, et ad consérvum étiam tuum pértinent.

℟. Non qui seipsum comméndat, sed * Quem Deus comméndat, ille probátus est. 2. *Cor.* 10.

℣. Omnis glória tanquam flos fœni: exáruit fœnum, et flos ejus décidit. 1. *Pet.* 1. * Quem. Glória Patri. * Quem.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore, Cùm turbæ irrúerent in Jesum, ut audírent verbum Dei, et ipse stabat secùs stagnum Genézareth. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

In Luc. lib. 4.

UBi Dóminus multis impertívit vária génera sanitátum, nec témpore nec loco cœpit ab stúdio sanándi turba cohibéri. Vesper incúbuit, sequebántur; stagnum occúrrit, urgébant. Et ideò ascéndit in Petri navim. Hæc est illa navis, quæ adhuc secúndùm Matthæum flúctuat, secúndùm Lucam replétur píscibus; ut, et princípia Ecclésiæ fluctuántis, et posterióra exuberántis, agnóscas. Sanctus Lucas eam sibi navim, in quâ Petrus piscarétur, elégit. Non turbátur ista quæ

Petrum habet, in quâ prudéntia návigat, abest perfídia, fides spirat.

℟. Non sumus fluctuántes omni vento doctrinæ; veritátem autem faciéntes, * In charitáte crescámus. *Eph.* 4.

℣. Superædificáti super fundaméntum Apostolórum, ipso summo angulári lápide Christo. *Eph.* 2.* In charitáte crescámus.

Lectio viij.

QUemádmodùm enim turbári póterat, cui præerat is, in quo Ecclésiæ fundaméntum est? Illic ergò turbátio, ubi módica fides; hic secúritas, ubi perfécta diléctio..... Quæ sunt autem Apostolórum quæ laxári jubéntur rétia, nisi verbórum complexiónes, et quasi quidam oratiónis sinus, et disputatiónum recéssus, qui eos, quos céperint non amíttunt? Et benè Apostólica instruménta piscándi rétia sunt, quæ non captos périmunt, sed resérvant, et de profúndo ad lumen éxtrahunt, fluctuántes de ínfimis ad supérna tradúcunt.

℟. Pósuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis, * Pro Christo legatióne fúngimur tanquam Deo exhortánte per nos. 2. *Cor.* 5.

℣. Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in verbo veritátis. 2. *Cor.* 6. * Pro Christo.

Lectio ix.

PRæcéptor, inquit, per totam noctem laborántes nihil cépimus, sed in verbo tuo laxábo rétia. Et ego, Dómine, scio quia nox mihi est, quandò non ímperas. Expécto ut júbeas, in verbo tuo laxábo rétia. O vácua præsúmptio! O humílitas fructuósa! Qui nihil ánteà céperant, magnam in verbo Dómini conclúdunt píscium multitúdinem. Non hoc humánæ facúndiæ opus, sed supérnæ vocatiónis est munus.

℟. Ecce ego; * (Dómine,) mitte me. *Isa.* 6.

℣. Quóniam fortitúdo mea es tu. *Psalm.* 30. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

Ad Bened. *Ant.*

Præcéptor, per totam noctem laborántes, nihil cépimus: in verbo autem tuo laxábo rete: et, cùm hoc fecissent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam... et implevérunt ambas navículas, ita ut penè mergeréntur. 2. *Cor.* 5.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, ut et mundi cursus pacíficè tuo órdine dirigátur, et Ecclésia tua tranquíllâ devotióne lætétur. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 1. D. Simon Petrus prócidit ad génua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccátor sum, Dómine. *Luc.* 5.

FERIA SECUNDA.

De Epístolâ primâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 15.

SI mórtui non resúrgunt, neque Christus resurréxit. Quòd si Christus non resurréxit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccátis vestris. Ergò et qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperántes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus.

℟. Ecce mystérium: * Omnes resurgémus. 1. *Cor.* 15.

℣. Propósitam spem sicut ánchoram habémus ánimæ incedéntem usque ad interióra veláminis, ubi Præcúrsor pro nobis introívit Jesus. *Heb.* 6. * Omnes.

Lectio ij.

NUnc autem Christus resurréxit à mórtuis, primítiæ dormiéntium, quóniam quidem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum; et sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur. Unusquisque autem in suo órdine, primítiæ Christus; deindè ii qui sunt Christi, qui in advéntu ejus credidérunt. Deindè finis, cùm tradíderit regnum Deo et Patri, cùm evacuáverit omnem principátum, et potestátem, et virtútem.

Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors, ómnia enim subjécit sub pédibus ejus.

℟. In eo quòd ómnia ei subjécit, * Nihil dimísit non subjéctum ei Deus.

℣. Ut destrúeret eum qui habébat mortis impérium. *Heb.* 2. * Nihil dimísit.

Lectio iij.

QUotídiè mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro. Si secúndùm hóminem, ad béstias pugnávi Ephesi, quid mihi prodest si mórtui non resúrgunt? Manducémus et bibámus, cras enim moriémur. Nolíte sedúci, corrúmpunt mores bonos collóquia mala. Evigiláte, justi, et nolíte peccáre: ignorántiam enim Dei quidam habent, ad reveréntiam vobis loquor.

℟. Scio quòd * Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum. *Job.* 19.

℣. (Iniquórum) senténtia procul sit à me. *Job.* 22. * Redémptor. Glória Patri. * Redémptor.

FERIA TERTIA.

De Epístolâ primâ ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 15.

SEd dicet áliquis: Quómodò resúrgunt mórtui, qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas, non vivificátur, nisi priùs moriátur. Et quod séminas, non corpus quod futúrum est séminas, sed nudum granum, ut putà trítici aut alicújus cæterórum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, ét unicuíque seminum próprium corpus.

℟. Tu es enim, Dómine, qui * Vitæ et mortis habes potestátem. *Sap.* 16.

℣. In ditióne tuâ cuncta sunt pósita. *Esth.* 13. * Vitæ et mortis.

Lectio ij.

NOn omnis caro, éadem caro; sed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum,

álla autem piscium. Et córpora cœléstia, et córpora terréstria; sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, et ália cláritas stellárum: stella enim à stellâ differt in claritáte. Sic et resurréctio mortuórum.

℟. Unusquísque in suo órdine vivificábitur, * Primítiæ Christus. 1. *Cor.* 15.

℣. Mórtui qui in Christo sunt, resúrgent primi. 1. *Thess.* 4. * Primítiæ Christus.

Lectio iij.

SEminátur in corruptióne, surget in incorruptióne; seminátur in ignobilitáte, surget in glóriâ; seminátur in infirmitáte, surget in virtúte; seminátur corpus animále, surget corpus spiritále. Si est corpus animále, est et spiritále, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in ánimam vivéntem, novissimus Adam in spíritum vivificántem. Sed non priùs quod spiritále est, sed quod animále, deindè quod spiritále.

℟. Dóminus * Mortíficat et vivíficat, dedúcit ad ínferos et redúcit. 1. *Reg.* 2.

℣. Deus noster, Deus salvos faciéndi, et Dómini Dómini éxitus mortis. *Psal.* 67. * Mortíficat. Glória Patri. * Mortíficat.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ primâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 15.

PRimus homo de terrâ terrénus, secúndus homo de cœlo cœléstis. Qualis terrénus, tales et terréni: qualis cœléstis, tales et cœléstes. Igitur sicut portávimus imáginem terréni, portémus et imáginem cœléstis. Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidére non possunt, neque corrúptio incorruptélam possidébit.

℟. Quómodò Christus surréxit à mórtuis, ita et nos * In novitáte vitæ ambulémus. *Rom.* 6.

℣. In ipso edócti depó-

nere véterem hóminem, qui corrúmpitur. *Eph.* 4. * In novitáte.

Lectio ij.

ECce mystérium vobis dico: Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in novíssimâ tubâ, canet enim tuba, et mórtui resúrgent incorrúpti, et nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem.

℟. Repósita est * Hæc spes in sinu meo. *Job.* 19.

℣. Ideò omnia sustíneo. 2. *Tim.* 2. * Hæc spes.

Lectio iij.

CUm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absórpta est mors in victóriâ. Ubi est mors, victória tua? Ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est, virtus verò peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per fratres mei dilécti, stábiles estóte, et immóbiles, abundántes in ópere Dómini semper, sciéntes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

℟. Si est corpus animále, est et spiritále: * Surget corpus in incorruptióne, surget in glóriâ, surget in virtúte.

℣. Novíssima inimíca destruétur mors. 1. *Cor.* 15. * Surget. Glória Patri, etc. * Surget.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Timótheus frater, Ecclésiæ Dei quæ est Corínthi, cum ómnibus Sanctis qui sunt in univérsâ Achäiâ, grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi Pater misericordiárum

omni tribulatióne nostrâ, ut possímus et ipsi consolári eos qui in omni pressúrâ sunt, per exhortatiónem quâ exhortámur et ipsi à Deo, quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra.

℟. Nos álterum Deum nescímus, præter Dóminum: * Expectémus húmiles consolatiónem ejus. *Judith.* 8.

℣. Deus noster refúgium et virtus, adjútor in tribulatiónibus. *Psal.* 45. * Expectémus húmiles.

Lectio ij.

SIve autem tribulámur pro vestrâ exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestrâ consolatióne, sive exhortámur pro vestrâ exhortatióne et salúte, quæ operátur toleràntiam earúmdem passiónum, quas et nos pátimur; ut spes nostra firma sit pro vobis, sciéntes quòd sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis.

℟. Beáti * Quí lugent, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam.

℣. Ipsi consolabúntur. *Matth.* 5. * Qui lugent.

Lectio iij.

NOn enim vólumus ignoráre vos, fratres, de tribulatióne nostrâ, quæ facta est in Asiâ, quóniam suprà modum graváti sumus suprà virtútem, ita ut tædéret nos étiam vívere. Sed ipsi in nobismetípsis respónsum mortis habúimus, ut non simus fidéutes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos, qui de tantis perículis nos erípuit et éruit, in quem sperámus, quóniam et adhuc erípiet, adjuvántibus et vobis in oratióne pro nobis, ut ex multórum persónis, ejus quæ in nobis est donatiónis, per multos grátiæ agántur pro nobis.

℟. Eámus et * Deprecémur fáciem Dómini. *Zach.* 8.

℣. Multùm enim valet deprecátio justi assídua. *Jacob.* 5. * Deprecémur. Glória Patri. * Deprecémur.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

GLória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis, et sinceritáte Dei, et non in sapiéntiâ carnáli, sed in grátiâ Dei conversáti sumus in hoc mundo; abundántiùs autem ad vos. Non enim ália scríbimus vobis, quàm quæ legístis et cognovístis. Spero autem quòd usque in finem cognoscétis, sicut et cognovístis non ex parte, quòd glória vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Non secúndùm carnem * Ambulámus. *Rom.* 8.

℣. Sed in simplicitáte cordis timéntes Deum. *Coloss.* 3. * Ambulámus.

Lectio ij. Cap. 2.

DEo autem grátias, qui semper triúmphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ maniféstat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui péreunt: áliis quidem odor mortis in mortem, áliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tàm idóneus? Non enim sumus sicut plúrimi, adulterántes verbum Dei; sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coràm Deo, in Christo lóquimur.

℟. Dómine, tu es qui fecísti cœlum et terram: * Nunc da servis tuis cum omni fidúciâ loqui verbum tuum. *Act.* 4.

℣. Quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, et míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis? *Sap.* 9. * Nunc da.

Lectio iij. Cap. 3.

INcípimus íterùm nosmetípsos commendáre? aut numquid egémus, sicut quidam, commendatítiis epístolis ad vos, aut ex vobis? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris: quæ scitur et légitur ab ómnibus homínibus; manifestáti quòd epístola estis Chris-

ti, ministráta à nobis, et scripta non atraménto, sed Spíritu Dei vivi; non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus. Fidúciam autem talem habémus per Christum ad Deum, non quòd sufficiéntes simus cogitáre áliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui et idóneos nos fecit minístros novi Testámenti.

℟. A Dómino potéstas, et * Virtus ab Altíssimo. *Sap.* 6.

℣. Te expectávimus, Dómine; esto bráchium nostrum. *Isa.* 33. * Virtus. Glória Patri. * Virtus.

SABBATO.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 4.

HAbémus.... thesáurum... in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur; dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes... ut et vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli.

℟. Sic * Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. *Judith.* 8.

℣. Exeámus ígitur ad Christum, impropérium ejus portántes. *Heb.* 13. * Omnes qui.

Lectio ij.

HAbéntes autem eúmdem spíritum fídei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum, et nos crédimus, propter quod et lóquimur, sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobíscum.... Propter quod non defícimus, sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur, tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem. Id enim quod in præsénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, suprà modum in sublimitáte, ætérnum glóriæ pon-

dus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt; quæ autem non vidéntur, ætérna sunt.

℟. Replétus sum consolatióne, * Superabúndo gáudio in omni tribulatióne. 2. *Cor.* 7.

℣. Memor fui Dei, et delectátus sum; annos ætérnos in mente hábui. *Ps.* 76. * Superabúndo.

Lectio iij. Cap. 5.

SCimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eò quòd nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est à vitâ. Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritûs.

℟. Expécto, donec * Véniat immutátio mea. *Job.* 14.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum. *Ps.* 41. * Véniat immutátio mea. Glória Patri. * Véniat immutátio mea.

Ad Magn. *Ant.* 7. ç.

Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. 1. *Cor.* 2.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA V.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 5.

AUdéntes semper, sciéntes quóniam, dùm sumus in córpore, peregrinámur à Dómino: per fidem enim ambulámus, et non per spéciem. Audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore,

et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeò conténdimus sive abséntes, sive præséntes, placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. Quandò véniam, * Quandò apparébo ante fáciem Dei? *Ps.* 41.

℣. Coárctor, desidérium habens dissólvi et esse cum Christo. *Philip.* 1. * Quandò.

Lectio ij.

CHáritas Christi urget nos, æstimántes hoc, quóniam, si unus pro ómnibus mórtuus est, ergò omnes mórtui sunt; et pro ómnibus mórtuus est Christus, ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est, et resurréxit... Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum, et dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergò legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo. Eum qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit, ut nos efficerémur justítia Dei in ipso.

℟. Sic * Deus diléxit mundum. *Joan.* 3.

℣. Quómodò adhuc vivémus in peccáto? *Rom.* 6. * Deus diléxit.

Lectio iij. Cap. 6.

ADjuvántes autem exhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adjúvi te. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. Némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum.

℟. Idcircò ipse me reprehéndo, et * Ago pœniténtiam in favíllâ et cinere. *Job.* 42.

℣. Quæ enim secúndùm Deum tristítia est, pœniténtiam in salútem stábilem operátur. 2. *Cor.* 7. * Ago pœniténtiam.

Glória Patri. * Ago pœniténtiam.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
S. Joánnis Chrysóstomi.
Hom. 12. in Epist. 2. ad Cor.

Lectio iv.

NOn propttereà nos socórdiæ demus, quia Deus nos rogat, ac legátos ad nos misit; imò verò ob hoc ipsum majóre stúdio et diligéntiâ Deo placére, ac spirituáles merces collígere curémus..... Cháritas Dei urget nos, hoc est, premit, impéllit. Ne alióqui post tantam Dei sollicitúdinem collápsi, nec ullum egrégium virtútis spécimen edéntes, tantis bonis excidámus... Usque ad secúndum ipsíus advéntum hoc erit; tantùm hortátur, dùm hîc sumus; pósteà séquitur pœna et cruciátus.

℟. Propttereà * Abundántiùs opórtet observáre nos ea quæ audívimus, ne fortè pereffluámus,

xérimus salútem? *Heb.* 2. * Abundántiùs.

Lectio v.

(ECce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis.) Ne ígitur occasiónem nobis períre sinámus; sed dignum, accéptâ grátiâ, stúdium exhibeámus: nam ideò et ipsi festinámus, quòd et brevitátem, et opportunitátem témporis perspéctam habeámus.. Vidéte ne in vácuum grátiam Dei accipiátis... Nam qui pósteà quàm peccátis liberátus, atque in amicítiam recéptus est, in prióribus flagítiis rursùs volutátur, is ad inimicítias redit, ac frustrà, quantùm ad vitam áttinet, grátiam Dei accépit. Neque enim magnum quídpiam ad salútem nobis affert grátia, si impúrè vivámus; quin pótiùs detriméntum in nos accréscit veheméntiùs peccátis gravátos, ut qui post ejúsmodi cognitiónem ac benefíciorum ad prióra vitia

quam erit istud. 1. *Reg.* 20.

℣. Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum. *Ps.* 118. * Nequáquam.

Lectio vj.

(ECce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis.) Tempus acceptábile quodnam istud? Tempus vidélicet beneficii et grátiæ, in quo de peccátis admissis, ratiónes non exposcúntur, nec pœnæ pendúntur; in quo unà cum reconciliatióne innúmeris bonis frúimur, justítiâ nimírum, sanctificatióne, aliísque ómnibus. Quantos enim labóres suscípere par erat, ut hanc occasiónem nancisceremur? At ecce, nullo à nobis suscépto labóre, adest ómnium antè admissórum véniam ásserens.

℟. Ergò * Dùm tempus habémus, operémur bonum. *Gal.* 6.

℣. Benígnitas Dei ad pœniténtiam addúcit. *Rom.* 2. * Dùm tempus. Glória Patri. * Dùm tempus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: (Dico vobis quia), nisi abundáverit justítia vestra plus quàm Scribárum et Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. Et réliqua.

Homilia
S. Joánnis Chrysóstomi.
Hom. 16. *in Matth.*

CHáritas est ómnium mater bonórum, certa discipulórum nota, quæ ómnia nostra cóntinet. Jure ergò radices et fontes inimicítiæ, quæ illam pessúndat, cum veheméntiâ multâ Christus ámputat et tollit. Nihil enim ita curat Deus, ut nos mútuis vínculis colligári. Ideò et per seípsum, et per discípulos suos, tàm in novo quàm in véteri testaménto, multo hoc præcéptum sermóne comméndat, et véhemens vindex est eórum qui hoc despíciunt.

℟. Pax frátribus, et cháritas à Deo Patre, et Dómino Jesu Christo * Cum ómnibus. *Eph.* 6.

℣. Misericórdia, et pax, et cháritas adimpleátur. *Judæ.* 2. * Cum ómnibus.

Lectio viij.

NEque in supradíctis gradum sistit, sed ália plura ádhibet, queis osténdit quantùm ejus hábeat ratiónem. Nam cùm per concílium, per judícium, et per gehénnam ignis, comminátus esset, ália adjécit præcedéntibus cónsona, nempè, Si offers munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid advérsùm te, relínque munus tuum ante altáre, et vade priùs reconciliári fratri tuo, et tunc véniens offer munus tuum.

℟. Dona iniquórum * Non probat Altíssimus, nec réspicit in oblatiónes iniquórum. *Eccli.* 34.

℣. Lavábo inter innocéntes manus meas, Dómine, et circúmdabo altáre tuum. *Psal.* 25. * Non probat.

Lectio ix.

O Bonitátem, ô benignitátem, quæ omnem sermónem súperat! Honórem suum déspicit pro charitáte ergà próximum; osténdens se priùs comminátum esse, non ex inimicítiâ quâdam, vel ex cupiditáte inferéndi supplícii, sed ex amóre fervénti. Quid enim hisce verbis mansuétius fingi possit? Interrumpátur, inquit, cultus meus, ut cháritas tua máneat. Nam verè sacrificium est reconciliátio cum fratre. Ideò non dixit: Posquàm obtúleris, vel ántequàm óffeNone feras, sed ipso múnere præsénte, et jam sacrificio incipiénte, mittit eum ut se cum fratre recónciliet.

℟. Mandátum accépimus à Patre, ut * Diligámus altérutrum. 2. *Joan.* 3.

℣. Qui facit misericórdiam, offert sacrificium. *Eccli.* 35. * Diligámus. Glória Patri. * Diligámus.

Ad Bened. *Ant.*

Nisi abundáverit justitia vestra plus quàm Scri-

bárum et Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* 5.

Oratio.

DEus, qui diligéntibus te bona invisibilia præparásti; infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum, ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 8. G.

Qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit concílio. Qui autem dixerit, Fátue, reus erit gehénnæ ignis. *Matth.* 5.

FERIA SECUNDA.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 6.

IN ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multâ patiéntiâ, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntiâ, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in charitáte non fictâ, in verbo veritátis; in virtúte Dei, per arma justítiæ, à dextris et à sinístris, per glóriam et ignobilitátem, per infámiam et bonam famam; ut seductóres et veráces, sicut qui ignóti et cógniti; quasi moriéntes, et ecce vívimus; ut castigáti, et non mortificáti; quasi tristes, semper autem gaudéntes; sicut egéntes, multos autem locupletántes; tanquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

℟. Utinàm, Dómine, dirigántur viæ meæ * Ad custodiéndas justificatiónes tuas! *Psal.* 118.

℣. Mitte sapiéntiam à sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit, et mecum labóret. *Sap.* 9. * Ad custodiéndas.

Lectio ij.

OS nostrum patet ad vos, ô Corínthii! cor nostrum dilatátum est. Non angustiámini in nobis, angustiámini autem in viscéribus vestris. Eámdem autem habéntes re-

munerationem, tanquam filiis dico, dilatámini et vos. Nolite jugum dúcere cum infidélibus. Quæ enim participátio justítiæ cum iniquitáte? aut quæ societas luci ad ténebras?

℟. Dómine, * Non communicábo cum eléctis operántium iniquitátem. *Ps.* 140.

℣. Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid vólui super terram? Deus cordis mei et pars mea in ætérnum. *Psal.* 72. * Non.

Lectio iij.

VOs estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, et inambulábo inter eos, et ero illórum Deus, et ipsi erunt mihi pópulus. Propter quod exite de médio eórum, et separámini, dicit Dóminus, et immúndum ne tetigéritis; et ego recípiam vos, et ero vobis in Patrem, et vos éritis mihi in filios et filias, dicit Dóminus omnípotens.

℟. Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui * Prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum. *Eph.* 1.

℣. Absit ut relinquámus Dóminum. *Josue.* 24. * Prædestinávit. Glória Patri. * Prædestinávit.

FERIA TERTIA.

De Epístolâ secúndâ ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 7.

HAs habéntes promissiónes, charissimi, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis et spíritûs, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei. Cápite nos. Néminem læsimus, néminem corrúpimus, néminem circumvénimus. Non ad condemnatiónem vestram dico: prædíximus enim quòd in córdibus nostris estis, ad commoriéndum et ad convivéndum.

℟. Qui enim secúndùm carnem sunt, quæ carnis sunt sápiunt; * Qui secúndùm spíritum sunt, quæ sunt spíritûs séntiunt. *Rom.* 8.

℣. Cháritas benígna est, non quærit quæ sua

sunt. 1. *Cor.* 13. * Qui secúndùm.

Lectio ij.

MUlta mihi fidúcia est apud vos, multa mihi gloriátio pro vobis; replétus sum consolatióne, superabúndo gáudio in omni tribulatióne nostrâ. Nam et cùm venissémus in Macedóniam, nullam réquiem hábuit caro nostra, sed omnem tribulatiónem passi sumus: foris pugnæ, intùs timóres. Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi. Non solùm autem in advéntu ejus, sed étiam in consolatióne, quâ consolátus est in vobis, réferens nobis vestrum desidérium, vestrum fletum, vestram æmulatiónem pro me, ita ut magis gaudérem.

℟. Deus noster refúgium et virtus, * Adjútor in tribulatiónibus. *Psal.* 45.

℣. Expectémus húmiles consolatiónem ejus. *Judith.* 8. * Adjútor.

Lectio iij.

QUóniam etsi contristávi vos in epístolâ, non me pœnitet; et si pœnitéret, videns quòd epístola illa, etsi ad horam, vos contristávit, nunc gáudeo, non quia contristáti estis, sed quia contristáti estis ad pœniténtiam: contristáti enim estis secúndùm Deum, ut in nullo detriméntum patiámini ex nobis. Quæ enim secúndùm Deum tristítia est, pœniténtiam in salútem stábilem operátur; sæculi autem tristítia mortem operátur.

℟. Lætáti sumus * Pro diébus quibus nos humiliásti. *Psal.* 89.

℣. Tristítia vertétur in gáudium. *Joan.* 16. * Pro diébus. Glória Patri. * Pro diébus.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 8.

NOtam fácimus vobis, fratres, grátiam Dei, quæ data est in Ecclésiis Macedóniæ, quòd in multo experiménto tribulatiónis abundántia gáudii ipsórum fuit, et altíssima

paupértas eórum abundávit in divítias simplicitátis eórum; quia secúndùm virtútem testimónium illis reddo, et suprà virtútem voluntárii fuérunt cum multâ exhortatióne obsecrántes nos, grátiam et communicatiónem ministérii quod fit in sanctos. Et non sicut superávimus, sed semetípsos dedérunt, primùm Dómino, deindè nobis, per voluntátem Dei.

℟. Beátus * Qui intélligit super egénum et páuperem.

℣. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terrâ. *Ps.* 40. * Qui intélligit.

Lectio ij.

SCitis enim grátiam Dómini nostri Jesu Christi quóniam propter vos egénus factus est cùm esset dives, ut illíus inópiâ vos divites essétis... In præsénti témpore vestra abundántia illórum inópiam súppleat, ut et illórum abundántia vestræ inópiæ sit suppleméntum, ut fiat æquális.... Ostensiónem ergò, quæ est charitátis vestræ, et nostræ glóriæ pro vobis, in illos osténdite in fáciem Ecclesiárum.

℟. Ecce, * Dómine, do paupéribus. *Luc.* 19.

℣. Nutrívi enim illos cum jucunditáte, et dimísi illos cum fletu et luctu. *Baruch.* 4. * Dómine.

Lectio iij. Cap. 9.

NAm de ministério, quod fit in Sanctos, ex abundánti est mihi scríbere vobis.... Hoc autem dico: Qui parcè séminat, parcè et metet; et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Unusquísque, prout destinávit in corde suo, non ex tristitiâ aut ex necessitáte: hílarem enim datórem díligit Deus.

℟. Magna * Fidúcia erit coràm summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

℣. Præmium enim bonum in die necessitátis. *Tob.* 4. * Fidúcia erit. Glória Patri. * Fidúcia erit.

FERIA QUINTA.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 9.

POtens est Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Qui autem administrat semen seminánti, et panem ad manducándum præstábit, et multiplicábit semen vestrum, et augébit increménta frugum justítiæ vestræ; ut in ómnibus locupletáti, abundétis in omnem simplicitátem.

℟. Beátus * Qui intélligit super egénum et páuperem. *Psal.* 40.

℣. Hic accípiet benedictiónem à Dómino. *Ps.* 23. * Qui intélligit.

Lectio ij. Cap. 10.

ARma milítiæ nostræ non carnália sunt, sed poténtia Deo ad destructiónem munitiónum, consília destruéntes, et omnem altitúdinem extolléntem se advérsùs sciéntiam Dei, et in captivitátem redigéntes omnem intelléctum in obséquium Christi, et in promptu habéntes ulcísci omnem inobediéntiam, cùm impléta fúerit vestra obediéntia.

℟. Dóminus * Pósuit in eis verba signórum suórum et prodigiórum. *Ps.* 104.

℣. Ad obediéndum fidei in ómnibus Géntibus. *Rom.* * Pósuit.

Lectio iij. Cap. 10 et 11.

QUi autem gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est, sed quem Deus comméndat. Utinàm sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo. Tímeo autem ne, sicut serpens Evam sedúxit astútiâ suâ, ita corrumpántur sensus vestri, et éxcidant à simplicitáte quæ est in Christo.

℟. Qui misericórdiam habet, * Docet et erúdit quasi Pastor gregem suum. *Eccli.* 18.

℣. Qui præest in sollicitúdine. *Rom.* 12. * Docet. Glória. * Docet.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 11.

EXístimo nihil me minùs fecisse à magnis Apóstolis: nam etsi imperítus sermóne, sed non sciéntiâ, in ómnibus autem manifestáti sumus vobis. Aut numquid peccátum feci, meipsum humílians, ut vos exaltémini? Quóniam gratìs Evangélium Dei evangelizávi vobis. Alias Ecclésias expoliávi, accípiens stipéndium ad ministérium vestrum. Et cùm essem apud vos, et egérem, nulli onerósus fui: nam quod mihi déerat, supplevérunt fratres qui venérunt à Macedóniâ, et in ómnibus sine ónere me vobis servávi, et servábo.

℟. Nemo quod suum est, quærat; * Sed quod altérius. 1. *Cor.* 10.

℣. Cháritas benígna est, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt. 1. *Cor.* 13. * Sed quod.

Lectio ij.

EST véritas Christi in me, quóniam hæc gloriátio non infringétur in me in regiónibus Acháiæ. Quarè? quia non díligo vos? Deus scit. Quod autem fácio, et fáciam, ut ámputem occasiónem eórum, qui volunt occasiónem, ut in quo gloriántur, inveniántur sicut et nos. Nam ejúsmodi pseudoapóstoli sunt operárii súbdoli, transfigurántes se in Apóstolos Christi. Et non mirum: ipse enim Sátanas transfigúrat se in Angelum lucis. Non est ergò magnum si minístri ejus transfigúréntur velut minístri justítiæ, quorum finis erit secúndùm ópera ipsórum.

℟. Qui quærit glóriam ejus qui misit eum, hic verax est, et * Injustítia in illo non est. *Joan.* 7.

℣. In hoc gloriétur qui gloriátur. *Jerem.* 9. * Injustítia.

Lectio iij.

ITerùm dico, ne quis me putet insipiéntem esse, alióqui velut insipiéntem accípite me, ut et ego módicum quid glórier. Quod loquor, non loquor secúndùm Deum, sed quasi in insipiéntiâ, in hâc substántiâ glóriæ. Quóniam multi gloriántur secúndùm carnem, et ego gloriábor: libénter enim suffértis insipiéntes, cùm sitis ipsi sapiéntes. Sustinétis enim si quis vos in servitútem rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in fáciem vos cædit.

℟. Usquequò, Dómine, * Usquequò peccatóres gloriabúntur?

℣. Hæreditátem tuam vexavérunt. *Psal.* 93. * Usquequò. Glória Patri. * Usquequò.

SABBATO.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 11.

SEcúndùm ignobilitátem dico, quasi nos infírmi fuérimus in hâc parte. In quo quis audet, (in insipiéntiâ dico), áudeo et ego: Hebræi sunt, et ego; Israëlítæ sunt, et ego; semen Abrahæ sunt; et ego; minístri Christi sunt, ut minùs sápiens dico, plus ego. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis suprà modum, in mórtibus frequénter. A Judæis quínquies quadragénas unâ minùs accépi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci, nocte et die in profúndo maris fui.

℟. Tentátus, et * Per multas tribulatiónes probátus, Dei amícus efféctus est. *Judith.* 8.

℣. In Dómino sperans non infirmábor: proba me, Dómine, et tenta me. *Psal.* 25. * Per multas tribulatiónes probátus, Dei amícus efféctus est.

Lectio ij

IN itinéribus sæpè, perículis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex Géntibus, perículis in civitáte, perículis in soli-

túdine, periculis in mari, periculis in falsis frátribus. In labóre et ærúmnâ, in vigíliis multis, in fame et siti, in jejúniis multis, in frígore et nuditáte; præter illa quæ extrínsecùs sunt, instántia mea quotidiána, sollicitúdo ómnium Ecclesiárum. Quis infirmátur, et ego non infírmor? Quis scandalizátur, et ego non uror?

℟. Sic omnes * Qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. *Judith*. 8.

℣. Exeámus igitur ad Christum, impropérium ejus portántes. *Heb*. 13. * Qui placuérunt Deo.

Lectio iij.

SI gloriári opórtet, quæ infirmitátis meæ sunt, gloriábor. Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui est benedíctus in sæcula, scit quòd non méntior. Damásci Præpósitus Gentis Arétæ Regis, custodiébat civitátem Damascenórum, ut me comprehénderet; et per fenéstram in sportâ dimíssus sum per murum, et sic effúgi manus ejus.

℟. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine... * Quóniam éruis sustinéntes te. *Eccli*. 51.

℣. Sperent in te qui novérunt nomen tuum. *Psal*. 9. * Quóniam éruis. Glória Patri. * Quóniam éruis.

Ad Magn. *Ant*. 1. g.

Non gloriétur sápiens in sapiéntiâ suâ; sed in hoc gloriétur, qui gloriátur, scire et nôsse me, quia ego sum qui fácio misericórdiam, et judícium, et justítiam in terrâ: hæc enim placent mihi, ait Dóminus. *Jer*. 9.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA VI.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Epístolâ secúndâ ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 12.

SI gloriári opórtet, non éxpedit quidem, véniam autem ad visiónes

et

et revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim, sive in córpore néscio, sive extrà corpus néscio, Deus scit, raptum hujúsmodi usque ad tértium cœlum. Et scio hujúsmodi hóminem, sive in córpore, sive extrà corpus, néscio, Deus scit, quóniam raptus est in Paradísum, et audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor; pro me autem nihil gloriábor, nisi in infirmitátibus meis.

℟. Qui quærit glóriam ejus qui misit eum, hic verax est, et * Injustítia in illo non est. *Joan.* 7.

℣. In hoc gloriétur, qui gloriátur. *Jer.* 9. * Injustítia.

Lectio ij.

NAm et si volúero gloriári, non ero insípiens, veritátem enim dicam; parco autem, ne quis me exístimet suprà id quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ, ángelus Sátanæ qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi ut discéderet à me, et dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea, nam virtus in infirmitáte perfícitur.

℟. Ego despíciam inimícos meos, * Dóminus mihi adjútor. *Psal.* 117.

℣. Ipsi in vanum quæsiérunt ánimam meam. *Ps.* 62. * Dóminus.

Lectio iij.

LIbénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi. Propter quod pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum. Factus sum insípiens, vos me coëgístis, ego enim à vobis débui commendári: nihil enim minùs fui ab iis qui sunt suprà modum Apóstoli, tamétsi nihil sum. Signa autem Apostolátûs mei facta sunt super vos in omni patiéntiâ, in signis, et prodígiis, et virtútibus.... Non quæro quæ vestra sunt, sed vos... Ego autem libentíssimè

impéndam et superimpéndar ipse pro animábus vestris; licèt plus vos díligens, minùs díligar.

℟. Verè * In hoc châritas Dei perfécta est. 1. *Joan.* 2.

℣. Majórem hâc dilectiónem nemo habet. *Joan.* 15. * In hoc. Glória Patri. * In hoc.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 27. in Epistolâ 2. ad Corinthios.

Lectio iv.

EGo libentíssimè impéndam et superimpéndar pro animábus vestris; licèt plus vos díligens, minùs díligar..... Paulum ítaque nos imitémur, magnum enim peccátum est invidére et non amáre...: Perspícuus furor est prósperis aliórum rebus angi, hoc enim furéntium canum est, rabiéque laborántium: eórum enim more, hi quoque livóris œstro pérciti in ómnium ora prosíliunt... Neque ullum solátii genus reperire est, cujus ope furórem compéscat, uno duntáxat excépto, nempè ut ei qui prósperè egit, calámitas áccidat: sic emorbus remíttitur. Imò ne sic quidem, vellem istud siléntio præterire; at si siléntium ipsam rerum infámiam adímeret, óperæ prétium esset tacére: cùm autem, me étiam tacénte, res ipsæ veheméntiùs quàm lingua mea fácere posset, clamatúræ sint, nullum certè detriméntum à verbis meis afferétur.

℟. Sapiéntiam investigábo, * Neque cum invídiâ tabescénte iter habébo. *Sap.* 6.

℣. Os eórum maledictióne et amaritúdine plenum est, viam pacis non cognovérunt. *Psal.* 13. * Neque.

Lectio v.

HIc enim morbus Ecclésiam ipsam áttigit, omniaque sursùm ac deórsùm vertit, corporísque compágem díscidit... ob eámque causam ingens rerum depravátio est.... Utilene esse exístimas pré-

ximi cómmoda dejicere? Non plantárum cultóres, non agrícolas cernis, quómodò concórdibus ánimis in unum currant? Hic effódit, ille serit.... álius quod satum est rigat, álius obsépit.... álius béstias arcet, omnésque in unum spectant ut plantam incólumem servent. Hîc autem non ita se res habet, verùm planto ipse, alter autem subágitat et súccutit... Non opus meum deles, sed tuum evértis. Ego plantávi, rigáre te oportébat... At vides eum qui plantat ómnium sermónibus celebrári? Bono ánimo esto; nec ego áliquid sum, nec tu: nec enim qui plantat, nec qui rigat est áliquid. Unius enim Dei opus est, ex quo efficitur, ut advérsùs ipsum bellum íneas ac dímices.

℟. Unusquísque videat quómodò superædíficet, * Dei enim sumus adjutóres. 1. *Cor.* 3.

℣. Ad consummatiónem Sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem Córporis Christi. *Eph.* 4. * Dei enim.

Lectio vj.

FRatrum nómina habémus, res autem hóstium; cùmque membra omnes vocémur, ferárum tamen ritu inter nos dissidémus.. Tandem aliquándò membra efficiámur, tandem aliquándò unum corpus. Atque is quidem in quem laudes conferúntur, laudes eas propúlset, et in fratrum encómia tránsferat. Qui autem altérius laudes audit, ipsi gratulétur. Quòd si nos ad hunc modum inter nos conjungámur, caput quoque ipsum nobis conciliábimus. Sin autem inter nos disjúncti simus, Dei quoque opem à nobis avertémus. Hâc porrò remótâ, ingéntem perníciem corpus cóntrahet, ut quod supérnè mínimè constringátur.

℟. Si spíritu vívimus, * Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. *Galat.*

℣. Omnia in charitáte fiant. 1. *Cor.* 16. * Non efficiámur. Glória Patri. * Non efficiámur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN diébus illis, Cùm turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent, convocátis Discípulis, ait illis: Miséreor super turbam, quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 6. *in Luc. cap.* 6.

POsteà quàm illa, quæ Ecclésiæ typum accépit, à fluxu curáta est sánguinis; pósteà quàm Apóstoli ad evangelizándum regnum Dei sunt destináti, grátiæ cœléstis impartítur aliméntum. Sed quibus impartiátur advérte: non otiósis, non in civitáte quasi in synagógâ vel sæculi dignitáte residéntibus, sed inter desérta quæréntibus Christum. Qui enim non fastídiunt, ipsi excipiúntur à Christo, et cum ipsis lóquitur Dei verbum, non de sæculáribus, sed de regno Dei. Et si qui corporális gerunt úlcera passiónis, his medicínam suam libénter indúlget.

℟. Confiteántur Dómino mirabília ejus, quia * Satiávit ánimam inánem, et ánimam esuriéntem satiávit bonis. *Ps.* 106.

℣. Tálium est enim regnum cœlórum. *Matth.* 19. * Satiávit.

Lectio viij.

COnsequens ígitur erat, ut quos à vúlnerum dolóre sanáverat, eos alimóniis spirituálibus à jejúnio liberáret. Itaque nemo cibum áccipit Christi, nisi fúerit antè sanátus: et illi qui vocántur ad cœnam, priùs vocándo sanántur. Si claudus fuit, gradiéndi facultátem, ut veníret, accépit; si lúmine privátus oculórum, domum útique Dómini, nisi refúsâ luce, intráre non pótuit.

℟. Dómine, miserére meî; * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Psal.* 40.

℣. Et introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui læ-

tificat juventútem meam. *Psal.* 42. * Sana.

Lectio ix.

UBique ígitur mystérii ordo servátur, ut priùs per remissiónem peccatórum vulnéribus medicína tribuátur, pósteà alimónia mensæ cœléstis exúberet, quanquam nondùm validióribus hæc turba reficiátur aliméntis, neque Christi Córpore et Sánguine jejúna solidióris fidei corda pascántur. (Lacte, inquit, vos potávi, non escâ: nondùm enim poterátis, sed nec adhuc quidem potéstis.) In modum lactis quinque sunt panes; esca autem solídior, Corpus est Christi; potus verò veheméntior, Sanguis est Dómini.

℟. Propter nomen tuum, * Dómine, propitiáberis peccáto meo. *Ps.* 24.

℣. Parásti in conspéctu meo mensam advérsùs eos qui tríbulant me. * *Ps.* 22. Dómine. Glória Patri. * Dómine.

Ad Bened. *Ant.*

Præcépit Jesus turbæ discúmbere super terram; et manducavérunt, et saturáti sunt. *Marc.* 8.

Oratio.

DEus, cujus providéntia in suî dispositióne non fállitur; te súpplices exorámus, ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 1. D.

Sustulérunt quod superáverat de fragméntis septem sportas: erant autem qui manducáverant quasi quátuor míllia; et dimísit eos. *Marc.* 8.

FERIA SECUNDA.

Incipit Epístola beáti Pauli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus, non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitávit eum à mórtuis, et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ, grátia vobis et pax à Deo Patre, et Dómino nostro Jesu Christo qui dedit semetípsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de

præsénti sæculo nequam, secúndùm voluntátem Dei et Patris nostri, cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Verè languóres nostros ipse tulit, * Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra. *Isa.* 53.

℣. Erípuit nos ab irâ ventúrâ. 1. *Thessal.* 1. * Ipse vulnerátus.

Lectio ij.

MIror quòd sic tàm citò transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Christi, in áliud Evangélium, quod non est áliud, nisi sunt áliqui qui vos contúrbant, et volunt convértere Evangélium Christi. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis prætérquàm quod evangelizávimus vobis, anathéma sit. Sicut prædíximus, et nunc íterùm dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepístis, anathéma sit. Modò enim homínibus placérem, Christi servus non essem.

℟. Ad quod pervénimus, idem sapiámus, et * In eâdem permaneámus régulâ. *Philipp.* 3.

℣. Non simus fluctuántes, et circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph.* 4. * In eâdem.

Lectio iij.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum est à me, quia non est secúndùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquándò in Judaísmo, quóniam suprà modum persequébar Ecclésiam Dei, et expugnábam illam, et proficiébam in Judaísmo suprà multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor existens paternárum meárum traditiónum.

℟. Deus volens notam fácere poténtiam suam, * Sustínuit in multâ pa-

℣. Judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa. *Psal.* 18. * Sustínuit. Glória Patri, etc. * Sustínuit.

FERIA TERTIA.

De Epístolâ ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 1.

CUm plácuit ei, qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in Géntibus, continuò non acquiévi carni et sánguini. Neque veni Hierosólymam ad Antecessóres meos Apóstolos, sed ábii in Arábiam, et iterùm revérsus sum Damáscum; deindè post annos tres veni Hierosólymam vidére Petrum, et mansi apud eum diébus quindecim. Alium autem Apostolórum vidi néminem, nisi Jacóbum fratrem Dómini.

℟. Beátus * Quem elegísti et assumpsísti, Dómine. *Psal.* 64.

℣. Exíbit ad opus suum. *Psal.* 103. * Quem elegísti.

Lectio ij. Cap. 2.

DEindè veni in partes Syriæ et Cilíciæ; eram autem ignótus fácie Ecclésiis Judææ, quæ erant in Christo; tantùm autem audítum habébant, quóniam qui persequebátur nos aliquándò, nunc evangelízat fidem quam aliquándò expugnábat; et in me clarificábant Deum. Deindè post annos quatuórdecim, iterùm ascéndi Hierosólymam cum Bárnabâ, assúmpto et Tito. Ascéndi autem secùndùm revelatiónem, et cóntuli cum illis Evangélium quod prædico in Géntibus, seórsùm autem iis qui videbántur áliquid esse, ne fortè in vácuum cúrrerem aut cucurríssem.

℟. Qui timétis Deum, laudáte eum; * Univérsum semen Jacob, glorificáte eum. *Ps.* 21.

℣. Hæc mutátio déxteræ Excélsi. *Ps.* 76. * Univérsum.

Lectio iij. Cap. 5.

MAnifésta sunt ópera carnis, quæ sunt fornicátio, immundítia,

impudicítia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comessatiónes, et his simília; quæ prædíco vobis, sicut prædíxi, quóniam qui tália agunt, regnum Dei non consequéntur. Fructus autem spiritûs est cháritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. Advérsùs hujúsmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis. Si spíritu vívimus, spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes.

℟. Non secúndùm carnem ambulámus, sed secúndùm spíritum: nam * Prudéntia carnis mors est, prudéntia autem spíritûs vita et pax. *Rom.* 8. ℣. Vetus homo noster crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti, et ultrà non serviámus peccáto. *Rom.* 6. * Prudéntia. Glória Patri. * Prudéntia.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 6.

FRatres, et si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, considerans teípsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cùm nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, et sic in semetípso tantùm glóriam habébit, et non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is qui catechizátur verbo ei qui se catechízat, in ómnibus bonis.

℟. Ego libentíssimè impéndam, et * Superimpéndar ipse pro animábus. 2. *Cor.* 12.

℣. Testis enim mihi est Deus quómodò cúpiam omnes in viscéribus Jesu Christi. *Philip.* 1. * Superimpéndar.

Lectio ij.

NOlite erráre, Deus non irridétur. Quæ enim semináverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne suâ, de carne et metet corruptiónem; qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus : témpore enim suo metémus non deficiéntes. Ergò dùm tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máximè autem ad domésticos fidei.

℟. In hoc enim * Laborámus, quia sperámus in Deum vivum, qui est Salvátor ómnium, máximè fidélium. 1. *Tim.* 4.

℣. Labor non est inánis in Dómino. 1. *Cor.* 15. * Laborámus.

Lectio iij.

MIhi autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu, neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúnque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israël Dei. De cætero nemo mihi moléstus sit, ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

℟. Nos spíritu servimus Deo, et * Gloriámur in Christo Jesu. *Philip.* 3.

℣. Prædicámus Christum crucifixum, Dei virtútem et Dei sapiéntiam. 1. *Cor.* 1. * Gloriámur. Glória Patri. * Gloriámur.

FERIA QUINTA.

Incipit Epistola beáti Pauli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi, per voluntátem Dei, ómnibus Sanctis qui sunt Ephesi, et fidélibus in Christo Jesu,

grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in charitáte, qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum secúndùm propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in quâ gratificávit nos in dilécto Fílio suo.

℟. Qualem charitátem * Dedit nobis Pater, ut fílii Dei nominémur et simus! 1. *Joan.* 3.

℣. Si Fílii, et hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi. *Rom.* 8. * Dedit.

Lectio ij.

IN quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndùm divítias grátiæ ejus quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntiâ et prudéntiâ; ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terrâ sunt, in ipso.

℟. Gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, * Per quem nunc reconciliatiónem accépimus. *Rom.* 5.

℣. Repléti fructu justítiæ per Jesum Christum. *Phil.* 1. * Per quem.

Lectio iij.

IN quo étiam et nos sorte vocáti sumus, prædestináti secúndùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndùm consílium voluntátis suæ, ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui antè sperávimus in Christo; in quo et vos, cùm audissétis verbum veritátis, Evangélium salútis vestræ, in quo et credéntes signáti estis Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℟. Grátias Deo Patri,

qui * Dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine.

℣. Si tamen in fide fundáti, et stábiles, et immóbiles à spe Evangélii. *Col.* 1. * Dignos nos fecit. Glória Patri. * Dignos.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 1.

PRoptéreà et ego áudiens fidem vestram quæ est in Dómino Jesu, et dilectiónem in omnes Sanctos, non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestrî fáciens in oratiónibus meis, ut Deus, Dómini Jesu Christi Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ et revelatiónis, in agnitióne ejus; illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, et quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in Sanctis, et quæ sit superéminens magnitúdo virtútis ejus in nos, qui crédimus secúndùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus.

℟. Secúndùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos Deus in spem vivam, in * Hæreditátem incorruptíbilem et incontaminátam, immarcessíbilem, conservátam in cœlis. 1. *Pet.* 1.

℣. Sperámus; per patiéntiam expectámus. *Rom.* 8. * Hæreditátem.

Lectio ij.

QUam (operatiónem poténtiæ virtútis) operátus est in Christo, súscitans illum à mórtuis et constítuens ad déxteram suam in cœléstibus, suprà omnem principátum, et potestátem, et virtútem, et dominatiónem, et omne nomen quod nominátur non solùm in hoc sæculo, sed étiam in futúro. Et ómnia subjécit sub pédibus ejus, et ipsum dedit caput suprà omnem Ecclésiam, quæ est corpus ipsíus, et plenitúdo ejus, qui ómnia in ómnibus adimplétur.

℟. Omnis lingua confiteátur quia * Dóminus Jesus Christus in glóriâ est Dei Patris.

℣. In nómine ejus omne genu flectátur, cœlés-

tium, terréstrium, et infernórum. *Philip.* 2.* Dóminus Jesus.

Lectio iij. Cap. 2.

ET vos, cùm essétis mórtui delíctis et peccátis vestris, in quibus aliquándò ambulástis secúndùm sæculum mundi hujus, secúndùm Príncipem potestátis äëris hujus, spíritûs qui nunc operátur in filios diffidéntiæ, in quibus et nos omnes aliquándò conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, faciéntes voluntátem carnis et cogitatiónum, et erámus natúrâ filii iræ, sicut et cæteri. Deus autem qui dives est in misericórdiâ, propter nímiam charitátem suam quâ diléxit nos, et cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, cujus grátiâ estis salváti.

℟. Commendat charitátem suam Deus in nobis, * Quóniam, cùm adhuc peccatóres essémus. Christus pro nobis mórtuus est: multò magis nunc justificáti in Sánguine ipsíus, salvi érimus ab irâ per ipsum. ℣. Si quis non amat Dóminum nostrum Jesum Christum, anathema sit.

1. *Cor.* 16. * Quóniam. Glória Patri. * Quóniam.

SABBATO.

De Epístolâ ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 2.

COnresuscitávit nos Deus, et consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu, ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Grátiâ enim estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est; non ex opéribus, ut ne quis gloriétur: ipsius enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus.

℟. Habéntes fidúciam in introítu sanctórum in Sánguine Christi, * Accedámus in plenitúdine fidei: teneámus spei nos-

Lectio ij.

PRopter quod mémores estóte quòd aliquándò vos Gentes... erátis illo in témpore sine Christo, alienáti à conversatióne Israël, et hóspites testamentórum, promissiónis spem non habéntes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquándò erátis longè, facti estis propè in Sánguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium paríetem macériæ solvens inimicítias in carne suâ, legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetípso.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino, et * Noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Psal.* 102.

℣. Per Dóminum nostrum Jesum Christum nunc reconciliatiónem accépimus. *Rom.* 5. * Noli.

Lectio iij.

ET véniens evangelizávit pacem vobis qui longè fuistis, et pacem iis qui propè. Quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno spíritu ad Patrem. Ergò jam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives Sanctórum, et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu, in quo omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in spíritu.

℟. Per ómnia * Crescámus in illo, qui est caput Christus. *Eph.* 4.

℣. Fundaméntum áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. 1. *Cor.* 3. * Crescámus. Glória Patri. * Crescámus.

Ad Magn. *Ant.* 8. G.

Omnes Prophétæ testimónium (Jesu) pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per no-

men ejus omnes qui credunt in eum. *Act.* 10.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA VII.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO,

De Epístolâ ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 3,

HUjus rei grátiâ, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Géntibus, si tamen audístis dispensatiónem grátiæ Dei quæ data est mihi in vobis; quóniam secúndùm revelatiónem notum mihi factum est Sacraméntum, sicut suprà scripsi in brevi, prout potéstis legéntes intellígere prudéntiam meam in mystério Christi, quod áliis generatiónibus non est ágnitum fíliis hóminum, sícuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis ejus, et Prophétis in spíritu, Gentes esse cohærédes, et concorporáles. et compartícipes promissiónis ejus in Christo Jesu per Evangélium, cujus factus sum miníster secúndùm donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndùm operatiónem virtútis ejus.

℟. Audíte hæc, omnes Gentes; * Auribus percípite, omnes qui habitátis orbem. *Psal.* 48.

℣. Magnum pietátis sacraméntum quod manifestátum est in carne, prædicátum est Géntibus. 1. *Timoth.* 3. * Auribus.

Lectio ij.

MIhi ómnium Sanctórum mínimo data est grátia hæc in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes quæ sit dispensátio Sacraménti abscónditi à sæculis in Deo, qui ómnia creávit, ut innotéscat Principátibus et Potestátibus in cœléstibus per Ecclésiam, multifórmis sapiéntia Dei, secúndùm præfinitiónem sæculórum, quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro, in quo habémus fidúciam et accéssum in confidéntiâ per fidem ejus.

℟. Opera Dei reveláre

et confitéri * Honoríficum est. *Tob.* 12.

℣. Prædicáre pópulo, et testificári, quia Jesus Christus ipse est qui constitútus est à Deo Judex vivórum et mortuórum. *Act.* 10. * Honoríficum.

Lectio iij.

PRopter quod peto ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis, quæ est glória vestra. Hujus rei grátiâ flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terrâ nominátur, ut det vobis secúndùm divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris; in charitáte radicáti et fundáti.

℟. Ipse Dóminus noster Jesus Christus qui diléxit nos, confírmet corda * In omni ópere bono. 2. *Thess.* 2.

℣. Ipse perfíciet, confirmábit, solidabítque. 1. *Pet.* 5. * In omni. Glória Patri. * In omni.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
S. Joánnis Chrysóstomi.
Hom. 6. in Epist. ad Eph.

Lectio iv.

(CHristi factus sum ego minister secúndùm donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndùm operatiónem virtútis ejus.).... Tria áttulit ad prædicatiónem Paulus, fervéntem et audácem ánimi alacritátem, et ad quodvis sustinéndum parátam ánimam, et intelligéntiam ac sapiéntiam. Non sufficiébat enim lubénter adire perícula, vita in quam non cadébat reprehénsio, nisi virtútem Spíritûs accepisset... Nunc autem nihil horum habéntes, ómnia vólumus obtinére et efficere; nam, si álterum ab áltero fúerit separátum, réliquum fit inútile. Quid enim juvat esse propénsum ad adeúnda perícula, si sit vita obnóxia reprehensióni?... Quid autem prodest inculpáta vita ei qui sit ignárus et som-

niculósus?... Quid autem prodest útraque hæc tenére, et non esse aptum ad dispensándum, ut sciat quómodò opórteat unicuíque respondére.

℟. Némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum, * In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros. 2. *Cor*. 6.

℣. Servum Dei opórtet esse docíbilem, patiéntem, cum modéstiâ corripiéntem. 2. *Timoth*. 2. * In ómnibus.

Lectio v.

UNdenam dic, quæso, expectámus nos conservatúros esse qui nobis sunt créditi, aut eos acceptúros, qui nondùm accésserint? Nos, inquam, qui voluptátibus et delíciis expléri curámus, et úndique ótium quærimus, et perícula ne in somnis quidem ferre póssumus, imò verò nólumus; à sapiéntiâ autem (Pauli) tantùm ábsumus, quantùm cœlum à terrâ. Proptéreà et qui nostræ subjécti sunt administratióni, multùm distant ab iis qui tunc erant: quandóquidem qui tunc erant discípuli, iis qui nunc sunt magístri erant præstantióres, ut qui in médiis pópulis et tyránnis intercépti, et úndique omnes habéntes hostes, ne parùm quidem attrahebántur et inflectebántur.

℟. Dómine misericórdiæ, * Da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. *Sap*. 9.

℣. Ad faciéndum opus ministérii in domo Dei. 1. *Paralip*. 9. * Da mihi.

Lectio vj.

ITaque péreunt, et interiérunt ómnia. Causa autem est quòd refrigúerit cháritas, quòd qui peccant non castigéntur. Audi Paulum scribéntem ad Timótheum, et dicéntem, (Peccántes coràm ómnibus árgue;) quòd Príncipes ægrótent: nam, dùm caput non est sanum, quómodò benè valens mánserit réliquum corpus?... Innúmera hinc mala nascúntur, nemo est qui córrigat, nemo qui increpet.

℟. Qui fecísti cœlum et terram, * Nunc, Dómine,

ne, da servis tuis cum omni fidúciâ loqui verbum tuum. *Act.* 4.

℣. Ad Sacerdótes mandátum hoc : Lábia Sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus. *Malachiæ.* 2. * Nunc, Dómine. Glória Patri. * Nunc, Dómine.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis : Atténdite à falsis Prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrinsecùs autem sunt lupi rapáces; à frúctibus eórum cognoscétis eos. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

In Psal. 118. Serm. 12.

NOn quicúnque dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum. Non quicúnque dicit mihi : Tuus sum, meus est. Meus planè es, si vocem non redárguat consciéntia, si sermónem tuum ánimus aut ópera tua non réfutent. Ego non nego meum esse eum qui ipse se non neget, aut certè si pro me seípsum sibi ábneget. Nolo habére sérvulum plúribus dóminis serviéntem. Nam quomodò meus est, si mihi dicat verbo : Tuus sum, et opéribus neget, et factis se diábolo adjúdicet et obstríngat?

℟. Serviémus Dómino: * Absit à nobis ut relinquámus Dóminum. *Josue.* 24.

℣. Dóminus zelótes nomen ejus, Deus est æmulátor. *Exod.* 34. * Absit à nobis.

Lectio viij.

NOn est meus quem libído succéndit, quia mea est cástitas. Non est meus quem cura spoliándi minóres exágitat, quia mea intégritas est. Non est meus quem ira móbilis inquiétat, quia mea tranquíllitas est. Non est meus vini crápulâ temuléntus in lucem, ambitióne glóriæ sæculáris ébrius, qui in perículum non possit sóbriæ moderatiónis ser-

váre vestigium. Pax sum ego, litigáre non novi. Quid mihi ad eum de quo véniat diábolus, et dicat: Meus est: nam mihi sua colla curvávit, mea in illo plura repério; nomen sibi tuum víndicat, et meum munus? Non est ergò Christi, nisi qui est aliénus à crímine; non est Christi, nisi qui potest semper se Christi sérvulum demonstráre.

℟. Ergò mundémus nos ab omni inquinaménto carnis et spíritûs, perficiéntes sanctificatiónem * In timóre Dei. 2. *Cor.* 7.

℣. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis. *Ephes.* 2. * In timóre.

Lectio ix.

REctè ergò Prophéta David dixit: Tuus sum, qui semper in Dómino mansit. Et quâ ratióne díxerit, Tuus sum; áddidit: Justificatiónes tuas exquisívi; hoc est, nihil aliórum quæsívi, sed id solum quod tuum est; quasi quædam serta justítiæ; álii domum ad domum, villam ad villam jungunt, quasi soli habitáre possint in terrâ hâc, et eleméntum volunt occupáre communes; álii possessiónem áëris ipsíus vendicáre: mihi in tuis justificatiónibus omne patrimónium est. Néscio possidére nisi quod tui juris est. In tuis elóquiis spiritális mihi cura refúlsit argénti. Mihi pórtio Deus est. Tuus sum ego, quia pars mihi hæreditátis non in auro, non in argénto est, sed in Christo Jesu.

℟. Beáti immaculáti in viâ, qui ámbulant in lege Dómini; * Utinàm dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas! *Psal.* 118.

℣. Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid vólui super terram, Deus cordis mei et pars mea in ætérnum? *Psal.* 72. * Utinàm. Glória Patri. * Utinàm.

Ad Bened. *Ant.*

Non omnis qui dicit

tátem Patris mei, ipse intrábit in regnum cœlórum. *Matth.* 7.

Oratio.

DEus virtútum, cujus est totum quod est óptimum; ínsere pectóribus nostris amórem tui Nóminis, et præsta in nobis religiónis augméntum; ut quæ sunt bona nútrias, ac pietátis stúdio quæ sunt nutríta custódias. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 1. g.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur, et in ignem mittétur. *Matth.* 7.

FERIA SECUNDA.

De Epístolâ ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 4.

OBsecro itaque vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne quâ vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum patiéntiâ, supportántes invicem in charitáte, sollíciti serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in unâ spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum Baptísma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis.

℟. Quæ pacis sunt sectémur, et * Quæ ædificatiónis sunt in ínvicem custodiámus. *Rom.* 14.

℣. Ambulántes in veritáte sicut mandátum accépimus. 2. *Joann.* 5. * Quæ ædificatiónis.

Lectio ij.

UNicuíque autem nostrûm data est grátia secúndùm mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: Ascéndens in altum, captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus. Quòd autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cœlos, ut impléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelístas, álios autem Pastóres et Doctóres, ad consumma-

tiónem Sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem Córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

℟. Ipsum Christum dedit Deus caput suprà omnem Ecclésiam quæ est corpus ipsíus et plenitúdo ejus, qui * Omnia in ómnibus adimplétur. *Eph.* 1.

℣. Ut Ecclésia ædificatiónem accípiat. 1. *Cor.* 14. * Omnia.

Lectio iij.

Ut jam non simus párvuli fluctuántes, et circumferámur omni vento doctrínæ in nequítiâ hóminum, in astútiâ ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in charitáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput, Christus. Ex quo totum corpus compáctum ædificatiónem suî in charitáte.

℟. Habéntes administratiónem, juxtà quod misericórdiam consecúti sumus, * Abdicámus occúlta dedécoris, non adulterántes verbum Dei. 2. *Cor.* 4.

℣. Iniquórum senténtia procul sit à me. *Job.* 22. * Abdicámus. Glória Patri. * Abdicámus.

FERIA TERTIA.

De Epístolâ ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 4.

Hoc ígitur dico et testíficor in Dómino, ut jam non ambulétis sicut et Gentes ámbulant in vanitáte sensûs sui, ténebris obscurátum habéntes intelléctum, alienáti à vitâ Dei, per ignorántiam quæ est in illis, propter cæcitátem cordis ipsórum, qui desperántes

lum audístis, et in ipso edócti estis, sicut est véritas in Jesu, depónere vos secúndùm prístinam conversatiónem, véterem hóminem qui corrúmpitur secúndùm desidéria erróris.

℟. Abjiciámus ergò ópera tenebrárum, et * Induámur arma lucis. *Rom.* 13.

℣. Dei factúra sumus, creáti in Christo Jesu, ut in opéribus bonis ambulémus. *Eph.* 2. * Induámur.

Lectio ij.

R„Enovámini autem spíritu mentis vestræ, et indúite novum hóminem, qui secúndùm Deum creátus est in justítiâ et sanctitáte veritátis. Propter quod deponéntes mendácium loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo, quóniam sumus ínvicem membra. Irascímini, et nolíte peccáre; sol non óccidat super iracúndiam vestram.

℟. Foris * Omnis qui amat et facit mendácium. *Apoc.* 22.

℣. Abominátio est Dómino. *Prov.* 12. * Omnis.

Lectio iij.

NOlíte locum dare diábolo. Qui furabátur, jam non furétur; magis autem labóret, operándo mánibus suis quod bonum est, ut hábeat undè tríbuat necessitátem patiénti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procédat; sed si quis bonus, ad ædificatiónem fídei, ut det grátiam audiéntibus. Et nolíte contristáre Spíritum sanctum Dei, in quo signáti estis in diem redemptiónis.

℟. Inclínet corda nostra ad se Deus, ut * Ambulémus in univérsis viis ejus, et custodiámus mandáta ejus. 3. *Reg.* 8.

℣. Dixi, custódiam vias meas, ut non delínquam in linguâ meâ. *Ps.* 38. * Ambulémus. Glória Patri. * Ambulémus.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 4. et 5.

OMnis amaritúdo, et ira, et indignátio,

et clamor, et blasphémia tollátur à vobis, cum omni malitiâ. Estóte autem ínvicem benígni, misericórdes, donántes ínvicem, sicut et Deus in Christo donávit vobis. Estóte ergò imitatóres Dei, sicut fílii charíssimi, et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis, oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis.

℟. Si sic Deus diléxit nos, * Et nos debémus altérutrum dilígere. 1. *Joan.* 4.

℣. In ómnibus placéntes, non contradicéntes, non fraudántes, sed in ómnibus fidem bonam osténdéntes. *Tit.* 2. * Et nos.

Lectio ij.

FOrnicátio autem, et omnis immundítia, aut avarítia nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitúdo, aut stultilóquium, aut scurrílitas, quæ ad rem non pértinet, sed magis gratiárum áctio. Hoc enim scitóte intelligéntes, quòd omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, quod est idolórum sérvitus, non habet hæreditátem in regno Christi et Dei.

℟. Absit à nobis * Hoc scelus. *Josue.* 22.

℣. Abominátio est Dómini. *Deut.* 7. * Hoc scelus.

Lectio iij.

NEmo vos sedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffidéntiæ. Nolíte ergò éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte: fructus enim lucis est in omni bonitáte et justítiâ et veritáte; probántes quid sit beneplácitum Deo. Et nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum, magis autem redargúite.

℟. Nos qui diéi sumus, * Sóbrii simus, indúti lorícam fídei et charitátis, et gáleam spem salútis.

℣. Sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum

illo vivámus. 1. *Thess.* 5. * Sóbrii. Glória Patri. * Sóbrii.

FERIA QUINTA.

De Epistolâ ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 5.

VIdéte, fratres, quómodò cautè ambulétis, non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes, rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt. Proptéreà nolíte fieri imprudéntes, sed intelligéntes quæ sit volúntas Dei. Et nolíte inebriári vino in quo est luxúria, sed impléмini Spíritu sancto, loquéntes vobismetípsis in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, cantántes et psalléntes in córdibus vestris Dómino, grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo et Patri: subjécti invicem in timóre Christi.

℟. Inclínet corda nostra ad se Deus, * Ut ambulémus in univérsis viis ejus, et custodiámus mandáta ejus. 3. *Reg.* 8.

℣. Súfficit grátia. 2. *Cor.* 12. * Ut ambulémus.

Lectio ij. Cap. 6.

FIlii, obedíte paréntibus vestris in Dómino: hoc enim justum est. Honóra patrem tuum et matrem tuam, quod est mandátum primum in promissióne; ut benè sit tibi, et sis longævus super terram. Et vos, patres, nolíte ad iracúndiam provocáre fílios vestros, sed educáte illos in disciplínâ et correptióne Dómini.

℟. Lex sancta, et * Mandátum sanctum, et justum, et bonum. *Rom.* 7.

℣. Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes in ætérnum propter retributiónem. *Ps.* 118. * Mandátum.

Lectio iij.

SErvi, obedíte dóminis carnálibus cum timóre et tremóre, in simplicitáte cordis vestri, sicut Christo; non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes, sed ut servi Christi, faciéntes voluntátem Dei ex ánimo, cum

bonâ voluntáte serviéntes, sicut Dómino, et non homínibus; sciéntes quóniam unusquisque, quodcúnque fécerit bonum, hoc recipiet à Dómino, sive servus, sive liber. Et vos, dómini, éadem fácite illis, remitténtes minas; sciéntes quia et illórum et vester Dóminus est in cœlis, et personárum accéptio non est apud eum.

℟. Jurávi et * Státui custodire judícia justítiæ tuæ, Dómine. *Ps.* 118.

℣. Non enim injústus Deus, ut obliviscátur óperis et dilectiónis. *Heb.* 6. * Státui. Glória Patri. * Státui.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 6.

DE cætero, fratres, confortámini in Dómino, et in poténtiâ virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsùs insídias diáboli : quóniam non est nobis colluctátio advérsùs carnem et sánguinem, sed advérsùs Príncipes et Potestátes, advérsùs mundi rectóres tenebrárum harum, contrà spirituália nequítiæ in cœléstibus. Proptéreà accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare.

℟. Dóminus petra mea et robur meum; * Deus fortis, scutum meum, cornu salútis meæ, elevátor meus, refúgium meum. 2. *Reg.* 22.

℣. Si exúrgat advérsùm me prælium, in hoc ego sperábo. *Psalm.* 26. * Deus fortis, scutum meum, cornu salútis meæ, elevátor meus, refúgium meum.

Lectio ij.

STate ergò succíncti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis. In ómnibus suméntes scutum fídei, in quo

quæ * Vincit mundum, fides nostra. 1. *Joan.* 5.

℣. Credo, Dómine, ádjuva incredulitátem meam. *Marc.* 9. *Vincit mundum, fides nostra.

Lectio iij.

PEr omnem oratiónem et obsecratiónem, orántes omni témpore in spíritu, et in ipso vigilántes in omni instántiâ et obsecratióne pro ómnibus Sanctis; et pro me, ut detur mihi sermo in apertióne oris mei cum fidúciâ, notum fácere mystérium Evangélii, pro quo legatióne fungor in caténâ, ita ut in ipso áudeam, prout opórtet me loqui... Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne. Amen.

℟. Dómine, * Nunc da servis tuis cum omni fidúciâ loqui verbum tuum: *Act.* 4.

℣. Quis sciet nisi tu déderis sapiéntiam, et míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis? *Sap.* 9. * Nunc da. Glória Patri. * Nunc da.

SABBATO.

Incipit Epistola beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus et Timótheus, servi Jesu Christi, ómnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philíppis, cum Episcopis et Diacónibus, grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memóriâ vestrî, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens, super communicatióne vestrâ, in Evangélio Christi à primâ die usque nunc. Confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis, eò quòd hábeam vos in corde, et in vínculis meis, et in defensióne, et confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse.

℟. Quam gratiárum actiónem póssumus Deo retribúere in omni gáudio, quo * Gaudémus ante Deum nostrum. *1. Thess.* 3.

℣. Evangélium prædicátum est in univérsâ creatúrâ. *Coloss.* 1. * Gaudémus.

Lectio ij.

TEstis enim mihi est Deus quómodò cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi; et hoc oro ut cháritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntiâ, et in omni sensu, ut probétis potióra, ut sitis sincéri et sine offénsâ in diem Christi, repléti fructu justitiæ per Jesum Christum, in glóriam et laudem Dei.

℟. Qui misericórdiam habet, * Docet et erúdit quasi Pastor gregem suum. *Eccli.* 18.

℣. In sollicitúdine pósitus est semper propter opus suum. *Eccli.* 38. * Docet.

Lectio iij.

SCire autem vos volo, fratres, quia quæ circà me sunt, magis ad profectum venérunt Evangélii, ita ut víncula mea manifésta fíerent in Christo in omni Prætório, et in cæteris ómnibus; et plures è frátribus in Dómino confidéntes vínculis meis abundántiùs audérent sine timóre verbum Dei loqui... Quidam autem ex contentióne Christum annúntiant, non sincérè existimántes pressúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim? Dùm omni modo, sive per occasiónem, sive per veritátem Christus annuntiétur, in hoc gáudeo, sed et gaudébo.

℟. Qui à semetipso lóquitur, glóriam própriam quærit: * Qui quærit glóriam ejus qui misit eum, injustítia in illo non est. *Joan.* 7.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113. * Qui quærit. Glória Patri. * Qui quærit.

Ad Magn. *Ant.* 4. f.

Omnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. *Philip.* 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA VIII.
POST PENTECOSTEN.
IN I. NOCTURNO.
De Epistolâ ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 1.

SCio quia hoc mihi provéniet ad salútem per vestram oratiónem et subministratiónem Spíritûs Jesu Christi, secùndùm expectatiónem et spem meam, quia in nullo confúndar, sed in omni fidúciâ sicut semper, et nunc magnificábitur Christus in córpore meô, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum. Quòd si vívere in carne, hic mihi fructus óperis est, et quid éligam ignóro.

℟. Expécto, Dómine, * Donec véniat immutátio mea. *Job.* 14.

℣. Verúmtamen non mea volúntas; sed tua fiat. *Luc.* 22. * Donec.

Lectio ij.

COárctor autem è duóbus, desidérium habens dissólvi et esse cum Christo, multò magis mélius: permanére autem in carne, necessárium propter vos. Et hoc confídens scio, quia manébo et permanébo ómnibus vobis, ad proféctum vestrum et gáudium fídei, ut gratulátio vestra abúndet in Christo Jesu in me per meum advéntum iterum ad vos.

℟. Verè * In hoc cháritas Dei perfécta est. 1. *Joan.* 2.

℣. Majórem hâc dilectiónem nemo habet. *Joan.* 15. * In hoc.

Lectio iij.

TAntùm dignè Evangélio Christi conversámini, ut sive cùm vénero et vídero vos, sive absens, áudiam de vobis quia statis in uno spíritu unánimes, collaborántes fídei Evangélii; et in nullo terreámini ab adversáriis: quæ illis est causa perditiónis, vobis autem salútis, et hoc à Deo; quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini, idem certámen ha-

béntes, quale et vidístis in me, et nunc audístis de me.

℟. Igitur * Exeámus ad Christum extrà castra, impropérium ejus portántes. *Heb.* 13.

℣. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam. *Matth.* 5. * Exeámus ad Christum. Glória Patri. * Exeámus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
Sancti Joánnis Chrysóst.
Hom. 3. *in cap.* 1. *Epist. ad Philippenses.*

Lectio iv.

CUr mors vobis mœrórem affert? Multò sátiùs erat jam pridem decessisse: dissólvi enim, inquit Paulus, et esse cùm Christo, multò mélius... Bonum, inquit, est dissólvi et esse cum Christo. Nam et ipsa mors in número rerum indifferéntium est, nam non mors malum est: sed post Christo esse, id bonum est.

℟. Quandò véniam, * Quandò apparébo ante fáciem Dei? *Psal* 41.

℣. Quis mihi det ut véniat petítio mea, et quod expécto tríbuat mihi Deus? *Job.* 6. * Quandò apparébo.

Lectio v.

QUæ post mortem, ea demùm sunt, vel bona, vel mala: ígitur non generátim eos qui moriúntur lugeámus, neque de vivéntibus generátim gaudeámus. Sed quid? Lugeámus peccatóres, non solùm moriéntes, sed étiam vivéntes. De justis gaudeámus, non solùm dùm vivunt, verùm étiam postquàm mórtui fúerint. Nam illi quidem, étiam dùm vivunt, mórtui sunt; hi verò, étiam cùm mórtui fúerint, vivunt. Illi étiam, dùm hìc sunt, ómnium elícere misericórdiam debent, quóniam Deum offéndunt; hi verò illùc étiam translàti beáti sunt, quóniam

labóribus suis : ópera enim illórum sequúntur illos. *Apoc.* 14.

℣. Non sic ímpii, non sic; ídeò non resúrgent peccatóres in concílio justórum. *Psal.* 1. * Qui in Dómino.

Lectio vj.

PEccatóres ubi sunt? procul à Rege sunt, proptéreà lácrymis digni. Justi autem, sive hîc, sive ibi, cum Rege sunt, atque ibi quidem multò magis ac própiùs, non per spéciem, non per fidem, sed fácie, inquit, ad fáciem. Non ígitur omnes plorémus mórtuos, sed eos qui in peccátis. Hi laméntis digni, hi ejulátu, hi lácrymis.. Dónec enim hîc erant, magna fórsitan erat spes fore ut converteréntur, ut melióres eváderent; at si in inférnum abíerint, ubi nihil lucri ex pœniténtiâ reportári potest... quómodò non laméntis digni? Lugeámus eos qui hoc modo decédunt, non id impédio, lugeámus.

℟. (Non táceant * Oculi mei,) dedúcant... lácrymam per noctem et diem. *Jer.* 14.

℣. Mors peccatórum péssima. *Ps.* 33. * Oculi mei. Glória Patri. * Oculi mei.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam erat dives, qui habébat víllicum; et hic diffamátus est apud illum, quasi dissipásset bona ipsíus. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi. *Serm.* 35. *de Verb. Dom. cap.* 4.

MAmmóna iniquitátis, divítiæ sunt sæculi omnes, undecúnque sint... Quid est, divítiæ sunt iniquitátis? Pecúnia est quam nómine divitiárum appéllat iníquitas. Si enim veras divítias quæris, áliæ sunt. Tálibus Job nudus abundábat, quandò in Deum cor plenum habébat, et laudes Deo, pér-

ditis ómnibus rebus, tanquam gemmas pretiosíssimas proferébat..... Ipsæ sunt veræ divítiæ. Istæ autem ab iniquitáte vocántur divítiæ. Habes illas, non reprehéndo; hæréditas venit, pater tuus dives fuit, et dimísit tibi: honéstè acquisísti; de justis labóribus plenam domum habes, non reprehéndo. Tamen étiam sic, noli illas dícere divítias: nam si dicis illas divítias, amábis illas; et, si amáveris illas, períbis cum illis. Perde, ne péreas; dona, ut acquíras; sémina, ut metas.

℟. Ego in corde meo * Dixi: Vadam, et áffluam delíciis, et fruar bonis, et vidi quòd hoc quoque esset vánitas. *Eccle.* 2.

℣. Divítias nihil esse duxi in comparatióne sapiéntiæ. *Sap.* 7. * Dixi.

Lectio viij.

HAs divítias noli appelláre, quia veræ quas servum tuum times, ne, te occíso, áuferat et fúgiat; si veræ divítiæ essent, securitátem tibi darent. Ergò veræ divítiæ sunt illæ, quas, cùm habuérimus, pérdere non póssumus. Et ne fortè propter illas furem tímeas, ibi erunt ubi nullus áuferat. Audi Dóminum tuum: (Thesaurizáte vobis thesáuros in cœlo, quo fur non accédat.) Tunc erunt divítiæ, quandò eas migráveris. Quándiù in terrâ sunt, divítiæ non sunt.

℟. Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid vólui super terram? * Deus cordis mei et pars mea Deus in ætérnum! *Ps.* 72.

℣. Ubi enim est thesáurus, ibi est cor. *Mat.* 6. * Deus cordis.

Lectio ix.

BEátum dixérunt pópulum cui hæc sunt; sed qui dixérunt? (Quorum os locútum est va-

mus viam, et vidémus amœníssimos et úberes fundos, et dícimus: Cujus est fundus? Asséritur, Illíus. Et nos dícimus: Beátus homo; vanitátem lóquimur. Beátus cujus est illa domus, beátus cujus est ille fundus, beátus cujus est illa pecúnia. Tolle vanitátem, si vis audíre veritátem: (Beátus cujus Dóminus Deus ejus). O Dómine! nólumus de auro, neque de argénto, nec de fundis, nólumus de terrénis istis et vaníssimis, et cadúcæ vitæ transitóriis. Non loquátur os nostrum vanitátem. Fac nos beátos de te, quia non perdémus te. Cùm tenuérimus te, nec te perdémus, nec nos períbimus.

℟. Dóminus pars hæreditátis meæ, funes cecidérunt mihi in præclâris: étenim * Hæréditas mea præclára est mihi. *Ps.* 15.

℣. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! *Ps.* 119. * Hæréditas. Glória. * Hæréditas.

Ad Bened. *Ant.*

Quid hoc áudio de te? Redde rationem villicatiónis tuæ, jam enim non póteris villicáre. *Luc.* 16.

Oratio.

Largíre nobis, quæsumus, Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius et agéndi; ut qui sine te esse non póssumus, secúndùm te vívere valeámus. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 5. c.

Ait víllicus intrà se: Scio quid fáciam, ut, cùm amótus fúero à villicatióne, recípiant me in domos suas. Et laudávit Dóminus víllicum iniquitátis, quia prudénter fecísset. *Luc.* 16.

FERIA SECUNDA.

De Epístolâ ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 2.

Si qua ergò consolátio in Christo, si quod solátium charitátis, si qua societas spiritûs, si qua víscera miseratiónis, impléte gáudium meum, ut idem sapiátis, eámdem charitátem habéntes, uná-

nimes, idipsum sentiéntes. Nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam, sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed ea quæ aliórum.

℟. Quæ desúrsùm est * Sapiéntia est pacífica, modésta, bonis consénentiens. *Jacob.* 3.

℣. Nemo quod suum est, quærat, sed quod altérius. 1. *Corinth.* 10. * Sapiéntia.

Lectio ij.

HOc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cùm in formâ Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nómi-

trium, et infernórum: et omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glóriâ est Dei Patris.

℟. Vílior fiam plus quàm factus sum, et * Ero húmilis in óculis meis. 2. *Reg.* 6.

℣. Christus passus est pro nobis, relínquens exémplum. 1. *Pet.* 2. * Ero húmilis.

Lectio iij.

ITaque, charíssimi mei, sicut semper obedístis, non ut in præséntiâ meî tantùm, sed multò magis nunc in abséntiâ meâ cum metu et tremóre vestram salútem operámini. Deus est enim, qui operátur in vobis et velle et perfícere, pro bonâ voluntáte. Omnia autem fácite sine murmuratiónibus, et hæsitatiónibus, ut sitis sine querélâ, et símplices filii Dei sine reprehensióne, in médio natiónis pravæ et pervérsæ, inter quos lucétis, sicut luminária in mundo, verbum vitæ continéntes ad glóriam

neque in vácuum laborávi. Sed et si ímmolor suprà sacrificium, et obséquium fidei vestræ, et gáudeo et congrátulor ómnibus vobis. Idípsum autem et vos gaudéte, et congratulámini mihi.

℟. Scio, Dómine, quia * Non est hóminis via ejus, nec viri est ut ámbulet et dírigat gressus suos. *Jerem.* 10.

℣. Non voléntis neque curréntis, sed miseréntis est Dei. *Rom.* 9. * Non est. Glória Patri. * Non est.

FERIA TERTIA.

De Epístolâ ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 3.

EXístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu, quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus; si quómodò occúrram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis.

℟. Plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes, * Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus. 1. *Cor.* 1.

℣. Non judicávi me scire áliquid nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. 1. *Cor.* 2. * Quia quod.

Lectio ij.

FRatres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt oblivíscens, ad ea verò quæ sunt prióra exténdens meípsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicúmque ergò perfécti sumus, hoc sentiámus, et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervéni-

mus, ut idem sapiámus, et in eâdem permaneámus régulâ.

℟. Exeámus igitur ad Christum : * Non enim habémus hîc manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. *Heb.* 13.

℣. Et ideò conténdimus, sive abséntes, sive præséntes, placére illi. 2. *Cor.* 5. * Non enim.

Lectio iij

IMitatóres mei estóte, fratres, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpè dicébam vobis, nunc autem et flens dico, inimícos crucis Christi, quorum finis intéritus, quorum Deus venter est, et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est, undè étiam Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secúndùm operatiónem quâ étiam possit subjícere sibi ómnia.

℟. Scio enim quòd * De terrâ surrectúrus sum; repósita est hæc spes mea in sinu meo. *Job.* 16.

℣. Audéntes igitur, bonam voluntátem habémus peregrinári à córpore, et præséntes esse ad Dóminum. 2. *Cor.* 5. * De terrâ. Glória Patri. * De terrâ.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 4.

ITaque, fratres mei charíssimi, et desideratíssimi, gáudium meum et coróna mea, sic state in Dómino, charíssimi... Gaudéte in Dómino semper, iterùm dico, gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus, Dóminus propè est. Nihil sollíciti sitis, sed in omni oratióne et obsecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intelligéntias

vestras in Christo Jesu.

℟. Tu es, Deus meus, spes mea ab ubéribus matris meæ; * In te projéctus sum ex útero. *Ps.* 21.

℣. (Dómine,) non confúndar in ætérnum. *Ps.* 30. * In te projéctus sum.

Lectio ij.

De cætero, fratres, quæcúnque sunt vera, quæcúnque pudíca, quæcúnque justa, quæcúnque sancta, quæcúnque amabilia, quæcúnque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte. Quæ et didicístis, et accepístis, et audístis, et vidístis in me, hæc ágite, et Deus pacis erit vobíscum.

℟. Incola ego sum in terrâ, concupívit ánima mea, (Dómine,) desideráre justificatiónes tuas * In omni témpore.

℣. Pórtio mea, dixi, custodire legem tuam. *Ps.* 118. * In omni.

Lectio iij.

Gavísus sum autem in Dómino veheménter, quóniam tandem aliquándò refloruístis pro me sentíre, sicut et sentiebátis. Occupáti autem erátis. Non quasi propter penúriam dico, ego enim dídici, in quibus sum sufficiens esse. Scio et humiliári, scio et abundáre. Ubique et in ómnibus institútus sum, et satiári, et esuríre, et abundáre, et penúriam pati. Omnia possum in eo qui me confórtat. Verúmtamen benè fecístis communicántes tribulatióni meæ.

℟. Parátum cor meum, Deus, * Parátum cor meum. *Ps.* 56.

℣. Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu. *Ps.* 30. * Parátum cor. Glória Patri. * Parátum cor.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colosséuses.

Lectio j. Cap. 1.

Paulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Timótheus frater, eis qui sunt Co-

lóssis, sanctis, et fidélibus frátribus in Christo Jesu. Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro et Dómino Jesu Christo. Grátias ágimus Deo et Patri Dómini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orántes, audiéntes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectiónem quam habétis in sanctos omnes, propter spem quæ repósita est vobis in cœlis, quam audístis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos, sicut et in univérso mundo est, et fructíficat, et crescit sicut in vobis, ex eâ die quâ audístis, et cognovístis grátiam Dei in veritáte.

℟. Ipse * Dóminus noster Jesus Christus, qui diléxit nos, et dedit spem bonam in grátiâ, exhortétur corda et confírmet. 2. *Thess.* 2.

℣. Sermo Dei currat et clarificétur. 2. *Thess.* 3. * Dóminus.

Lectio ii

[Lectio ii continued] intelléctu spirituáli, ut ambulétis dignè, Deo per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes, et crescéntes in sciéntiâ Dei, in omni virtúte confortáti secúndùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntiâ, et longanimitáte cum gáudio, grátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctórum in lúmine.

℟. Qui misericórdiam habet, * Docet et erúdit quasi Pastor gregem suum. *Eccli.* 18.

℣. In sollicitúdine pósitus est semper propter opus suum. *Eccli.* 38. * Docet et erúdit.

Lectio iij.

QUi erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per Sánguinem ejus, remissiónem peccatórum; qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis

Principátus, sive Potestátes. Omnia per ipsum et in ipso creáta sunt, et ipse est ante omnes, et ómnia in ipso constant.

℟. Benedíctus * Deus patrum nostrórum, laudábilis; et gloriósus, et superexaltátus in sæcula. *Dan.* 3.

℣. Secúndùm beneplácitum ejus propósuit instauráre ómnia in Christo quæ in cœlis et quæ in terrâ sunt. *Ephes.* 1. * Deus patrum. Glória Patri. * Deus patrum.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ ad Colossénses.

Lectio j. Cap. 1.

CHristus est caput córporis Ecclésiæ, qui est princípium, primogénitus ex mórtuis, ut sit in ómnibus ipse primátum tenens. Quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, et per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per Sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Et vos, cùm essétis aliquándò alienáti et inimíci sensu in opéribus malis, nunc autem reconciliávit in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos sanctos, et immaculátos, et irreprehensíbiles coràm ipso; si tamen permanétis in fide fundáti, et stábiles, et immóbiles à spe Evangélii, quod audístis, quod prædicátum est in univérsâ creatúrâ quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus miníster.

℟. Quicúnque ergò perfécti sumus, hoc sentiámus, ad quod pervénimus, ut * Idem sapiámus, et in eâdem permaneámus régulâ. *Philip.* 3.

℣. Nunc justificáti in Sánguine Christi. *Rom.* 5. * Idem sapiámus.

Lectio ij.

NUnc gáudeo in passiónibus pro vobis, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne meâ, pro córpore ejus, quod est Ecclésia, cujus factus sum ego miníster, secúndùm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut im-

pleam verbum Dei: mystérium quod abscónditum fuit à sæculis et generatiónibus, nunc autem manifestátum est Sanctis ejus, quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacraménti hujus in Géntibus, quod est Christus, in vobis spes glóriæ, quem nos annuntiámus, corripiéntes omnem hóminem, et docéntes omnem hóminem in omni sapiéntiâ, ut exhibeámus omnem hóminem perféctum in Christo Jesu, in quo et labóro, certándo secúndùm operatiónem ejus, quam operátur in me in virtúte.

℟. Maniféstè magnum est * Pietátis sacraméntum, quod manifestátum est in carne, prædicátum est Géntibus. 1. *Timoth.* 3.

℣. Vide ergò bonitátem Dei. *Roman.* 11. * Pietátis.

Lectio iij. Cap. 2.

VIdéte ne quis vos decípiat per philosóphiam et inánem falláciam secúndùm traditiónem hóminum, secúndùm eleménta mundi, et non secúndùm Christum, quia in ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter; et estis in illo repléti, qui est caput omnis Principátûs et Potestátis... Consepúlti estis in baptísmo, in quo et resurrexístis per fidem operatiónis Dei qui suscitávit illum à mórtuis.

℟. Dómine...... * Complácui in veritáte tuâ, odívi ecclésiam malignántium. *Ps.* 25.

℣. Quorum senténtia procul sit à me. *Job.* 22. * Complácui. Glória Patri. * Complácui.

SABBATO.

De Epístolâ ad Colosséneses.

Lectio j. Cap. 2.

UT vos, cùm mórtui essétis in delictis..... convivificávit cum illo, donans vobis ómnia delícta, delens quod advérsùs nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio, affigens illud cruci; et ex-

pólians Principátus, et Potestátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphans illos in semetípso.

℟. Comméndat charitátem suam Deus in nobis, * Quóniam, cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. *Rom.* 5.

℣. Si quis non amat Dóminum nostrum Jesum Christum, sit anathéma. 1. *Cor.* 16. * Quóniam.

Lectio ij. Cap. 3.

IGitur si consurrexístis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in déxterâ Dei sedens; quæ sursùm sunt sápite, non quæ super terram. Mórtui enim estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glóriâ. Mortificáte ergò membra vestra quæ sunt super terram, fornicatiónem, immundítiam, libídinem, concupiscéntiam malam et avarítiam, quæ est simulacrórum sérvitus; propter quæ venit ira Dei super fílios incredulitátis, in quibus et vos ambulástis aliquándò, cùm vivérétis in illis.

℟. In hoc ingemíscimus * Habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes. 2. *Cor.* 5.

℣. Semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. 2. *Cor.* 4. * Habitatiónem.

Lectio iij.

NUnc autem depónite et vos ómnia, iram, indignatiónem, malítiam, blasphémiam, turpem sermónem de ore vestro. Nolíte mentíri ínvicem, expoliántes vos véterem hóminem cum áctibus suis, et induéntes novum, eum qui renovátur in agnitiónem, secúndùm imáginem ejus qui creávit illum.

℟. Vetus homo noster simul (cum Christo) crucifíxus est; ut * Destruátur corpus peccáti, et ultrà non serviámus peccáto.

℣. Simul étiam vivémus cum Christo. *Rom.*

6. * Destruátur. Glória Patri. * Destruátur.

Ad Magn. *Ant.* 7. ç.

Sicut accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti et superædificáti in ipso, et confirmáti fide, abundántes in illo in gratiárum actióne. *Coloss.* 2.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA IX.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Epístolâ ad Colossénses.

Lectio j. Cap. 3.

INdúite vos, sicut elécti Dei, sancti, et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam, supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis, si quis advérsùs áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia Christi exúltet in córdibus vestris, in quâ et vocáti estis in uno córpore, et grati estóte.

℟. Beáti misericórdes, quóniam * Ipsi misericórdiam consequéntur. *Matth.* 5.

℣. Animæ dolósæ errant in peccátis; justi autem misericórdes sunt et miseréntur. *Prov.* 13. * Ipsi.

Lectio ij.

VErbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntiâ docéntes et commonéntes vosmetípsos, psalmis, hymnis, et cánticis spirituálibus, in grátiâ cantántes in córdibus vestris Deo. Omne quodcúnque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum.

℟. Mórtuus est pro nobis Christus, ut * Sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum illo vivámus. 1. *Thessal.* 5.

℣. Adhæreat lingua mea

Lectio iij

FIlii, obedite paréntibus per ómnia: hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre fílios vestros, ut non pusillo ánimo fiant. Servi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes, sed in simplicitáte cordis timéntes Deum. Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini, sicut Dómino, et non homínibus; sciéntes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníquè gessit, et non est personárum accéptio apud Deum. Dómini, quod justum est et æquum, servis præstáte, sciéntes quòd et vos Dóminum habétis in cœlo.

℟. Nihil mélius est quàm timor Dei, et * Nihil dúlcius quàm respícere in mandátis Dómini. *Eccli.* 23.

℣. Potens est dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus. *Act.* 20. * Nihil dúlcius. Glória Patri. * Nihil.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
S. Joánnis Chrysóstomi.
Hom. 1. *in Epist. ad Coloss.*

Lectio iv.

INdúite vos, sicut elécti Dei.... víscera misericórdiæ... supportántes ínvicem, et donántes vobísmetipsis.... Hæc est admirábilis, firmaque et stábilis diléctio: nam áliæ quidem solum habent nomen dilectiónis, diléctio autem spirituális est ómnium supréma véluti quædam regína quæ in suos dominátum óbtinet. Nihil enim terréstre eam parit... non consuetúdo, non benefícium, non natúra, non aurum; sed à súperis descéndit è cœlo. Et quid miráris, si benefício non eget, ut consístat; cùm ne si mali quidem quidquam accípiat, evertátur?

℟. Qui non díligit, non novit Deum; * Quóniam Deus cháritas est. 1. *Joan.* 4.

℣. Si déderit homo omnem substántiam pro dilectióne, quasi nihil despiciet eam. *Cant.* 8. * Quóniam.

Lectio v.

QUòd autem hæc sit major, audi Paulum dicéntem: Optárem ego ipse esse anathéma à Christo pro frátribus meis. Quis hoc optáverit? esse in malis? Et rursùs: Resólvi et esse cum Christo, longè est mélius; manére autem in carne est magis necessárium propter vos. Quænam mater hæc voluísset dícere, ut sua despíceret? Et rursùs audi eum dicéntem: Orbáti enim à vobis ad tempus horæ, aspéctu, non corde... Ad illos qui lapídibus appetébant ábiit eos benefício affectúrus.

℟. Verè * In hoc chéritas Dei perfécta est. 1. *Joan.* 2.

℣. Majórem hâc dilectiónem nemo habet. *Joan.* 15. * In hoc.

Lectio vj.

NIhil est enim, nihil æquè válidum ut vinculum spiritûs: qui enim quòd sit benefício affectus, evásit amícus; si hoc perpétuò non fiat, erit inimícus. Qui ex consuetúdine erat indivúlsus, interrúptâ consuetúdine extínxit amicítiam..... In spíritu autem, ejúsmodi nihil est: nullo enim horum sólvitur, quóniam iisdem non constat. Neque tempus, neque vitæ longitúdo, nec malùm pati vel audíre, non ira, non contumélia, neque quidquam álind invádit; neque potest eam dissólvere... Has persequámur, et quærámus amicítias quæ sunt ex spíritu, sunt enim fortes, solútu diffíciles, non eas quæ ex mensis oriúntur.

℟. Qui secúndùm carnem sunt, quæ carnis sunt sápiunt; * Qui secúndùm spíritum sunt, quæ sunt spirítûs séntiunt. *Rom.* 8.

℣. Amíco fidéli nulla est comparátio, et non est digna ponderátio auri et argénti, contrà bonitátem fídei illíus. *Eccli.* 6. * Qui secúndùm. Glória Patri. * Qui secúndùm.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore, Ut appropinquávit Jesus Jerúsalem, videns civitátem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovísses et tu, et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Et réliqua.

Homília
Sancti Gregórii Papæ.
Hom. 39. *in Evang.*

BEnè peritúræ ánimæ senténtia quæ súbditur, cónvenit: (Et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis.) Suam hìc diem habet ánima pervérsa, cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt, quia dùm rebus temporálibus lætátur, dùm honóribus extóllitur, dùm in carnis voluptáte resólvitur, dùm nullâ ventúræ pœnæ formídine terrétur, pacem habet, in die suâ...... Undè ei dícitur: (Nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis.) Pervérsa quippè ánima, quia prævidére futúra réfugit, quæ præséntem lætítiam pertúrbant; dùmque in præséntis vitæ oblectatiónibus se déserit, quid áliud quàm clausis óculis ad ignem vadit?

℟. Quia pátiens Dóminus est, * In hoc ipso pœniteámus, et indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus. *Judith.* 8.

℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. 2. *Cor.* 6. * In hoc.

Lectio viij.

UNdè benè scriptum est: (In die bonórum, ne ímmemor sis malórum.) Et indè per Paulum dícitur: (Qui gaudent, tanquam non gaudéntes sint.) Quia et si qua est témporis præséntis, ita est agénda lætítia, ut nunquàm amaritúdo sequéntis judícii recédat à memóriâ, quátenùs dùm mens pávida extrémæ ultiónis timóre transfígitur, quantùm nunc præsens lætítia, tantùm post ira súbsequens temperétur... Pen-

sáre quotidiè debémus quod ex ejúsdem voce nostri Redemptóris audívimus : (Et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi.) Dùm enim districtus Judex sústinet, et adhuc manum non éxerit in percussiónem, dùm à retributióne ultiónis últimæ esse quædam témporis secúritas vidétur, debémus pensáre malum quod séquitur, et quæ commísimus peccáta indesinénter aspícere, aspiciéntes flere, et flentes abstérgere.

℟. Confige timóre tuo carnes meas, * (Dómine:) à judíciis tuis tímui. *Ps.* 118.

℣. Iniquitátem meam ego cognósco, et peccátum meum contrà me est semper. *Ps.* 50. * Dómine.

Lectio ix.

NUlla nos prosperitátis transitóriæ lætítia dissólvat, nec mentis nostræ óculos ea quæ sunt transitória óbstruant.... Cogitándum valdè est quantùm nobis erit terríbilis hora nostræ resolutiónis, qui pavor mentis, quanta nunc ómnium malórum memória, quæ oblívio transáctæ felicitátis, quæ formído et considerátio Júdicis. Quid ergò esse nobis de præséntibus ad delectatiónem debet, quandò cunctis simul transeúntibus, non valet transíre quod ímminet? quandò et hoc fúnditùs finítur quod diligitur, et illud incípitur, ubi dolor nunquàm finítur?

℟. Magnus enim * Dies Dómini, terríbilis valdè, et quis sustinébit eum? *Joël.* 2

℣. Quantus ergò sum ego, ut respóndeam Deo, et loquar verbis meis cum eo? *Job.* 9. * Dies Dómini. Glória Patri. * Dies Dómini.

Ad Bened. *Ant.*

Cœpit Jesus ejícere vendéntes in templo, et eméntes, dicens illis: Scriptum est quia domus mea domus oratiónis est; vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. *Luc.* 19.

Oratio.

PAteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium,

et ut peténtibus desiderâta concédas, fac eos quæ tibi sunt plácita, postuláre. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 2. *D.*

Erat Jesus docens quotìdiè in templo, et non inveniébant quid fácerent illi: omnis enim pópulus suspénsus erat, áudiens illum. *Luc.* 19.

FERIA SECUNDA.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, et Silvánus, et Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre, et Dómino Jesu Christo. Grátia vobis et pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestrî faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fidei vestræ, et labóris, et charitátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi vestram; quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm, sed et in virtúte et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multâ, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Qui dixit de ténebris lucem splendéscere, * Ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei. 2. *Cor.* 4.

℣. In abundántiâ benedictiónis Evangélii Christi. *Rom.* 15. * Ipse illúxit.

Lectio ij.

ET vos, imitatóres nostri facti estis et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multâ cum gáudio Spíritûs sancti, ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus in Macedóniâ et in Acháïâ. A vobis enim diffamátus est sermo Dei, non solùm in Macedóniâ et in Achâïâ, sed et in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim

dò convérsi estis ad Deum à simulácris, servíre Deo vivo et vero, et expectáre Fílium ejus de cœlis, quem suscitávit ex mórtuis, Jesum qui erípuit nos ab irâ ventúrâ.

℟. Itaque * Quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus. *Rom.* 14.

℣. Ut sermo Dei currat et clarificétur. 2. *Thes.* 3. * Quæ.

Lectio iij.

NAm ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit, sed antè passi, et contuméliis affécti, sicut scitis in Philíppis, fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multâ sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítiâ, neque in dolo, sed sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium: ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra.

℟. Non abscóndam sacraménta Dei, et * Non præteríbo veritátem. *Sap.* 6.

℣. Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem. *Galat.* 1. * Non. Glória Patri, etc. * Non.

FERIA TERTIA.

De Epístolâ primâ ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 2.

NEque enim aliquándò fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis, neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est, nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis. Cùm possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli in médio vestrûm, tanquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpidè volebámus trádere vobis, non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam charíssimi nobis facti estis.

℟. Propter opus Christi * Usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam. *Philip.* 2.

℣. Ad dandam sciéntiam salútis. *Luc.* 1. * Usque.

Lectio ij.

MEmores enim estis, fratres, labóris nostri et fatigatiónis: nocte ac die operántes, ne quem vestrûm gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis, et Deus, quàm sanctè et justè et sine querélâ vobis, qui credidístis, fúimus; sicut scitis, quáliter unumquémque vestrûm, (sicut pater filios suos) deprecántes vos et consolántes, testificáti sumus, ut ambularétis dignè Deo, qui vocávit vos in suum regnum, et glóriam. Ideò et nos grátias ágimus Deo sine intermissióne, quóniam, cùm accepissétis à nobis verbum audítûs Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed sicut est verè, verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidístis.

℟. Hi sunt qui * Verbum rétinent et fructum áfferunt in patiéntiâ.

℣. In corde bono et óptimo audiéntes. *Luc.* 8. * Verbum.

Lectio iij.

VOs enim imitatóres facti estis, fratres, Ecclesiárum Dei quæ sunt in Judæâ in Christo Jesu, quia éadem passi estis et vos à contribúlibus vestris, sicut et ipsi à Judæis, qui et Dóminum occidérunt Jesum, et Prophétas, et nos persecúti sunt, et Deo non placent, et ómnibus homínibus adversántur; prohibéntes nos géntibus loqui ut salvæ fiant, ut ímpleant peccáta sua semper: pervénit enim ira Dei super illos usque in finem. Nos autem, fratres, desoláti à vobis ad tempus horæ, aspéctu, non corde, abundántiùs festinávimus fáciem vestram vidére cum multo desidério: quóniam volúimus veníre ad vos: ego quidem Paulus, et semel, et íterùm; sed impedívit nos Sátanas.

℟. Sic * Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. *Judith.* 8.

℣. Tribulatiónes me manent, sed nihil horum

véreor. *Act.* 20. * Omnes. Glória Patri. * Omnes.

FERIA QUARTA.

De Epistolâ primâ ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 2. *et* 3.

QUæ est nostra spes, aut gáudium, aut coróna glóriæ? Nonne vos ante Dóminum Jesum Christum estis in advéntu ejus? Vos enim estis glória nostra, et gáudium. Propter quod non sustinéntes ámpliùs, plácuit nobis remanére Athénis, sólis. Et mísimus Timótheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangélio Christi ad confirmándos vos, et exhortándos pro fide vestrâ, ut nemo moveátur in tribulatiónibus istis: ipsi enim scitis quòd in hoc pósiti sumus.

minibus. 2. *Thessal.* 3. * Deus.

Lectio ij.

NAm et cùm apud vos essémus, prædicabámus vobis passúros nos tribulatiónes, sicut et factum est, et scitis. Proptéreà et ego ámpliùs non sústinens, misi ad cognoscéndam fidem vestram, ne fortè tentáverit vos is qui tentat, et inánis fiat labor noster. Nunc autem veniénte Timótheo ad nos à vobis, et annuntiánte nobis fidem et charitátem vestram, et quia memóriam nostrî habétis bonam semper, desiderántes nos vidére, sicut et nos quoque vos; ideò consoláti sumus, fratres, in vobis, in omni necessitáte et tribulatióne nostrâ per fidem vestram, quóniam nunc vívimus, si vos statis in Dómino.

℟. Idem sapiámus,

Lectio iij.

QUam enim gratiárum actiónem póssumus Deo retribúere pro vobis, in omni gáudio quo gaudémus propter vos ante Deum nostrum? Nocte ac die abundántiùs orántes, ut videámus fáciem vestram, et compleámus ea quæ desunt fidei vestræ. Ipse autem Deus et Pater noster, et Dóminus noster Jesus Christus dírigat viam nostram ad vos. Vos autem Dóminus multíplicet et abundáre fáciat charitátem vestram in invicem et in omnes, quemádmodùm et nos in vobis, ad confirmánda corda vestra sine querélâ in sanctitáte, ante Deum et Patrem nostrum in advéntu Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus sanctis ejus.

Amen.

℟. Deus est qui confirmábit, * et custódiet à malo. 2. *Thessal*. 3.

℣. Confirmábit usque in finem sine crímine. 1. *Cor*. 1. * Et custódiet. Glória. * Et custódiet.

FERIA QUINTA.

De Epístolâ primâ ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 4.

DE cætero, fratres, rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodùm accepístis à nobis quómodò opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra: ut abstineátis vos à fornicatióne, ut sciat unusquísque vestrûm vas suum possidére in sanctificatióne et honóre, non in passióne desidérii, sicut et Gentes quæ ignórant Deum.

℟. Custódi, Dómine, ánimam meam, * Quóniam sanctus sum. *Psal*. 85.

℣. Pépigi fœdus cum óculis meis, ut ne cogitárem quidem de vírgine. *Job*. 31. * Quóniam.

Lectio ij.

ET ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum, quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut prædiximus vobis, et testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem. Itaque qui hæc spernit, non hóminem spernit, sed Deum, qui étiam dedit Spíritum suum sanctum in nobis. De charitáte autem fraternitátis non necésse habémus scríbere vobis: ipsi enim vos à Deo didicístis ut diligátis ínvicem. Etenim illud fácitis in omnes fratres in univérsâ Macedóniâ.

℟. Beáti qui ámbulant in lege Dómini; * Beáti qui scrutántur testimónia ejus.

℣. Tunc non confúndar, cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis, (Dómine.) *Psalm.* 118. * Beáti.

Lectio iij.

NOlumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus, ut non contristémini, sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim crédimus quòd Jesus mórtuus est et resurréxit, ita et Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in advéntum Dómini, non præveniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, et in voce Archángeli, et in tubâ Dei descéndet de cœlo; et mórtui qui in Christo sunt, resúrgent primi. Deindè nos qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Christo in áëra, et sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus. *Ps.* 121.

℣. Nunc cognósco ex parte, tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum. 1. *Cor.* 13. * In domum. Glória. * In domum.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ primâ ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 5.

DE tempóribus et moméntis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis. Ipsi enim diligénter scitis quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim dixerint, Pax et secúritas, tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habénti, et non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehéndat. Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diéi, non sumus noctis, neque tenebrárum. Igitur non dormiámus sicut et cæteri, sed vigilémus et sóbrii simus.

℟. In hoc et ipse * Stúdeo sine offendículo consciéntiam habére ad Deum et ad hómines semper. *Act.* 24.

℣. Cunctis diébus quibus nunc milito, expécto donec véniat immutátio mea. *Job.* 14. * Stúdeo.

Lectio ij.

NOs autem qui diéi sumus, sóbrii simus, indúti lorícam fídei et charitátis, et gáleam spem salútis, quóniam non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitiónem salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis, ut sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum illo vivámus. Propter quod consolámini ínvicem, et ædificáte altérutrum sicut et fácitis. Rogámus autem vos, fratres, ut novéritis eos qui labórant inter vos, et præsunt vobis in Dómino, et monent vos, ut habeátis illos abundántiùs in charitáte propter opus illórum, pacem habéte cum eis.

℟. Nemo enim nostrûm sibi vivit: * Dómino vívimus.

℣. Itaque quæ pacis sunt, sectémur; et quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus. *Rom.* 14. * Dómino.

Lectio iij.

ROgámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos, consolámini pu-

sillánimes, suscipite infirmos, patiéntes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est, sectámini in ínvicem, et in omnes. Semper gaudéte, sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite, hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu, in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere, Prophétias nolíte spérnere. Omnia autem probáte, quod bonum est tenéte, ab omni spécie malâ abstinéte vos.

℟. Judícia tua jucúnda, * (Dómine;) ecce concupívi mandáta tua.

℣. In corde meo abscóndi elóquia tua, ut non peccem tibi. *Psal.* 118. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

SABBATO.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, et Silvánus, et Thimótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium, in Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo, grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ágere debémus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quóniam supercréscit fides vestra, et abúndat cháritas uniuscujúsque vestrûm in ínvicem, ita ut et nos ipsi in vobis gloriémur in Ecclésiis Dei pro patiéntiâ vestrâ, et fide, et in ómnibus persecutiónibus vestris et tribulatiónibus, quas sustinétis, in exémplum justi judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo et patímini.

℟. Beáti qui lugent; * Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam. *Matth.* 5.

℣. Quóniam per multas tribulatiónes opórtet nos intráre in regnum Dei. *Act.* 14. * Beáti.

Lectio ij.

SI tamen justum est apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant, et vobis qui tribulámini, réquiem nobíscum in revelatióne Dó-

mini Jesu de cœlo cum Angelis virtútis ejus, in flammâ ignis dantis vindíctam iis qui non novérunt Deum, et qui non obédiunt Evangélio Dómini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in intéritu ætérnas à fácie Dómini, et à glóriâ virtútis ejus, cùm vénerit glorificári in sanctis suis, et admirábilis fieri in ómnibus qui credidérunt, quia créditum est testimónium nostrum super vos in die illo.

℟. Sóbriè, et justè, et piè vivámus in hoc sæculo, * Expectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei et Salvatóris nostri Jesu Christi. *Tit.* 2.

℣. Cùm exárserit in brevi ira ejus, beáti omnes qui confídunt in eo. *Ps.* 2. * Expectántes.

Lectio iij.

IN quo étiam orámus semper pro vobis, ut dignétur vos vocatióne suâ Deus noster, et ímpleat omnem voluntátem bonitátis, et opus fidei in virtúte; ut clarificétur nomen Dómini Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secúndùm grátiam Dei nostri, et Dómini Jesu Christi.

℟. Manda, Deus, virtúti tuæ; * Confirma hoc quod operátus es in nobis. *Ps.* 67.

℣. Secúndùm misericórdiam tuam, propter bonitátem tuam. *Ps.* 24. * Confirma. Glória Patri. * Confirma.

Ad Magn. *Ant.* 3. c.

Quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed et si quid patímini propter justítiam, beáti. 1. *Pet.* 3.

Orat. ut infrà ad Laud.

DOMINICA X.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Epístolâ secúndâ ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 2.

ROgámus vos, fratres, per advéntum Dómini nostri Jesu Christi, et nostræ congregatiónis in ipsum, ut non citò moveámini à vestro sensu,

neque terreámini, neque per spíritum, neque per sermónem, neque per epístolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo, quóniam nisi vénerit discéssio primùm, et revelátus fúerit homo peccáti, fílius perditiónis, qui advérsátur et extóllitur suprà omne quod dícitur Deus, aut quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat, osténdens se tanquam sit Deus.

℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, in veritáte salútis tuæ; * Eripe me de luto. *Ps.* 68.

℣. Antequàm véniat tempus afflictiónis. *Eccl.* 12. * Eripe.

Lectio ij.

NOn retinétis quòd cùm adhuc essem apud vos, hæc dicébam vobis? Et nunc quid detíneat scitis, ut revelétur in suo témpore. Nam mystérium jam operátur iniquitátis, tantùm ut qui tenet nunc, téneat donec de médio fiat. Et tunc revelábitur ille iníquus, quem Dóminus Jesus interfíciet spíritu oris sui, et déstruet illustratióne advéntûs sui eum cujus est advéntus secùndùm operatiónem Sátanæ, in omni virtúte, et signis, et prodígiis mendácibus, et in omni sedúctióne iniquitátis iis qui péreunt, eò quòd charitátem veritátis non recepérunt, ut salvi fíerent.

℟. Dóminus * Regnábit in ætérnum, et in sæculum sæculi. *Ps.* 10. *H.*

℣. In fortitúdine véniet, et bráchium ejus dominábitur. *Isa.* 40. * Regnábit.

Lectio iij.

NOs autem debémus grátias ágere Deo semper pro vobis, fratres dilécti à Deo, quòd elégerit vos Deus primítias in salútem, in sanctificatióne spíritûs, et in fide veritátis, in quâ et vocávit vos per Evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. Itaque, fratres, state, et tenéte traditiónes quas didicístis, sive per sermónem, sive per epístolam nostram. Ipse autem Dóminus noster Jesus Christus, et Deus

et Pater noster, qui diléxit nos, et dedit consolatiónem ætérnam, et spem bonam in grátiâ, exhortétur corda vestra, et confírmet in omni ópere, et sermóne bono.

℟. Ut fácerem * Voluntátem tuam, Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei. *Ps.* 39.

℣. Dídici judícia justítiæ tuæ, justificatiónes tuas custódiam. *Ps.* 118. * Voluntátem. Glória Patri. * Voluntátem.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Augustíni Episc.

Serm. 3. *de diversis.*

Lectio iv.

CUm duæ vitæ sint, una ante mortem, ália post mortem, ambæ habuérunt et habent amatóres suos. Qualis sit brevis hæc vita, quid descríbere opus est? Experímur quàm ærumnósa, quàm querelósa, circúmdata tentatiónibus, plena timóribus, ardens cupiditátibus, súbdita cásibus, in advérsis dolens, in prósperis tumens, lucris exúltans, damnis excrúcians, et in ipsis lucris trépidans, ne quod acquisívit amíttat. Mendósa felícitas, vera infelícitas! húmilis cupit ascéndere; sublimátus timet descéndere; qui non habet, ínvidet habénti; qui habet, contémnit non habéntem. Et quis explícet verbis hujus vitæ tantam et tàm conspícuam fœditátem? Et tamen ista fœditas habet amatóres suos tales, ut optémus invenîre áliquos qui sic díligant ætérnam vitam, quam finíre non possunt, quómodò ista dilígitur, quæ et citò finitur; et si protendátur, quotídiè timétur, ne per horas síngulas finiátur.

℟. Dicam Deo: * Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? *Job.* 10.

℣. Tæduit me vitæ meæ, vidéntem mala univérsa esse sub sole, et cuncta vanitátem et afflictiónem spíritûs. *Eccle.* 2. * Numquid.

Lectio v.

QUos comminatiónis acúleos, quos exhor-

tatiónis ignes admoveámus córdibus pigris, et duris, et terréni stupóris glácie congelátis, ut torpórem mundi aliquándò excútiant, et in ætérna inardéscant. Ab amóre hujus temporális vitæ accéde, si fieri potest, ad amándam ætérnam vitam, quómodò saltem diligitur hæc temporális ab amatóribus suis. Attendámus in quàm magno timóre sunt hómines ne moriántur, moritúri? Vídeas hóminem trémere, fúgere, provólvi, quidquid habet dare, ut vita donétur, ut uno die plus vivátur. Quis tale áliquid præ ætérnâ vitâ? Qui tanta agis ut paulò sériùs moriáris, age áliquid ut nunquàm moriáris.

℞. Quóniam filii Sanctórum sumus, * Vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo. *Tob.* 2.

℣. Vídeam voluptátem Dómini. *Ps.* 26. * Vitam.

Lectio vj.

IMploráto adjutório Dómini Dei nostri advérsùs blanditias vitæ malè amátæ, amémus illius pulchritúdinem vitæ, quam nec óculus vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit. Hanc enim præparávit Deus diligéntibus se, et ipsa vita ipse Deus est. Amémus hanc fórtiter. Donet Deus ut amémus; lácrymas pro hâc non solùm adipiscéndâ, sed étiam diligéndâ fundámus. Quid monitúri sumus, ut ostendámus quàm sit ista incérta, quàm transitória, quàm penè nulla, quàm verum sit quod scriptum est: (Quæ est enim vita vestra? vapor est ad módicum appárens, deinceps exterminábitur.) Vivébat heri, non est hódiè; paulò antè videbátur, modò non est qui videbátur. Dedúcitur homo ad sepúlcrum; rédeunt tristes, citò obliviscéntes. Dícitur, quàm nihil est homo! et hoc dicit ipse homo, et non córrigit se homo, ut non nihil, sed áliquid sit homo.

℞. Scio, Dómine, * Quia morti trades me, ubi constitúta est domus omni vivénti. *Job.* 30.

℣. Recogitábo tibi omnes annos meos in amaritúdine ánimæ meæ. *Isa.* 38. * Quia. Glória Patri. * Quia.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore, Dixit Jesus ad quosdam qui in se confidébant tanquam justi, et aspernabántur cæteros, parábolam istam: Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent, unus Pharisæus, et alter Publicánus. Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 36. *de Verb. Dom.*

PHarisæus dicébat: (Grátias tibi, Deus, quia non sum sicut cæteri hómines.) Díceret saltem, sicut multi hómines: Quid est, (sicut cæteri hómines,) nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, justus sum, cæteri peccatóres. (Non sum sicut cæteri hómines, injústi, raptóres, adúlteri.) Et ecce tibi ex vicíno Publicáno majóris tumóris occásio. (Sicut, inquit, Publicánus iste.) Ego, inquit, solus sum; iste de cæteris est. Non sum, inquit, talis, qualis iste, per justítias meas, quibus iníquus non sum.

℟. Ego * Sum venúndatus sub peccáto. *Rom.* 7.

℣. Dómine, vide humilitátem meam. *Ps.* 9. * Sum.

Lectio viij.

(JEjúno bis in Sábbato, décimas do ómnium quæ possídeo.) Quid rogáverit Deum quære in verbis ejus, nihil invénies: Ascéndit oráre, nóluit Deum rogáre, sed se laudáre. Parùm est, non Deum rogáre, sed se laudáre, ínsuper et rogánti insultáre. (Publicánus autem de longínquo stabat;) et tamen Deo ipse propinquábat: cordis consciéntia removébat, píetas applicábat. (Publicánus autem de longínquo stabat;) sed Dóminus eum de propínquo attendébat.

℟. Dómine, * Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem. *Ps.* 118.

℣. Odísti observántes vanitátes supervácuè. *Ps.* 30. * Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem.

Lectio ix.

EXcélsus enim Dóminus, et humília réspicit; excélsos autem, qualis erat ille Pharisæus, à longè cognóscit. Excélsus quidem Deus, à longè cognóscit, sed non ignóscit. Adhuc audi humilitátem Publicáni: parùm est quia de longínquo stabat, (Nec óculos suos ad cœlum levábat.) Ut aspicerétur, non aspiciébat: respícere sursùm non audébat, premébat consciéntia, spes sublevábat. Adhuc audi: (Percutiébat pectus suum.) Pœnas de seipso exigébat; proptéreà Dóminus confiténti parcébat: (Percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri.) Ecce qui rogat. Quid miráris, si Deus ignóscit, quandò ipse se agnóscit?

℟. Ideò humiliémus Deo ánimas nostras: * Dicámus flentes Dómino, ut fáciat nobíscum misericórdiam suam. *Judith.* 8.

℣. Cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies. *Ps.* 50. * Dicámus flentes. Glória Patri. * Dicámus flentes Dómino.

Ad Bened. *Ant.*

Publicánus percutiébat pectus suum, dicens; Deus, propítius esto mihi peccatóri. *Luc.* 18.

Oratio.

DEus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máximè et miserándo maniféstas; multíplica super nos misericórdiam tuam, ut ad tua promíssa curréntes, cœléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.

Omnis qui se exáltat, humiliábitur; et qui se humíliat, exaltábitur. *Luc.* 18.

FERIA SECUNDA.

De Epistolâ secúndâ ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 3.

DE cætero, fratres, oráte pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificétur, sicut et apud vos, et ut liberémur ab importúnis et malis homínibus: non enim ómnium est fides. Fidélis autem Deus est, qui confirmábit vos et custódiet à malo. Confídimus autem de vobis in Dómino, quóniam quæ præcípimus, et fácitis, et faciétis. Dóminus autem dírigat corda vestra in charitáte Dei, et patiéntiâ Christi.

℟. Nunc, * Dómine, da servis tuis cum omni fidúciâ loqui verbum tuum. *Act.* 4.

℣. Multi enim ámbulant, (nunc autem et flens dico,) inimícos crucis Christi. *Philip.* 3. * Dómine.

Lectio ij.

DEnuntiámus autem vobis, fratres, in nómine Dómini Jesu Christi, ut subtrahátis vos ab omni fratre ambulánte inordinátè, et non secúndùm traditiónem quam accepérunt à nobis. Ipsi enim scitis quemádmodùm opórteat imitári nos, quóniam non inquiéti fúimus inter vos, neque gratis panem manducávimus ab áliquo, sed in labóre et in fatigatióne, nocte et die operántes, ne quem vestrûm gravarémus. Non quasi non habuérimus potestátem, sed ut nosmetípsos formam darémus vobis ad imitándum nos. Nam et cùm essémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis, quóniam si quis non vult operári, nec mandúcet.

℟. Fidélis sermo et omni acceptióne dignus: * In hoc enim laborámus. 1. *Tim.* 4.

℣. Qui sectátur ótium stultíssimus est. *Prov.* 12. * In hoc.

Lectio iij.

AUdívimus enim inter vos quosdam ambuláre inquiétè, nihil operántes, sed curiósè agéntes. Iis autem qui ejús-

modi sunt, denuntiámus, et obsecrámus in Dómino Jesu Christo, ut cum siléntio operántes, suum panem mandúcent. Vos autem, fratres, nolíte defícere benè faciéntes. Quòd si quis non obédit verbo nostro per epístolam, hunc notáte, et ne commisceámini cum illo, ut confundátur. Et nolíte quasi inimícum existimáre, sed corrípite ut fratrem. Ipse autem Dóminus pacis det vobis pacem sempitérnam in omni loco; Dóminus sit cum ómnibus vobis.

℟. Iníquos ódio hábui: * Declináte à me, malígni. *Ps.* 118.

℣. Non communicábo cum eléctis eórum. *Ps.* 140. * Declináte. Glória Patri. * Declináte.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad

impérium Dei Salvatóris nostri et Christi Jesu spei nostræ: Timótheo diléćto fílio in fide, grátia, misericórdia et pax à Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro... Finis præcépti est cháritas de corde puro, et consciéntiâ bonâ, et fide non fictâ. A quibus quidam aberrántes convérsi sunt in vanilóquium, voléntes esse legis Doctóres, non intelligéntes, neque quæ loquúntur, neque de quibus affírmant.

℟. Ergo * Plenitúdo legis est diléctio. *Rom.* 13.

℣. Si linguis hóminum loquar et Angelórum, et si nóverim mystéria ómnia, charitátem autem non habúero, nihil sum. 1. *Cor.* 13. * Plenitúdo.

Lectio ij.

GRátias ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério, qui priùs blasphémus fui, et persecútor, et contume-

eum fide et dilectióne quæ est in Christo Jesu. Fidélis sermo et omni acceptióne dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum; sed ideò misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam.

℟. Speráte in Dómino, omnis congregátio pópuli; * Effúndite coràm illo corda vestra. *Ps.* 61.

℣. Discite quid est: Misericórdiam volo, et non sacrificium: non enim veni vocáre justos, sed peccatóres. *Matth.* 9. * Effúndite coràm illo corda vestra.

Lectio iij.

REgi autem sæculórum immortáli, invisíbili soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum, amen. Hoc præcéptum comméndo tibi, fili Timóthee, secúndùm præcedéntes in te Prophétias, ut mílites in illis bonam milítiam, habens fidem et bonam consciéntiam, quam quidam repelléntes, circà fidem naufragavérunt. Ex quibus est Hymenæus, et Alexánder, quos trádidi Sátanæ, ut discant non blasphemáre.

℟. Glória nostra hæc est: testimónium consciéntiæ nostræ, quòd * Non in sapiéntiâ carnáli, sed in grátiâ Dei conversáti sumus in hoc mundo. 2. *Cor.* 1.

℣. Radicáti et superædificáti in Christo; et fide confirmáti. *Coloss.* 2. * Non. Glória Patri. * Non.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ primâ ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 2.

OBsecro primùm ómnium fieri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes pro ómnibus homínibus, pro Régibus, et ómnibus qui in sublimitáte sunt, ut quiétam et tranquillam vitam agámus in omni pietáte et castitáte. Hoc enim bonum est, et

accéptum coràm Salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fieri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus et Mediátor Dei et hóminum homo Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis, in quo pósitus sum ego Prædicátor et Apóstolus, veritátem dico, non méntior, Doctor Géntium in fide et veritáte.

℟. Fúndimus preces et * Pétimus misericórdiam ante conspéctum tuum, Dómine, Deus noster. *Baruch.* 2.

℣. Misericórdia tua in sæculum, ópera mánuum tuárum ne despícias. *Ps.* 137. * Pétimus.

Lectio ij.

Fidélis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergò Epíscopum irreprehensíbilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non violéntum, non percussórem, sed modéstum, non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui benè præpósitum, filios habéntem súbditos, cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne in supérbiam elátus in judícium incidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Spíritus sanctus pósuit Epíscopos * Régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. *Act.* 20.

℣. Quis sciet, nisi tu, Dómine, déderis sapiéntiam, et míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis? *Sap.* 9. * Régere.

Lectio iij.

Diáconos simíliter pudícos, non bilíngues, non multo vino déditos, non turpe lucrum sectántes, habéntes mystérium fidei in consciéntiâ purâ. Et hi autem probéntur primùm, et sic minístrent; nullum crimen habéntes.... Diáconi

sint uníus uxóris viri, qui fíliis suis benè præsint, et suis dómibus. Qui enim benè ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, et multam fidúciam in fide quæ est in Christo Jesu.

℟. Hoc est quod * Locútus est Dóminus: Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, et in conspéctu omnis pópuli glorificábor. *Levit.* 10.

℣. Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros. 2. *Cor.* 6. * Locútus. Glória Patri. * Locútus.

FERIA QUINTA.

De Epístolâ primâ ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

HÆc tibi scribo, sperans me ad te veníre citò. Si autem tardávero, ut scias quómodò opórteat te in domo Dei conversári, quæ est Ecclésia Dei vivi, colúmna, et firmaméntum veritátis. Et maniféstè magnum est pietátis sacraméntum, quod manifestátum est in carne, justificátum est in Spíritu, appáruit Angelis, prædicátum est Géntibus, créditum est in mundo, assúmptum est in glóriâ.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, * Quia revelásti ea. *Matth.* 11.

℣. Utique, Dómine, ego crédidi. *Joan.* 11. * Quia.

Lectio ij. Cap. 4.

INéptas et aniles fábulas devíta; exérce autem teípsum ad pietátem. Nam corporális exercitátio ad módicum útilis est; píetas autem ad ómnia útilis est, promissiónem habens vitæ quæ nunc est, et futúræ. Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus. In hoc enim laborámus, et maledícimur, quia sperámus in Deum vivum, qui est Salvátor ómnium hóminum, máximè fidélium: præcipe hæc, et doce.

℟. In Christo Jesu * Labóro certándo secúndùm operatiónem ejus quam operátur in me, in virtúte. *Coloss.* 1.

℣. Scio enim cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre. 2. *Timot.* 1. * Labóro.

Lectio iij.

NEmo adolescéntiam tuam contémnat; sed exémplum esto fidélium, in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide, in castitáte. Dùm vénio, atténde lectióni, exhortatióni, et doctrínæ. Noli negligere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophétiam cum impositióne mánuum Presbytérii. Hæc meditáre, in his esto, ut proféctus tuus manifestus sit ómnibus. Atténde tibi et doctrínæ. Insta in illis. Hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

℟. Beátus ille servus quem, cùm vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem: * Super ómnia quæ póssidet constituet illum. *Luc.* 12.

℣. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, et

Super. Glória Patri. * Super.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ primâ ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 5.

SEniórem ne increpáveris, sed óbsecra, ut patrem; júvenes, ut fratres; anus, ut matres; juvénculas, ut soróres, in omni castitáte; víduas honóra quæ verè víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios aut nepótes habet, discat primùm domum suam régere, et mútuam vicem réddere paréntibus: hoc enim accéptum est coràm Deo. Quæ autem verè vídua est, et desoláta, speret in Deum, et instet obsecratiónibus et oratiónibus nocte ac die. Nam quæ in delíciis est, vivens mórtua est. Et hoc præcipe ut irreprehensíbiles sint.

℟. Dómine misericórdiæ, * Da mihi sédium tuárum

dicem filiórum tuórum et filiárum.

℣. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et erunt accépta ópera mea, et dispónam pópulum justè. *Sap.* 9. * Da mihi.

Lectio ij.

SI quis autem suórum, et máximè domesticórum curam non habet, fidem negávit, et est infidéli detérior... Qui benè præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeántur, máximè qui labórant in verbo et doctrínâ. Dicit enim scriptúra: Non alligábis os bovi triturán-ti. Et: Dignus est operárius mercéde suâ. Advérsùs Presbyterum accusatiónem noli recípere, nisi sub duóbus aut tribus téstibus. Peccántes coràm ómnibus árgue, ut et cæteri timórem hábeant.

℟. Iníquis * Dixi: Nolíte iníquè ágere, nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem. *Ps.* 74.

℣. Deféctio ténuit me pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam. *Ps.* 118. * Dixi.

Lectio iij.

TEstor coràm Deo et Christo Jesu, et eléctis Angelis, ut hæc custódias sine præjudício, nihil fáciens in álteram partem declinándo. Manus citò némini imposúeris, neque communicáveris peccátis aliénis. Teípsum castum custódi. Noli adhuc aquam bíbere, sed módico vino útere, propter stómachum tuum et frequéntes tuas infirmitátes. Quorúmdam hóminum peccáta manifésta sunt, præcedéntia ad judícium, quosdam autem et subsequúntur; simíliter, et facta bona manifésta sunt, et quæ áliter se habent, abscóndi non possunt.

℟. Beátus ille servus quem, cùm vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem; * Super ómnia quæ póssidet constítuet illum. *Luc.* 12.

℣. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, et misericórdiam à Deo salutári suo. *Ps.* 23. * Super ómnia. Glória Patri. * Super ómnia.

SABBATO.

De Epistolâ primâ ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 6.

EST quæstus magnus pietas cum sufficiéntiâ: nihil enim intúlimus in hunc mundum; haud dúbium quòd nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília et nocíva quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas, quam quidam appeténtes erravérunt à fide, et inseruérunt se dolóribus multis.

℟. Dóminus pars hæreditátis meæ et cálicis mei, * Etenim hæréditas mea præclára est mihi. *Ps.* 15.

℣. Argéntum et aurum nullíus concupívi. *Act.* 20. * Etenim.

Lectio ij.

TU autem, ô homo Dei! hæc fuge; sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, charitátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam, in quâ vocátus es, et conféssus bonam confessiónem coràm multis téstibus. Præcípio tibi coràm Deo, qui vivíficat ómnia, et Christo Jesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto bonam confessiónem, ut serves mandátum sine máculâ, irreprehensíbile usque in advéntum Dómini nostri Jesu Christi, quem suis tempóribus osténdet, beátus et solus potens, Rex Regum, et Dóminus dominántium, qui solus habet immortalitátem, et lucem inhábitat inaccessíbilem, quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest, cui honor et impérium sempitérnum. Amen.

℟. In Christo Jesu * Labóro certándo secúndùm operatiónem ejus quam operátur in me, in virtúte. *Coloss.* 1.

℣. Scio enim cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre. 2. *Timoth.* 1. * Labóro.

Lectio iij.

DIvítibus hujus sæculi præcipe non sublímè sápere, neque speráre in incérto divitiárum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis ómnia abúndè ad fruéndum, benè ágere, dívites fíeri in bonis opéribus, fácilè tribúere, communicáre, thesaurizáre sibi fundaméntum bonum in futúrum, ut apprehéndant veram vitam. O Timóthee! depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ, quam quidam promitténtes, circà fidem excidérunt. Grátia tecum. Amen.

℟. Non abscóndam sacraménta Dei, et * Non præteribo veritátem. *Sap.* 6.

℣. Non enim judicávi me scire áliquid nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2. * Non. Glória Patri. * Non.

Ad Magn. *Ant.* 5. c. O homo Dei! certa bonum certámen fidei, apprehénde vitam ætérnam, in quâ vocátus es. 1. *Tim.* 6.

Oratio ut inf. ad Laudes.

DOMINICA XI.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi, per voluntátem Dei, secúndùm promissiónem vitæ, quæ est in Christo Jesu: Timótheo charíssimo fílio, grátia, misericórdia, pax à Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro. Grátias ago Deo, cui sérvio à progenitóribus in consciéntiâ purâ, quòd sine intermissióne hábeam tuî memóriam in oratiónibus meis, nocte ac die, desíderans te vidére, me-

mor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímplear, recordatiónem accípiens ejus fídei, quæ est in te non ficta, quæ et habitávit primùm in áviâ tuâ Lóide, et matre tuâ Eunice; certus sum autem quòd et in te.

℟. Non gaudet super iniquitáte * Cháritas, congáudet veritáti. 1. *Cor.* 13.

℣. Quem enim díligit, quasi pater in fílio cómplacet sibi. *Prov.* 3. * Cháritas.

Lectio ij.

PRopter quam causam admóneo te ut resúscites grátiam Dei quæ est in te per impositiónem mánuum meárum. Non enim dedit nobis Deus Spíritum timóris, sed virtútis, et dilectiónis, et sobrietátis. Noli itaque erubéscere testimónium Dei nostri, neque me vinctum ejus. Sed collabóra Evangélio secúndùm virtútem Dei, qui nos liberávit, et vocávit vocatióne suâ sanctâ, non secúndùm ópera nostra, sed secúndùm propósitum suum, et grátiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora sæculária.

℟. Non erubésco * Evangélium: virtus enim Dei est in salútem omni credénti. *Rom.* 1.

℣. Véspere, et manè, et merídie annuntiábo. *Ps.* 54. * Evangélium.

Lectio iij.

MAnifestáta est autem nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi, qui destrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam, et incorruptiónem per Evangélium in quo pósitus sum ego prædicátor, et Apóstolus, et magister Géntium, ob quam causam étiam hæc pátior, sed non confúndor. Scio enim cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. Formam habe sanórum verbórum, quæ à me audísti in fide, et in dilectióne, in Christo Jesu. Bonum depósitum custódi per Spíritum sanctum, qui hábitat in nobis.

℟. Tribulatiónes me manent; sed * Nihil horum

véreor... dúmmodò consúmmem ministérium quod accépi. *Act.* 20.

℣. Ecce enim in cœlo testis meus, et cónscius meus in excélsis. *Job.* 16.* Nihil. Glória Patri. * Nihil.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
S. Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 1. *in Epist.* 2. *ad Timoth.*

Lectio iv.

ADmóneo te ut resúscites grátiam Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum. Penès nos est illam vel extínguere, vel accéndere; et ideò álibi Paulus dicit: (Spíritum nolíte extínguere). Ex ignáviâ enim et negligéntiâ extínguitur, ex vigilántiâ et attentióne excitátur... (Non enim dedit nobis Deus Spíritum timóris, sed virtútis et dilectiónis et sobrietátis.) Non ideò Spíritum accépimus ut reprimámur, sed ut cum fidúciâ agámus.

℟. Non fácilem labórem assúmpsimus, imò verò * Negótium plenum vigiliárum et sudóris. 2. *Mach.* 2.

℣. Zelus Dómini exercítuum fáciet hoc. 4. *Reg.* 19. * Negótium.

Lectio v.

NE ergò gráviter ferámus, si quid moléstum nobis contíngat..... Dolóris quidem omnes partícipes sumus.... In summâ nullum reperíre est mœróris prórsùs vácuum, sed álius minóra, álius majóra habet mœstítiæ arguménta, si non hódiè, cràs; si non cràs, pósteà dolóris causa áccidet. Ut enim fieri nequit, ut qui návigant sine sollicitúdine sint: sic qui hanc ducunt vitam, non possunt non in mœróre esse. Una solùm via est, quæ tantam inæqualitátem tollat, nempè via ad virtútem. Imò ipsa quoque dolórem habet, sed dolórem non inútilem, sed lucrum habéntem.

℟. Nos * Non defécimus, licet is qui foris est noster homo corrumpátur. 2. *Cor.* 4.

℣. Quóniam per multas tribulatiónes opórtet nos

intráre in regnum Dei. *Act.* 14. * Non.

Lectio vj.

Hom. 3.

(BOnum depósitum custódi per Spíritum sanctum, qui hábitat in nobis.) Non est enim humánæ ánimæ, humanæque virtútis tot depósita dignè serváre. Quarè? Quia multi sunt latrónes, profúndæ ténebræ. Diábolus instat adhuc et insidiátur; nescimus quo témpore, vel quâ horâ invádet. Quómodò ígitur ad custódiam sufficiémus? per Spíritum sanctum; id est, si Spíritum in nobis habeámus, si grátiam non repellámus... Hic murus nobis est, hoc præsidium, hoc refúgium.

℟. Manda, Deus, virtúti tuæ; * Confírma hoc quod operátus es in nobis. *Psal.* 67.

℣. Non est nobis colluctátio advérsùs carnem et sánguinem, sed contrà

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore, Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilææ, inter médios fines Decapóleos; et addúcunt ei surdum et mutum. Et réliqua.

Homília

Venerábilis Bedæ Presb.

Intrà Hom. æstiv. de temp.

SUspiciens Jesus in cœlum ingémuit, et ait illi: Ephphéta, quod est, adaperíre, et statim apértæ sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguæ ejus. Rectè sanatúrus ægrótum Dóminus súspicit in cœlum, et ingémuit, ut ubi nobis sperända salus, et quâ compunctiónis vel lacrymárum sit devotióne quæréndа ac peténda, signíficet. Sus-

jéctos esse dóluit. Suspiciens in cœlum ingémuit, ut nobis qui à cœléstibus gáudiis per terréna oblectaménta discéssimus, ad hæc per gémitus, et suspíria insinuáret esse redeúndum.

℟. Ad te levávi óculos meos, * Qui hábitas in cœlis. *Ps.* 122.

℣. Quemádmodùm desiderat cervus ad fontes aquárum, ita desiderat ánima mea ad te, Deus. *Ps.* 41. * Qui hábitas.

Lectio viij.

QUod autem ait, Ephphéta, id est, adaperíre, propter aures dicit sanándas, quas súrditas diútina cláuserat, sed ad audiéndum jam tactus patefécit ipsius. Undè, credo, mos increbúerit Ecclésiæ, ut Sacerdótes illíus his quos percipiéndis Baptísmi sacraméntis præparant, priùs inter cætera consecratiónis exórdia, de salívâ oris sui nares tangant et aures, dicéntes, Ephphéta; ut, abjéctis delectatiónibus nóxiis, solùm Christi semper amplectántur odórem; et, relicto audítu linguæ nequam, áudiant verba Christi.

℟. Lóquere, Dómine, quia * Audit servus tuus. 1. *Reg.* 3.

℣. Qui ex Deo est, verba Dei audit. *Joan.* 8. * Audit.

Lectio ix.

ECce enim dicitur, quia apértæ sunt aures ejus, et solútum est vinculum linguæ ejus, Et loquebátur rectè. Qui ergò rectè loqui Baptísmatis nostri témpore didícimus, corde credéndo ad justítiam, ore autem confessiónem faciéndo ad salútem, curándum summópere est, ne post Baptísma ad injústa et nóxia verba declinémus: si enim, ipso Júdice attestánte, omne verbum otiósum quod locúti fúerint hómines, reddent rationem de eo in die judicii, quid putámus fieri de illis, qui non solùm otiósa, sed et criminósa loquúntur, qui impudicítiæ, jactántiæ, blasphémiæ, et detractiónis sermónibus servíre non timent, qui prófferunt mendácia, testes falláces,

qui séminant inter fratres discórdias?

℣. Dixi: * Dómine, custódiam vias meas, ut non delínquam in linguâ meâ. *Ps.* 38.

℟. Consepúlti sumus cum Christo per Baptismum, ut, quómodò Christus surréxit, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. *Rom.* 6. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

Ad Bened. *Ant.*

Præcépit illis ne cui dícerent; quantò autem eis præcipiébat, tantò magis plus prædicábant, et eò ampliùs admirabántur. *Marc.* 7.

Oratio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui abundántiâ pietátis tuæ et mérita súpplicum excédis et vota; effúnde super nos misericórdiam tuam, ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 5. a.

Benè ómnia fecit: et surdos fecit audíre, et mutos loqui. *Marc.* 7.

FERIA SECUNDA.

De Epístolâ secúndâ ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 2.

TU ergò, fili mi, confortáre in grátiâ quæ est in Christo Jesu; et quæ audísti à me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo, ímplicat se negótiis sæculáribus, ut ei pláceat cui se probávit. Nam et qui certat in agóne, non coronátur nisi legítimè certáverit.

℟. In Christo Jesu * Labóro certándo secúndùm operatiónem ejus quam operátur in me, in virtúte. *Coloss.* 1.

℣. Scio enim cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre. 2. *Timoth.* 1. * Labóro.

Lectio ij.

MEmor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse à mór-

tuis ex sémine David, secúndùm Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi malè óperans; sed verbum Dei non est alligátum. Ideò ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu cum glóriâ cœlésti. Fidélis sermo: nam si commórtui sumus, et convivémus; si sustinébimus, et conregnábimus: si negavérimus, et ille negábit nos. Si non crédimus, ille fidélis pérmanet, negáre seípsum non potest. Hæc cómmone, testíficans coràm Dómino.

℟. Exúrgam dilúculo, * (Dómine,) confitébor tibi in pópulis. *Ps.* 56.

℣. Non fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dùmmodò consúmmem ministérium verbi. *Act.* 20. * Dómine.

Lectio iij.

SOllícitè cura teipsum probábilem exhibére Deo operárium inconfusíbilem, rectè tractántem verbum veritátis. Profána autem et vanilóquia devíta, multùm enim proficiunt ad impietátem, et sermo eórum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus et Philétus, qui à veritáte excidérunt, dicéntes resurrectiónem esse jam factam, et subvertérunt quorúmdam fidem. Sed firmum fundaméntum Dei stat habens signáculum hoc: Cognóvit Dóminus qui sunt ejus, et discédat ab iniquitáte omnis qui nóminat nomen Dómini.

℟. (Dómine) óculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum. * Non habitábit in médio domûs meæ qui lóquitur iníqua. *Ps.* 100.

℣. Pavens perículum. *Esth.* 14. * Non. Glória Patri. * Non.

FERIA TERTIA.

De Epistolâ secúndâ ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 2.

JUvenília desidéria fuge; sectáre verò justítiam, fidem, charitátem, et pacem cum iis qui invocant Dóminum de corde puro.

Stultas autem, et sine disciplínâ quæstiónes devíta, sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non opórtet litigáre, sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéstiâ corripiéntem eos qui resístunt veritáti, nequándò Deus det illis pœniténtiam ad cognoscéndum veritátem, et resipíscant à diáboli láqueis, à quo captívi tenéntur ad ipsíus voluntátem.

℟. Non fácilem labórem, imò verò * Negótium plenum vigiliárum et sudóris assúmpsimus. *2. Mach. 2.*

℣. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum. *Ps. 21.* * Negótium.

Lectio ij. Cap. 3.

HOc autem scito, quòd in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa : erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, scelésti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, sine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, et voluptátum amatóres magis quàm Dei, habéntes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos devíta.

℟. Hæc quoque vidi * In diébus vanitátis meæ. *Eccle. 7.*

℣. Dominátor vitæ meæ, ne sinas me cádere cum illis. *Eccli. 23.* * In diébus.

Lectio iij.

EX his enim sunt qui pénetrant domos, et captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quæ ducúntur váriis desidériis, semper discéntes, et nunquàm ad sciéntiam veritátis perveniéntes. Quemádmodùm autem Jannes et Mambres restitérunt Móysi, ita et hi resístunt veritáti; hómines corrúpti mente, réprobi circà fidem. Sed ultrà non profícient, insipiéntia enim eórum manifésta erit ómnibus, sicut et illórum fuit.

℟. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israël; * Simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum. *Isa. 45.*

℣. Spíritus ejus velut torrens inúndans, et fremum erróris. *Isa.* 30. * Simul. Glória Patri, etc. * Simul.

FERIA QUARTA.

De Epístolâ secúndâ ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

TU autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes, quália mihi facta sunt Antióchiæ, Icónii, et Lystris, quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines et seductóres profícient in pejus, errántes, et in errórem mitténtes.

℟. Nunc * Gáudeo in passiónibus. *Coloss.* 1.

℣. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. *Philip.* 1. * Gáudeo.

Lectio ij.

TU verò pérmane in iis quæ didicísti et crédita sunt tibi, sciens à quo didíceris, et quia ab infántiâ sacras lítteras nôsti, quæ te possunt instrúere ad salútem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptúra divínitùs inspiráta, útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítiâ, ut perféctus sit homo Dei ad omne opus bonum instrúctus.

℟. In ætérnum, * (Dómine,) non oblivíscar justificatiónes tuas, quia in ipsis vivificásti me.

℣. Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam. *Ps.* 118. * Dómine.

Lectio iij.

TEstíficor coràm Deo et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum ejus, prædica verbum, insta op-

portúnè, importúnè; árgue, óbsecra, increpa, in omni patiéntiâ et doctrínâ. Erit enim tempus, cùm sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros pruriéntes áuribus, et à veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple, sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illâ die justus Judex, non solùm autem mihi, sed et iis qui díligunt advéntum ejus.

℟. In ómnibus * Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ, à dextris et à sinístris.

℣. Eámdem habéntes remuneratiónem. 2. *Cor.*

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi, secúndùm fidem electórum Dei, et agnitiónem veritátis, quæ secúndùm pietátem est, in spem vitæ ætérnæ, quam promísit qui non mentítur, Deus, ante témpora sæculária, manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne, quæ crédita est mihi secúndùm præcéptum Salvatóris nostri Dei: Tito dilécto fílio secúndùm commúnem fidem, grátia et pax à Deo Patre, et Christo Jesu Salvatóre nostro. Hujus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ desunt córrigas, et constítuas per civitátes Presbyteros, sicut et ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, unius uxóris vir, fílios habens fidéles,

℟. Messis quidem multa, operárii autem pauci: * Dóminus messis mittat operários in messem suam. *Matth.* 9.

℣. Deféctio ténuit me pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam. *Ps.* 118. * Dóminus.

Lectio ij.

OPórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem, non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum qui secúndùm doctrínam est, fidélem sermónem, ut potens sit exhortári in doctrínâ sanâ, et eos qui contradícunt argúere.

℟. Spíritus sanctus pósuit Epíscopos * Régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. *Act.* 20.

℣. Quis sciet, nisi tu, Dómine, déderis sapiéntiam, et míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis? *Sap.* 9. * Régere.

Lectio iij. Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam...In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrínâ, in integritáte, in gravitáte. Verbum sanum, irreprehensíbile, ut is qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis. Servos dóminis suis súbditos esse, in ómnibus placéntes, non contradicéntes, non fraudántes, sed in ómnibus fidem bonám ostendéntes, ut doctrínam Salvatóris nostri Dei ornent in ómnibus.

℟. Ero immaculátus cum Deo meo, * Observábo me ab iniquitáte. *Ps.* 17.

℣. Ut (hómines) vídeant ópera bona, et gloríficent Patrem, qui in cœlis est. *Matth.* 5. * Observábo. Glória Patri. * Observábo.

FERIA SEXTA.

De Epístolâ ad Titum.

Lectio j. Cap. 2.

APpáruit grátia Dei Salvatóris nostri óm-

nibus hominibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem et sæculária desidéria, sóbriè, et justè, et piè vivámus in hoc sæculo, expectántes beátam spem, et advéntum glóriæ magni Dei, et Salvatóris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum. Hæc lóquere, et exhortáre, et árgue cum omni império. Nemo te contémnat.

℟. In ætérnum * Misericórdias Dómini cantábo. *Ps.* 88.

℣. Qui dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2. * Misericórdias Dómini cantábo.

Lectio ij. Cap. 3.

ADmone illos Princípibus et Potestátibus súbditos esse, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos esse: néminem blasphemáre, non litigiósos esse, sed modéstos, omnem ostendéntes aliquándò et nos insipiéntes, incréduli, errántes, serviéntes desidériis et voluptátibus váriis, in malítiâ et invídiâ agéntes, odíbiles, odiéntes invicem.

℟. Non abscóndam sacraménta Dei, et * Non præteríbo veritátem. *Sap.* 6.

℣. Testis enim mihi est Deus, quómodò cúpiam omnes in viscéribus Jesu Christi. *Philip.* 1. * Non præteríbo.

Lectio iij

CUm autem benígnitas, et humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei, non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secúndùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abúndè per Jesum Christum Salvatórem nostrum, ut justificáti grátiâ ipsíus, hærédes simus secúndùm spem vitæ ætérnæ. Fidélis sermo est, et de his volo te confirmáre, ut curent

sunt bona et utília homínibus.

℟. Si enim,* Cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus, multò magis reconciliáti, salvi érimus in vitâ ipsíus. *Rom.* 5.

℣. In hoc cognóvimus charitátem Dei. 1. *Joan.* 3. * Cùm. Glória Patri. * Cùm.

SÁBBATO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philemónem.

Lectio j.

PAulus vinctus Christi Jesu, et Timótheus frater, Philemóni dilécto, et adjutóri nostro, et Appiæ soróri charíssimæ, et Archíppo commilitóni nostro, et Ecclésiæ quæ in domo tuâ est, grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo semper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, áudiens charitátem tuam, et fidem quam habes in Dómino Jesu, et in omnes Sanctos, ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.

℟. Dóminus multíplicet et* Abundáre fáciat charitátem in ínvicem, et in omnes.

℣. Ad confirmánda corda in sanctitáte ante Deum. 1. *Thess.* 3. * Abundáre.

Lectio ij.

GAudium enim magnum hábui et consolatiónem in charitáte tuâ, quia víscera Sanctórum requievérunt per te, frater: propter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperándi tibi quod ad rem pértinet, propter charitátem magis óbsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem vinctus Jesu Christi: óbsecro te pro meo fílio, quem génui in vínculis, Onésimo, qui tibi aliquándò inútilis fuit, nunc autem et mihi et tibi útilis, quem remísi tibi.

℟. Est servus Christi Jesu,* Semper sollícitus. *Coloss.* 4.

℣. Tanquam si nutrix fóveat filios suos. 1. *Thessal.* 2. * Semper sollicitus.

Lectio iij.

TU autem illum ut víscera mea súscipe, quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii. Sine consílio autem tuo nihil vólui fácere, ut ne velut ex necessitáte bonum tuum esset, sed voluntárium. Fórsitan enim ideò discéssit ad horam à te, ut ætérnùm illum recíperes, jam non ut servum, sed pro servo charíssimum fratrem, máximè mihi, quantò autem magis tibi, et in carne et in Dómino? Si ergò habes me sócium, súscipe illum sicut me; si autem áliquid nócuit tibi, aut debet, hoc mihi ímputa; ego Paulus scripsi meâ manu, ego reddam.

℟. Cháritas benígna est, * Cháritas ómnia suffert, ómnia sperat, ómnia sústinet. 1. *Cor.* 13.

℣. Quómodò miserétur pater filiórum. *Ps.* 102. * Cháritas. Glória Patri. * Cháritas.

Ad Magn. *Ant.* 1. D. Fortis in bello Jesu Nave, succéssor Móysi in Prophétis, máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes, ut consequerétur hæreditátem Israël. *Eccli.* 46.

Oratio ut infr. ad Laudes.

DOMINICA XII.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Jósue.

Lectio j. Cap. 1.

FActum est post mortem Móysi servi Dómini, ut loquerétur Dóminus ad Jósue filium Nun, ministrum Móysi, et díceret ei: Móyses servus meus mórtuus est; surge, et transi Jordánem istum, tu, et omnis pópulus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israël. Omnem locum quem calcáverit vestígium pedis vestri, vobis tradam, sicut locútus sum Móysi. Confortáre

fortáre igitur, et esto robústus valdè, ut custódias et fácias omnem legem quam præcépit tibi Móyses servus meus; ne declínes ab eâ ad déxteram vel ad sinístram, ut intélligas cuncta quæ agis. Non recédat volúmen legis hujus ab ore tuo, sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut custódias et fácias ómnia quæ scripta sunt in eo; tunc díriges viam tuam, et intélliges eam.

℟. Diléxi legem tuam, Dómine, * Totâ die meditátio mea est.

℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis. *Ps.* 118. * Totâ.

Lectio ij. Cap. 3.

JOsue de nocte consúrgens, movit castra; egredientésque de Setim, venérunt ad Jordánem ipse et omnes filii Israël, et moráti sunt ibi tres dies.. Dixítque Jósue ad pópulum: Sanctificámini, cràs enim fáciet Dóminus inter vos mirabília.. Ingressísque Sacerdótibus Jordánem, et pédibus eórum in parte aquæ tinctis, (Jordánis autem ripas álvei sui témpore messis impléverat;) stetérunt aquæ descendéntes in loco uno, et ad instar montis intumescéntes, apparébant procul ab urbe quæ vocátur Adom, usque ad locum Sarthan; quæ autem inferióres erant, in mare solitúdinis, quod nunc vocátur mórtuum, descendérunt, úsquequò omninò defícerent. Pópulus autem incedébat contrà Jéricho, et Sacerdótes qui portábant arcam fœderis Dómini, stabant super siccam humum in médio Jordánis accíncti, omnísque pópulus per aréntem álveum transíbat.

℟. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * Confiteántur mirabília ejus filiis hóminum.

℣. Ipsi vidérunt ópera ejus et mirabília in profúndo. *Ps.* 106. * Confiteántur.

Lectio iij. Cap. 6.

JEricho autem clausa erat atque munita, timóre filiórum Israël, et nullus égredi audébat aut

ingredi. Dixítque Dóminus ad Jósue: Ecce dedi in manu tuâ Jéricho, et Regem ejus, omnésque fortes viros. Circúite urbem cuncti bellatóres semel per diem, sic faciétis sex diébus. Séptimo autem die Sacerdótes tollant septem búccinas, quarum usus est in jubilæo, et præcédant arcam fœderis, septiésque circuíbitis civitátem, et Sacerdótes clangent búccinis; cùmque insonúerit vox tubæ lóngior atque concísior, et in áuribus vestris increpúerit, conclamábit omnis pópulus vociferatióne máximâ, et muri fúnditùs córruent civitátis, ingredientúrque singuli per locum contrà quem stéterint... Igitur omni pópulo vociferánte, et clangéntibus tubis, postquàm in aures multitúdinis vox sonitúsque increpuit, muri illicò corruérunt, et ascéndit unusquísque per locum qui contrà se erat, cepérúntque civitátem.

℟. Dómine, Deus virtútum, * Quis similis tibi? Potens es, Dómine! *Ps.* 88.

℣. Increpásti Géntes, et civitátes eórum destruxísti. *Ps.* 9. * Quis. Glória Patri. * Quis.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro morálium sancti Gregórii Papæ.

Lib. 1. *cap.* 26. *in cap.* 1. *Job.*

Lectio iv.

Sunt nonnúlli, qui vitam suam négligunt, et dùm transitória appetunt, dùm ætérna vel non intélligunt, vel intellécta contémnunt; nec dolórem séntiunt, nec habére consílium sciunt: cùmque supérna quæ amisérunt, non considerant, esse se (heu miseri!) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem cui cónditi fúerant, mentis óculis érigunt, nequáquam ad contemplatiónem patriæ ætérnæ desidérii áciem tendunt; sed semetipsos in iis ad quæ projécti sunt, deseréntes, vice pátriæ díligunt exílium quod pa-

tiúntur, et in cæcitáte quam tólerant, quasi in claritáte lúminis exúltant.

℟. Homo, cùm in honóre esset, non intelléxit; * Comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis. *Ps.* 48.

℣. Avértit fáciem suam, ne vídeat in finem. *Ps.* 10. *H.* * Comparátus.

Lectio v.

AT contrà electórum mentes, dùm transitória cuncta nulla esse conspíciunt, ad quæ sint cónditæ exquírunt; cùmque eórum satisfactióni nihil extrà Deum súfficit, ipsâ inquisitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in conditóris sui spe, et contemplatióne requiéscit; supérnis interséri cívibus áppetit, et unusquísque eórum adhuc in mundo, córpore pósitus, mente tamen extrà mundum surgit, ærúmnam exílii quam tólerat deplórat; et ad supernam vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítiâ gentis tuæ. *Ps.* 105.

℣. Merces multa in cœlo. *Luc.* 6. * Vísita nos ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad, etc.

Lectio vj.

CUm ergò dolens videt quàm sit ætérnum quod pérdidit, invenit salúbre consílium, temporále hoc despícere quod percúrrit, et quò magis crescit consílii sciéntia ut peritúra déserat, eò augétur dolor quòd necdùm ad mansúra pertingat. Solérter in vitæ consílio figit mentem; cautè esse in omni actióne circumspiciéndo consíderat; pensat, ne ab iis quæ agénda sunt, præpédiat formído; ne in iis quæ differénda sunt, præcipitátio impéllat; ne prava per concupiscéntiam apérto bello súperent, ne recta per inánem glóriam

℣. Non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur: quæ enim vidéntur, temporália sunt; quæ autem non vidéntur, ætérna sunt. 2. *Cor.* 4. * Abundántiùs. Glória Patri, etc. * Abundántiùs.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore, Convérsus Jesus ad Discípulos suos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis: dico enim vobis, quòd multi Prophétæ et Reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Episcopi.

Serm. 37. de Verb. Dom.

TOtum genus humánum est homo ille, qui jacébat in viâ semivívus, à latrónibus relíctus, quem contémpsit tránsiens Sacérdos et Levítes, et accéssit ad eum curándum, eique opitulándos, útique génere próximus; prætériit jacéntem. Tránsiit Levítes, et hic génere próximus; jacéntem étiam ipse contémpsit. Tránsiit Samaritánus, génere longínquus, misericórdiâ próximus, fecítque quod nôstis. In quo Samaritáno se vóluit intélligi Dóminus Jesus Christus.

℟. Laudáte Dóminum, qui * Sanat contrítos corde, et álligat contritiónes eórum. *Psal.* 146.

℣. A Deo est omnis medéla. *Eccli.* 38. * Sanat contrítos.

Lectio viij.

QUid tàm longínquum, quid tàm remótum, quàm Deus ab homínibus, immortális à mortálibus, justus à peccatóribus? Non loco longè, sed dissimilitúdine. Cùm ergò longè à nobis esset immortális et justus, descéndit ad nos, ut fíeret nobis próximus. Et quid fecit? Cùm habéret ipse duo bona, justítiam et immortalitátem; nos duo mala, iniquitátem et mortalitá-

noster factus esset, et Liberatóre nobíscum opus habéret.

℟. Ei qui potens est ómnia fácere superabundánter quàm pétimus aut intellígimus, * Ipsi glória in omnes generatiónes. *Eph.* 3.

℣. Apud ipsum est fortitúdo et sapiéntia. *Job.* 12. * Ipsi.

Lectio ix.

QUid ergò fecit? In duóbus tuis malis, una est culpa, áltera est pœna. Culpa est quòd injustus es; pœna est quia mortális es. Ille ut esset próximus, suscépit pœnam tuam, non suscépit culpam tuam; et si suscépit, deléndam suscépit, non faciéndam. Non est factus ille peccátor, quod tu; sed factus est mortális, quod tu; manens justus factus est mortális. Suscipiéndo pœnam, et non suscipiéndo culpam, et culpam delévit et pœnam.

℟. O altitúdo divitiárum sapiéntiæ et sciéntiæ Dei! * Quàm incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus! *Rom.* 11.

℣. Dóminus exercítuum cogitávi hoc. *Isa.* 23. * Quàm incomprehensibília. Glória Patri. * Quàm incomprehensibília.

Ad Bened. *Ant.*

Legis perítus tentans Jesum, dixit: Magíster, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quómodò legis? Ille respóndens dixit: Díliges Dóminum Deum tuum. *Luc.* 10.

Oratio.

OMnípotens et miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi à fidélibus tuis dignè et laudabíliter serviátur; tríbue, quæsumus, nobis, ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 7. *d.*

Quis vidétur tibi próximus fuisse illi qui incídit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac simíliter. *Luc.* 10.

FERIA SECUNDA.

De Libro Jósue.

Lectio j. Cap. 10.

HAbitatóres Gábaon urbis obséssæ misérunt ad Jósue, qui tunc morabátur in castris apud Gálgalam, et dixérunt ei: Ne rétrahas manus tuas ab auxílio servórum tuórum. Ascénde citò, et líbera nos, ferque præsídium... Convenérunt enim advérsùm nos omnes Reges Amorrhæórum, qui hábitant in montánis. Ascendítque Jósue de Gálgalis, et omnis exércitus bellatórum cum eo, viri fortíssimi. Dixítque Dóminus ad Jósue: Ne tímeas eos: in manus enim tuas trádidi illos, nullus ex eis tibi resístere póterit. Irruit itaque Jósue super eos repéntè, totâ nocte ascéndens de Gálgalis, et conturbávit eos Dóminus à fácie Israël, contrivítque plagâ magnâ in Gábaon, ac persecútus est eos per viam ascénsûs Beth-Horon, et percússit usque Azéca et Máceda.

℟. Non secúndùm armórum poténtiam, sed * Prout ipsi placet, dat Dóminus dignis victóriam. 2. *Mach.* 15.

℣. Cognóscant Gentes poténtiam ejus, quia contrà Deum pugnáre non est fácile. *Eccli.* 46. * Prout ipsi placet.

Lectio ij.

CUmque fúgerent fílios Israël, et essent in descénsu Beth-Horon, Dóminus misit super eos lápides magnos de cœlo usque ad Azéca, et mórtui sunt multò plures lapídibus grándinis, quàm quos gládio percússerant filii Israël. Tunc locútus est Jósue Dómino in die quâ trádidit Amorrhæum in conspéctu filiórum Israël, dixítque coràm eis: Sol, contrà Gábaon ne moveáris, et Luna, contrà vallem Aíalon. Steterúntque sol et luna, donec ulcisceréturse gens de inimícis suis. Nonne scriptum est hoc in libro Justórum? Stetit itaque sol in médio cœli, et non festinávit occúmbere spá-

tio unius diéi. Non fuit ànteà nec pósteà tàm longa dies, obediénte Dómino voci hóminis, et pugnánte pro Israël.

℟. In die illo * Magnificávit Dóminus Jósue coràm Israël.

℣. Ut discant omnes terrárum pópuli fortíssimam Dómini manum. *Josue*. 4. * Magnificávit.

Lectio iij.

REversúsque est Jósue cum omni Israël in castra Gálgalæ, fúgerant enim quinque Reges, et se abscónderant in speluncâ urbis Máceda. Nuntiatúmque est Jósue, quòd invénti essent quinque Reges laténtes in speluncâ urbis Máceda; qui præcépit sóciis, et ait: Vólvite saxa ingéntia ad os speluncæ, et pónite viros indústrios, qui clausos custódiant. Vos autem nolite stare, sed persequímini hostes, et extrémos quosque fugiéntium cædite, nec dimittátis eos úrbium suárum intráre præsídia, quos trádidit Dóminus in manus vestras. Cæsis ergò adversáriis plagâ magnâ, et usque ad internecionem penè consúmptis, hi qui Israël effúgere potuérunt, ingréssi sunt civitátes munítas. Reversúsque est omnis exércitus ad Jósue in Máceda, ubi tunc erant castra, sani et íntegro número, nullúsque contrà fílios Israël mutíre ausus est.

℟. Tua est, Dómine, magnificéntia et poténtia; * Tua est glória atque victória. 1. *Paralip.* 29.

℣. Contrivísti ímpetum poténtis in manu servi tui, et tradidísti castra alienigenárum. 1. *Mach.* 4. * Tua est. Glória Patri. * Tua est.

FERIA TERTIA.

De Libro Jósue.

Lectio j. Cap. 24.

DIxit Jósue ad pópulum: Non potéritis servíre Dómino, Deus enim sanctus, et fortis æmulátor est, nec ignóscet sceléribus vestris atque peccátis. Si dimiséritis Dóminum, et serviéritis diis aliénis, convértet se, et affliget vos, atque sub-

vértet, postquàm vobis præstíterit bona. Dixítque pópulus ad Jósue: Nequáquam ita, ut lóqueris, erit; sed Dómino serviémus. Et Jósue ad pópulum: Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegéritis vobis Dóminum, ut serviátis ei. Responderúntque: Testes. Nunc ergò, ait, auférte deos aliénos de médio vestrî, et inclináte corda vestra ad Dóminum Deum Israël. Dixítque pópulus ad Jósue: Dómino Deo nostro serviémus, et obediéntes érimus præcéptis ejus.

℟. Sit inter nos * Dóminus testis veritátis et fídei, si non juxtà omne verbum, in quo miserit Dóminus Deus ad nos, sic faciémus. *Jerem.* 42.

℣. Mandáta ejus grávia non sunt. 1. *Joan.* 5. * Dóminus.

Lectio ij.

PErcússit ergò Jósue in illo die fœdus, et propósuit pópulo præcépta atque judícia in Sichem; scripsit quoque ómnia verba hæc in volúmine legis Dómini, et tulit lápidem pergrándem, posuítque eum subter quercum quæ erat in sanctuário Dómini. Et dixit ad omnem pópulum: En lapis iste erit vobis in testimónium, quòd audíerit ómnia verba Dómini, quæ locútus est vobis, ne fortè pósteà negáre velítis, et mentíri Dómino Deo vestro. Dimisítque pópulum síngulos in possessiónem suam.

℟. Abundántiùs * Opórtet observáre nos ea quæ audívimus. *Heb.* 2.

℣. Scripta non atraménto, sed Spíritu Dei vivi. 2. *Cor.* 3. * Opórtet observáre nos ea quæ audívimus.

Lectio iij

ET post hæc mórtuus est Jósue, fílius Nun, servus Dómini, centum et decem annórum. Sepeliérúntque eum in fínibus possessiónis suæ in Thamnáthsare.... Servivítque Israël Dómino cunctis diébus Jósue, et Seniórum qui longo vixérunt témpore post Jósue, et qui novérunt ómnia ópera Dómini quæ fécerat in Israël. Ossa quoque Joseph, quæ túlerant filii

Israël de Ægypto, sepeliérunt in Sichem, in parte agri quem émerat Jacob à filiis Hemor patris Sichem, centum novéllis óvibus, et fuit in possessiónem filiórum Joseph. Eleázar quoque filius Aáron mórtuus est, et sepeliérunt eum in Gábaath Phínees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraïm.

℟. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur: * Opera enim illórum sequúntur illos. *Apoc.* 14.

℣. Quæ semináverit homo, hæc et metet. *Gal.* 6. * Opera. Glória Patri, et Fílio, etc. * Opera.

FERIA QUARTA.

Incipit Liber Júdicum.

Lectio j. Cap. 1.

POst mortem Jósue consuluérunt filii Israël Dóminum, dicéntes: Quis ascéndet ante nos contrà Chananæum, et erit dux belli? Dixítque Dóminus: Judas ascéndet, ecce trádidi terram in manus ejus.. Ascendítque Judas, et trádidit Dóminus Chananæum ac Pherezæum in manus eórum, et percussérunt in Bezec decem míllia virórum. Invenerúntque Adoníbezec in Bezec, et pugnavérunt contrà eum, ac percussérunt Chananæum et Pherezæum..... Fugit autem Adoníbezec; quem persecúti comprehendérunt, cæsis summitátibus mánuum ejus ac pedum. Dixítque Adoníbezec: Septuagínta Reges, amputátis mánuum ac pedum summitátibus, colligébant sub mensâ meâ cibórum relíquias; sicut feci, ita réddidit mihi Deus. Adduxerúntque eum in Jerúsalem, et ibi mórtuus est. Oppugnántes ergò filii Juda Jerúsalem, cepérunt, et percussérunt in ore gládii, tradéntes cunctam incéndio civitátem.

℟. Numquid * Iste est vir qui concússit regna, urbes destrúxit, vinctis non apéruit cárcerem? *Isa.* 14.

℣. Væ ímpio in malum: retribútio enim má-

nuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. * Iste est.

Lectio ij. Cap. 2.

FEcerúntque filii Israël malum in conspéctu Dómini, et serviérunt Báalim, ac dimisérunt Dóminum Deum patrum suórum.... et secúti sunt deos aliénos..... et adoravérunt eos, et ad iracúndiam concitavérunt Dóminum, dimitténtes eum, et serviéntes Baal et Astaroth. Iratúsque Dóminus contrà Israël, trádidit eos in manus diripiéntium, qui cepérunt eos... nec potuérunt resístere adversáriis suis..... Suscitavítque Dóminus Júdices, qui liberárent eos de vastántium mánibus; sed nec eos audíre voluérunt, fornicántes cum diis aliénis, et adorántes eos.

℟. In veritáte * Unus est Deus, et non est álius præter eum. *Marc.* 12.

℣. Infelíces, et inter mórtuos spes illórum, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum. *Sap.* 13. * Unus est Deus.

Lectio iij.

CItò deseruérunt viam per quam ingréssi fúerant patres eórum, et audiéntes mandáta Dómini, ómnia fecére contrária. Cùmque Dóminus Júdices suscitáret, in diébus eórum flectebátur misericórdia, et audiébat afflictórum gémitus, et liberábat eos de cæde vastántium. Postquàm mórtuus esset Judex, revertebántur, et multò faciébant pejóra quàm fécerant patres eórum, sequéntes deos aliénos, serviéntes eis, et adorántes illos..... Iratúsque est furor Dómini in Israël, et ait: Quia írritum fecit gens ista pactum meum..... et vocem meam audíre contémpsit, et ego non delébo Gentes quas dimísit Jósue, et mórtuus est, ut in ipsis expériar Israël, utrùm custódiant viam Dómini, et ámbulent in eâ, sicut custodiérunt patres eórum, an non.

℟. Hæccine reddis Dómino, pópule stulte et insípiens? * Numquid non ipse est pater tuus? *Deut.* 32.

℣. Malum et amárum est reliquísse Dóminum Deum. *Jerem.* 2. * Numquid. Glória Patri. * Numquid.

FERIA QUINTA.

De Libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 4.

ADdidérunt fílii Israël fácere malum in conspéctu Dómini post mortem Aod. Et trádidit illos Dóminus in manus Jabin Regis Chánaan, qui regnávit in Azor, habuítque ducem exércitûs sui nómine Sísaram.... Clamaverúntque fílii Israël ad Dóminum: nongéntos enim habébat falcátos currus, et per vigínti annos vehemènter oppresserat eos. Erat autem Débora Prophétis uxor Lápidoth, quæ judicábat pópulum in illo témpore..... Ascendebántque ad eam fílii Israël in omne judícium. Quæ misit, et vocávit Barac,..... dixítque ad eum: Præcépit tibi Dóminus Deus Israël, vade, et duc exércitum in montem Thabor... Ego autem addúcam ad te in loco torréntis Cison, Sísaram Príncipem exércitûs Jabin, et currus ejus atque omnem multitúdinem, et tradam eos in manu tuâ.

℟. O quàm bonus est, Dómine, spíritus tuus in ómnibus! Eos qui exérrant, córripis, * Ut, relictâ malítiâ, credant in te.

℣. Docuísti pópulum tuum per tália ópera. *Sap.* 12. * Ut, relictâ.

Lectio ij.

DIxítque Débora ad Barac: Surge: hæc est enim dies in quâ trádidit Dóminus Sísaram in manus tuas, en ipse ductor est tuus. Descéndit ítaque Barac de monte Thabor, et decem míllia pugnatórum cum eo. Perterruítque Dóminus Sísaram..... in tantum ut Sísara de curru desíliens, pédibus fúgeret, et Barac persequerétur...... exércitum... et omnis hóstium multitúdo usque ad interneciónem cáderet. Sísara autem fúgiens pervénit ad tentórium Jahel uxóris Haber Cinæi.

℟. Dómine, memorá-

bor justítiæ tuæ solíus, et * Pronuntiábo mirabília tua. *Psal.* 70.

℣. Intélligens invíctos esse omnipoténtis Dei auxilio innitέntes. 2. *Mach.* 11. * Pronuntiábo.

Lectio iij.

EGréssa ígitur Jahel in occúrsum Sísaræ, dixit ad eum : Intra ad me, Dómine mi ; intra, ne tímeas. Qui ingréssus tabernáculum ejus, et opértus ab eâ pállio, dixit ad eam : Da mihi, óbsecro, páululùm aquæ, quia sítio valdè. Quæ apéruit utrem lactis, et dedit ei bíbere, et opéruit illum. Dixítque Sísara ad eam : Sta ante óstium tabernáculi ; et cùm vénerit áliquis intérrogans te, et dicens, Numquid hîc est áliquis ? respondébis : Nullus est. Tulit ítaque Jahel clavum tabernáculi, assúmens páriter et málleum, et ingréssa abscóndité et cum siléntio, pósuit suprà tempus cápitis ejus clavum, percussúmque málleo, defixit in cérebrum usque ad terram ; qui sopórem morti consócians, defécit, et mórtuus est.

℟. Quómodò cessávit exáctor ? Dóminus * Contrívit báculum impiórum, virgam dominántium. *Isa.* 14.

℣. Per manum féminæ percússit illum Dóminus Deus noster. *Judith.* 13. * Contrívit. Glória Patri. * Contrívit.

FERIA SEXTA.

De Libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 6.

VEnit Angelus Dómini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, et pertinébat ad Joas patrem famíliæ Ezri. Cùmque Gédeon fílius ejus excúteret atque purgáret fruménta in torculári ut fúgeret Mádian, appáruit ei Angelus Dómini, et ait : Dóminus tecum, virórum fortíssime. Dixítque ei Gédeon : Obsecro, mi Dómine, si Dóminus nobíscum est, cur apprehendérunt nos hæc ómnia ? Ubi sunt mirabília ejus quæ narravérunt patres nostri, atque dixérunt : De Ægypto edúxit

nos Dóminus? Nunc autem derelíquit nos Dóminus, et trádidit in manu Mádian.

℟. Quem díligit Dóminus, castígat: * Quis fílius quem non córripit pater? *Heb.* 12.

℣. Multipliciter flagéllas, (Dómine,) ut bonitátem tuam cogitémus, et sperémus misericórdiam tuam. *Sap.* 12. * Quis.

Lectio ij. Cap. 6. *et* 7.

RESpexítque ad eum Dóminus, et ait: Vade in hâc fortitúdine tuâ, et liberábis Israël de manu Mádian; scito quòd míserim te. Qui respóndens, ait: Obsecro, mi Dómine, in quo liberábo Israël? Ecce família mea ínfima est in Manásse, et ego mínimus in domo patris mei. Dixítque ei Dóminus: Ego ero tecum, et percúties Mádian quasi unum virum.... Ingréssus est Gédeon, et trecénti viri qui erant cum eo, in partem castrórum, incipiéntibus vigíliis noctis médiæ, et custódibus suscitátis cœpérunt búccinis clángere, et complódere inter se lagénas.

℟. Quis sicut Dóminus Deus noster, * Súscitans à terrâ ínopem, ut cóllocet eum cum Princípibus pópuli sui? *Ps.* 112.

℣. Infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia. 1. *Cor.* 1. * Súscitans.

Lectio iij.

CUmque per gyrum castrórum in tribus personárent locis, et hydrias confregíssent, tenuérunt sinístris mánibus lámpades, et dextris sonántes tubas, clamaverúntque: Gládius Dómini et Gedeónis: stantes singuli in loco suo per circúitum castrórum hostílium. Omnia ítaque castra turbáta sunt, et vociferántes ululantésque fugérunt. Et nihilóminùs insistébant trecénti viri búccinis personántes. Immisítque Dóminus gládium in ómnibus castris, et mútuâ se cæde truncábant.

℟. Vox exultatiónis et salútis in tabernáculis justórum: * Déxtera Dómini fecit virtútem. *Psal.* 117.

℣. Vovéte et rèddite Dómino Deo, terríbili et ei qui aufert spíritum Príncipum. *Ps*. 75. * Déxtera. Glória Patri. * Déxtera.

SABBATO.

De Libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 13.

RUrsùm filii Israël fecérunt malum in conspéctu Dómini; qui trádidit eos in manus Philisthinórum quadragínta annis. Erat autem quidam vir de Sáraa, et de stirpe Dan, nómine Mánue, habens uxórem stérilem; cui appáruit Angelus Dómini, et dixit ad eam: Stérilis es et absque lìberis, sed concípies et páries fílium. Cave ergò ne bibas vinum ac síceram, nec immúndum quidquam cómedas, quia concípies et páries fílium cujus non tanget caput novácula: erit enim Nazaræus Dei ab infántiâ suâ, et ex matris útero, et ipse incípiet liberáre Israël de manu Philisthinórum.... Péperit itaque fílium, et vocávit nomen ejus Samson. Crevítque puer, et benedíxit ei Dóminus, cœpítque Spíritus Dómini esse cum eo.

℟. Beátus * Quem elegísti et assumpsísti, Dómine. *Psal*. 64.

℣. Audívimus enim famam poténtiæ ejus. *Josue*. 9. * Quem.

Lectio ij. Cap. 15.

ASCendéntes Philisthiim in terram Juda castrametáti sunt in loco qui pósteà vocátus est Lechi, id est, maxílla, ubi eórum effúsus est exércitus. Dixerúntque ad eos de tribu Juda: Cur ascendístis advérsùm nos? Qui respondérunt: Ut ligémus Samson vénimus, et reddámus ei quæ in nos operátus est. Descendérunt ergò tria míllia virórum de Juda ad specum sílicis Etam, dixerúntque ad Samson: Nescis quòd Philísthiim imperent nobis? Ligáre, inquiunt, te vénimus, et trádere in manus Philisthinórum. Quibus Samson: Juráte, ait, et spondéte mihi, quòd non occidátis me. Dixérunt: Non te occidémus,

sed vinctum trادémus. Ligaverúntque eum duóbus novis fúnibus, et tulérunt eum de petrâ Etam.

℟. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et * Non pavébit, quóniam ipse est spes ejus. *Eccli.* 34.

℣. Non commovébitur, donec despíciat inimícos suos. *Psal.* 111. * Non.

Lectio iij.

QUi cùm venisset ad locum maxíllæ, et Philísthiim vociferántes occurríssent ei, írruit Spíritus Dómini in eum; et sicut solent ad ardórem ignis ligna consúmi, ita víncula, quibus ligátus erat, dissipáta sunt et solúta. Inventámque maxíllam, id est, mandíbulam ásini quæ jacébat, arrípiens, interfécit in eâ mille viros... Sitiénsque valdè, clamávit ad Dóminum, et ait: Tu dedísti in manu servi tui salútem hanc máximam, atque victóriam; en siti mórior, incidámque in manus incircumcisórum. Apéruit ítaque Dóminus molárem dentem in maxíllâ ásini, et egréssæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis, refocillávit spíritum, et vires recépit.

℟. Non secúndùm armórum poténtiam, sed * Prout ipsi placet, dat Dóminus dignis victóriam. 2. *Mach.* 15.

℣. Cognóscant Gentes poténtiam ejus, quia contrà Deum pugnáre non est fácile. *Eccli.* 46. * Prout. Glória Patri. * Prout.

Ad Magn. *Ant.* 4. *j.*

Non est sanctus ut est Dóminus; et non est fortis sicut Deus noster. 1. *Reg.* 2.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XIII.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber primus Regum.

Lectio j. Cap. 1.

FUit vir unus de Ramathaímsophim... Nomen ejus Elcana.. Et hábuit duas uxóres, nomen uni Anna, et nomen secúndæ Phenénna. Fue-

rúntque Phenénnæ filii, Annæ autem non erant liberi. Et ascendébat vir ille de civitáte suâ statútis diébus, ut adoráret et sacrificáret Dómino exercítuum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phínees, Sacerdótes Dómini... Cùm esset Anna amáro ánimo, orávit ad Dóminum, flens lárgiter; et votum vovit, dicens: Dómine exercítuum, si respíciens víderis afflictiónem fámulæ tuæ, et recordátus meî fúeris... dederísque servæ tuæ sexum virílem, dabo eum Dómino ómnibus diébus vitæ ejus, et novácula non ascéndet super caput ejus.

℟. Effúndo in conspéctu Dómini oratiónem meam, et * Tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio. *Ps.* 141.

℣. A Deo est omnis medéla. *Eccli.* 38. * Tribulatiónem.

Lectio ij.

FActum est post circulum diérum, concépit Anna, et péperit filium, vocavítque nomen ejus Sámuel, eò quòd à Dómino postulásset eum. Ascéndit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immoláret Dómino hóstiam solémnem, et votum suum. Et Anna non ascéndit: dixit enim viro suo: Non vadam donec ablactétur infans, et ducam eum, ut appáreat ante conspéctum Dómini, et máneat ibi júgiter..... Mansit ergò múlier, et lactávit filium suum, donec amovéret eum à lacte..... et addúxit eum ad domum Dómini.

℟. Lauda, stérilis, * Decánta laudem. *Is.* 54.

℣. Quis sicut Deus noster qui habitáre facit stérilem in domo, matrem filiórum lætántem? *Ps.* 112. * Decánta laudem.

Lectio iij. Cap. 2.

POrrò filii Heli, filii Bélial, nesciéntes Dóminum neque officium Sacerdótum ad pópulum.. Erat ergò peccátum puerórum grande nimis coràm Dómino, quia retrahébant hómines à sacrificio Dómini.... Heli autem erat senex valdè; et audívit ómnia quæ faciébant filii sui univérso Israéli..

et

et dixit eis : Quarè fácitis res hujuscémodi, quas ego áudio, res péssimas, ab omni pópulo ? Nolíte, fílii mei : non enim est bona fama quam ego áudio, ut tránsgredi faciátis pópulum Dómini. Si peccáverit vir in virum, placári ei potest Deus; si autem in Dóminum peccáverit vir, quis orábit pro eo? Et non audiérunt vocem patris sui.

℟. Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui Evangélium Dei : * Exhortátio nostra non de erróre, neque de immundítiâ, neque in dolo. 1. *Thess.* 2.

℣. Væ pastóribus qui dispérdunt, et dilácerant gregem páscuæ. *Jerem.* 23. * Exhortátio nostra. Glória Patri. * Exhortátio.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
Sancti Cároli Epíscopi.
Orat. hab. in Conc. prov. Mediol.

Lectio iv.

MOrum disciplínam fácilè restituémus, si, quâ ratióne, quibúsve factis primùm constitúta, diùque conserváta est, eádem nos in restituéndâ adhibébimus, illórum vestígia persequéntes, qui hanc bonórum amplitúdinem, nobis, Deo auctóre, suâ virtúte peperérunt. Proponámus nobis, quæso, illórum vitæ sanctitátem, et in administratióne sui offícii sapiéntiam. Erant íntegri, casti, símplices, modésti, húmiles, benè moráti, in oratióne et lectióne assídui, sui despiciéntes, in aliénæ salútis curâ et cogitatióne defíxi, consílio et óperâ benígni, hospitáles, in doméstico cultu et victu parci, in álios benéfici et liberáles.

℟. Dómine Deus, qui fecísti patres eléctos, et sanctificásti eos, * Custódi partem tuam, et sanctífica. 2. *Mach.* 1.

℣. Ut in opéribus bonis ambulémus. *Eph.* 2. * Custódi.

Lectio v.

ERant vigilántes super grégibus suis, víneam Dómini summâ diligéntiâ et labóre coléntes et cus-

todiéntes. Pascébant assídué oves sibi commíssas tríplici salútis cibo: verbo, exémplo, et sacraméntis. Mémores quoque et imitatóres summi Pastóris Christi, qui pro univérso grege suo sánguinem et vitam profúdit, ipsi pro suárum óvium incolumitáte quemvis excípere labórem, subíre omnes casus, omnem vim atque injúriam perférre, dénique ut bonus ille Pastor Evangélicus, ánimam suam pro óvibus suis pónere non dubitábant, nullum indè hujus vitæ fructum expectántes, ut máximos cœléstis retributiónis fructus consequeréntur.

℟. Sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur, * Non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda.

℣. Desiderántes cúpidè trádere non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras. 1. *Thess.* 2. * Non.

Lectio vj.

HÆc si, ut debémus, [...] quid in restitutióne ecclesiásticæ disciplínæ nobis sit hoc témpore agéndum, in quo étiam illud animadverténdum erit, ut quemádmodùm in conformándâ, et constituéndâ ecclesiásticâ ratióne Christus Dóminus ab ipsis Apóstolis, quos christiánæ vitæ magistros esse volúerat, inítium fecit: sic nos à nobis ipsis Pastóribus, quos vivéndi exémpla et præcépta áliis trádere opórtet, in conformándâ restituendâque morum disciplínâ exordiámur.

℟. Ne quis nos vitúperet, * Providémus bona non solùm coràm Deo, sed étiam coràm homínibus. 2. *Cor.* 8.

℣. Forma facti gregis ex ánimo. 1. *Pet.* 5. * Providémus. Glória Patri. * Providémus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo témpore, Dùm

Samaríam, et Galilæam. Et cùm ingrederétur quòddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília
Sancti Bernárdi Abbátis.
De divers. Serm. 27.

MUltos vidémus usque hódiè satis importúnè peténtes quod sibi deésse cognóverint; sed paucos ádmodùm nóvimus, qui dignas super accéptis benefíciis grátias ágere videántur. Nec reprehensíbile est quòd instánter pétimus; sed planè petitióni negat efféctum, quòd invenímur ingráti. Et fortè hoc étiam cleméntiæ esse vidétur, ingrátis negáre quod póstulant, ne contíngat nobis ut tantò gráviùs de ingratitúdine judicémur, quantò magis accumulátis benefíciis ingráti probábimur extitísse.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino, et * Noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102.

℣. Immola Deo sacrifícium laudis, et redde Altíssimo vota tua. *Ps.* 49. * Noli.

Lectio viij.

FElix Samaritánus ille, qui cognóvit se nihil habére, quod non accepisset, et idcircò servávit depósitum, et cum gratiárum actióne ad Dóminum est revérsus. Felix qui ad síngula dona grátiæ redit ad eum, in quo est plenitúdo ómnium gratiárum; cui dùm nos pro accéptis non ingrátos exhibémus, locum in nobis fácimus grátiæ, ut majóra adhuc accípere mereámur. Omnìnò enim sola nos à proféctu conversatiónis ímpedit ingratitúdo nostra, dùm quodam modo amíssum réputans dator, quod ingrátus accépit, cavet sibi de cætero, ne tantò plura amítteret, quantò plura conférret ingráto. Felix proìndè qui se alienígenam réputans, étiam pro mínimis quibúsque benefíciis, non mínimas refert grates, gratúitum esse non dúbitans, neque dissímulans quòd aliéno impénditur et ignóto.

℟. Quid retríbuam Dómino * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

℣. Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus. *Ps.* 115. * Pro ómnibus.

Lectio ix.

OBsecro itaque, fratres mei, humiliémur magis ac magis sub poténti manu Dei, et ab hoc tàm máximo, tàm nequíssimo vítio ingratitúdinis longè fieri studeámus; ut totâ devotióne in gratiárum actióne versántes, conciliémus nobis grátiam Dei nostri, quæ sola potest salváre ánimas nostras. Nec verbo tantùm vel linguâ, sed ópere et veritáte exhibeámus nos gratos; quia gratiárum actiónem magis quàm dictiónem à nobis éxigit dator gratiárum Dóminus Deus noster qui est benedíctus in sæcula.

℟. Ideò et nos * Grátias ágimus Deo, sine intermissióne. 1. *Thessal.* 2.

℣. In ómnibus dívites facti. 1. *Cor.* 1. * Grátias. Glória. * Grátias.

Ad Bened. *Ant.*

Dixit Jesus: Nonne decem mundáti sunt? et novem ubi sunt? non est invéntus qui redíret et daret glóriam Deo, nisi hic alienigena. *Luc.* 17.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, da nobis fídei, spei et charitátis augméntum; et, ut mereámur ássequi quod promittis, fac nos amáre quod præcipis. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 5. a.

Ait Samaritáno Jesus: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. *Luc.* 17.

FERIA SECUNDA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

VEnit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Hæc dicit Dóminus.. Quarè calce abjecistis víctimam meam, et múnera mea quæ præcépi ut offerréntur in templo, et magis honorásti fílios tuos quàm me, ut comederétis primítias omnis sacrifícii Israël pópuli mei? Proptéreà ait Dóminus Deus Israël: Loquens, locútus sum ut domus tua, et domus patris tui ministráret in conspéctu meo usque in sempitérnum. Nuncau

tem dicit Dóminus: Absit hoc à me: sed quicúnque glorificáverit me, glorificábo eum; qui autem contémnunt me, erunt ignóbiles. Ecce dies véniunt, et præcidam bráchium tuum et bráchium domûs patris tui, ut non sit senex in domo tuâ.

℟. Deus, qui sapiéntiâ tuâ constituísti hóminem, ut in directióne cordis judícium júdicet, * Noli me reprobáre à púeris tuis. *Sap.* 9.

℣. Docébo iníquos vias tuas, et ímpii ad te converténtur. *Ps.* 50. * Noli.

Lectio ij.

VErúmtamen non áuferam pénitùs virum ex te ab altári meo, sed ut defíciant óculi tui, et tabéscat ánima tua; et pars magna domûs tuæ moriétur, cùm ad virílem ætátem vénerit. Hoc autem erit tibi signum, quod ventúrum est duóbus fíliis tuis, Ophni et Phínees: In die uno moriéntur ambo. Et suscitábo mihi Sacerdótem fidélem qui juxtà cor meum et ánimam meam fáciet. Et ædificábo ei domum fidélem, et ambulábit coràm Christo meo cunctis diébus.

℟. Vide ergò severitátem Dei in eos qui * Cecidérunt. *Rom.* 11.

℣. Nihil habéntes dignum Sacerdótio. 2. *Machab.* 4. * Cecidérunt.

Lectio iij. Cap. 3.

VEnit Dóminus et stetit, et vocávit, sicut vocáverat secúndò: Sámuel, Sámuel. Et ait Sámuel: Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. Et dixit Dóminus ad Samuélem: Ecce ego fácio verbum in Israël, quod quicúnque audíerit, tinnient ambæ aures ejus. In die illâ suscitábo advérsùm Heli ómnia quæ locútus sum super domum ejus. Vocávit ergò Heli Samuélem, et dixit: Sámuel, fili mi; cùi respóndens ait: Præstò sum. Et interrogávit eum: Quis est sermo, quem locútus est Dóminus ad te, oro te, ne celáveris me. Indicávit ítaque ei Sámuel univérsos sermónes, et non abscóndit ab eo, et ille respóndit: Dóminus

est, quod bonum est in óculis suis fáciat.

℟. Et nunc * Intellígite, erudímini qui judicátis terram. *Ps.* 2.

℣. Judícium duríssimum his qui præsunt, fiet. *Sap.* 6. * Intellígite. Glória Patri. * Intellígite.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 7.

AIt Sámuel ad univérsam domum Israël, dicens : Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum, auférte deos aliénos de médio vestrî, Báalim et Astaroth, et præparáte corda vestra Dómino, et servíte ei soli, et éruet vos de manu Philísthiim. Abstulérunt ergò filii Israël Báalim et Astaroth, et serviérunt Dómino soli. Dixit autem Sámuel : Congregáte univérsum Israël in Masphath, ut orem pro vobis Dóminum. Et convenérunt in Masphath, hauseruntque aquam, et effudérunt in conspéctu Dómini, et jejunavérunt in die illâ, atque dixérunt ibi : Peccávimus Dómino. Judicavítque Sámuel filios Israël in Masphath.

℟. Sacrificium Deo spíritus contribulátus : * Cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies. *Ps.* 50.

℣. Scio enim quia tu Deus clemens, pátiens, et multæ miseratiónis, et ignóscens super malítiâ. *Jonæ.* 4. * Cor.

Lectio ij.

ET audiérunt Philísthiim quòd congregáti essent filii Israël in Masphath, et ascendérunt Sátrapæ Philistinórum ad Israël. Quod cùm audíssent filii Israël, timuérunt à fácie Philisthinórum, dixeríntque ad Samuélem : Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinórum. Tulit autem Sámuel agnum lacténtem unum, et óbtulit illum holocáustum íntegrum Dómino, et clamávit Sámuel ad Dóminum pro Israël, et exaudívit eum Dóminus.

℟. Multùm enim * Va-

let deprecátio justi assídua. *Jac.* 5.

℣. Nubes penetrábit, et non discédet, donec Altíssimus aspíciat, et Dóminus non elongábit. *Eccli.* 35. * Valet.

Lectio iij.

FActum est autem cùm Sámuel offérret holocáustum, Philísthiim iniére prælium contrà Israël; intónuit autem Dóminus fragóre magno in die illâ super Philísthiim, et extérruit eos, et cæsi sunt à fácie Israël. Egressique viri Israël de Masphath, persecúti sunt Philisthæos, et percussérunt eos usque ad locum qui erat subter Bethchar. Tulit autem Sámuel lápidem unum, et pósuit eum inter Masphath et inter Sen, et vocávit nomen loci illíus, Lapis adjutórii; dixítque: Hùc usque auxiliátus est nobis Dóminus; et humiliáti sunt Philísthiim, nec apposuérunt ultrà ut venírent in términos Israël. Facta est itaque manus Dómini super Philisthæos cunctis diébus Samuélis.

℟. Deo autem grátias, qui * Dedit victóriam. 1. *Cor.* 15.

℣. In multitúdine misericórdiæ. *Ps.* 68. * Dedit. Glória Patri, etc. * Dedit.

FERIA QUARTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 8.

FActum est autem cùm senuísset Sámuel, pósuit fílios suos Júdices Israël. Fuítque nomen fílii ejus primogéniti Joël, et nomen secúndi, Abia, Júdicum in Bersabée. Et non ambulavérunt filii illíus in viis ejus, sed declinavérunt post avarítiam, acceperúntque múnera, et pervertérunt judícium. Congregáti ergò univérsi majóres natu Israël, venérunt ad Samuélem in Rámatha. Dixerúntque ei: Ecce senuísti, et fílii tui non ámbulant in viis tuis: constítue nobis Regem ut júdicet nos, sicut et univérsæ habent natiónes.

℟. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum;

*. (Dómine,) inclína cor meum in testimónia tua, et non in avarítiam. *Ps.* 118.

℣. Cor exercitátum avarítiâ habéntes, maledictiónis filii erravérunt. 2. *Pet.* 2. * Dómine.

Lectio ij. Cap. 8. et 9.

Displícuit sermo in óculis Samuélis... Et orávit Sámuel ad Dóminum. Dixit autem Dóminus ad Samuélem: Audi vocem pópuli in ómnibus quæ loquúntur tibi.. Erat vir de Bénjamin, nómine Cis... fortis róbore, et erat ei filius vocábulo Saül, eléctus et bonus; et non erat vir de filiis Israël mélior illo. Ab húmero et sursùm eminébat super omnem pópulum. Períerant autem ásinæ Cis patris Saül, et dixit Cis ad Saül filium suum: Tolle tecum unum de púeris, et consúrgens vade, et quære ásinas... Cùm autem venissent in terram Suph, dixit Saül ad púerum qui erat cum eo: Veni, et revertámur, ne fortè dimíserit pater meus ásinas, et sollícitus sit pro nobis. Qui aït ei: Ecce vir Dei est in civitáte hâc, vir nóbilis, omne quod lóquitur sine ambiguitáte venit. Nunc ergò eámus illùc, si fortè índicet nobis de viâ nostrâ, propter quam vénimus.

℟. Sapiéntia attíngit à fine usque ad finem fórtiter, et * Dispónit ómnia suáviter. *Sap.* 8.

℣. Quàm investigábiles viæ ejus! *Rom.* 11. * Dispónit.

Lectio iij.

Et ascendérunt in civitátem. Cùmque illi ambulárent in médio urbis, appáruit Sámuel egrédiens óbviàm eis ut ascénderet in excélsum. Dóminus autem reveláverat aurículam Samuélis ante unam diem quàm veníret Saül, dicens: Hâc ipsâ horâ quæ nunc est, cras mittam ad te virum de terrâ Bénjamin, et unges eum ducem super pópulum meum Israël, et salvábit pópulum meum de manu Philistinórum, quia respéxi pópulum meum: venit enim clamor eórum ad me. Cùmque aspexísset Sámuel Saülem, Dóminus dixit ei: Ecce vir quem

díxeram tibi, iste dominábitur pópulo meo.

℟. Pater, tua * Providéntia gubérnat. *Sap.* 14.
℣. Dómini est assúmptio nostra. *Psal.* 88. * Providéntia. Glória Patri. * Providéntia.

FERIA QUINTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 9. *et* 10.

ACcéssit autem Saül ad Samuélem in médio portæ, et ait: Indica, oro, mihi ubi est domus Vidéntis. Et respóndit Sámuel Saúli, dicens: Ego sum Videns, ascénde ante me in excélsum, ut comedátis mecum hódiè, et dimíttam te manè, et ómnia quæ sunt in corde tuo indicábo tibi..... Cùmque descénderent in extrémâ parte civitátis, Sámuel dixit ad Saül: Dic púero ut antecédat nos, et transeat; tu autem, subsíste paulísper, ut indicem tibi verbum Dómini. Tulit autem Sámuel lentículam ólei, et effúdit super caput ejus, et deosculátus est eum; et ait: Ecce unxit te Dóminus super hæreditátem suam in Príncipem, et liberábis pópulum suum de mánibus inimicórum ejus, qui in circúitu ejus sunt.

℟. In manu Dei potéstas terræ, et * Utilem rectórem suscitábit in tempus super illam. *Eccli.* 10.
℣. Reges in sólio cóllocat in perpétuum, et illi erigúntur. *Job.* 36. * Utilem.

Lectio ij. Cap. 12.

DIxit autem Sámuel ad univérsum Israël: Ecce audívi vocem vestram, juxtà ómnia quæ locúti estis ad me, et constítui super vos Regem. Et nunc Rex gráditur ante vos. Ego autem sénui et incánui... Itaque conversátus coràm vobis ab adolescéntiâ meâ, usque ad hanc diem, ecce præstò sum, loquímini de me coràm Dómino, et coràm Christo ejus, utrùm bovem cujúsquam túlerim aut ásinum, si quémpiam calumniátus sum, si oppréssi áliquem, si de manu cujúsquam munus accépi; et contémnam illud

hódiè, restituámque vobis. Et dixérunt: Non es calumniátus nos, neque oppressísti, neque tulísti de manu alicújus quíppiam.

℟. Sámuel * Renovávit impérium, et cógnitus est fidélis. *Eccli.* 46.

℣. Et quis potest simíliter sic gloriári? *Eccli.* 48. * Renovávit.

Lectio iij.

NUnc ergò præstò est Rex vester quem elegístis et petístis; ecce dedit vobis Dóminus Regem. Si timuéritis Dóminum, et serviéritis ei, et audiéritis vocem ejus, et non exasperavéritis os Dómini, éritis et vos, et Rex qui ímperat vobis, sequéntes Dóminum Deum vestrum; si autem non audiéritis vocem Dómini, sed exasperavéritis sermónes ejus, erit manus Dómini super vos, et super patres vestros.

℟. Et nos * Numquid inobediéntes faciémus omne malum grande hoc, ut prævaricémur in Deo nostro? 2. *Esd.* 13.

℣. Nequáquam erit istud. 1. *Reg.* 20. * Numquid. Glória Patri. * Numquid.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 13.

PHilisthiim congregáti sunt ad præliándum contrà Israël, triginta míllia cúrruum, et sex míllia équitum, et réliquum vulgus, sicut aréna quæ est in líttore maris plúrima. Et ascendéntes castrametáti sunt in Machmas ad oriéntem Béthaven. Quod cùm vidíssent fílii Israël se in areto pósitos, (afflíctus enim erat pópulus,) abscondérunt se in spelúncis, et in ábditis, in petris quoque, et in antris, et in cistérnis.

℟. Etiámsi occíderit me (Dóminus,) * In ipso sperábo. *Job.* 13.

℣. Quia ipse est Dóminus Deus noster, et nos pópulus páscuæ ejus, et oves manûs ejus. *Ps.* 94. * In ipso.

Lectio ij.

HEbræi autem transiérunt Jordánem in

terram Gad et Gálaad. Cùmque adhuc esset Saül in Gálgala, univérsus pópulus pertérritus est, qui sequebátur eum. Et expectávit septem diébus juxtà plácitum Samuélis, et non venit Sámuel in Gálgala, dilapsúsque est pópulus ab eo. Ait ergò Saül: Afférte mihi holocáustum et pacífica; et óbtulit holocáustum. Cùmque complésset ófferens holocáustum, ecce Sámuel veniébat, et egréssus est Saül óbviàm ei, ut salutáret eum.

℟. Hujuscémodi ministérium non reputábitur in glóriam * A Dómino Deo. 2. *Paralip.* 26.

℣. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur tanquam Áaron. *Heb.* 5. * A Dómino Deo.

Lectio iij.

LOcutúsque est ad eum Sámuel: Quid fecísti? Respóndit Saül: Quia vidi quòd pópulus dilaberétur à me, et tu non véneras juxtà plácitos dies (porrò Philísthiim congregáti fúerant in Machmas,) dixi: Nunc descéndent Philísthiim ad me in Gálgala, et fáciem Dómini non placávi; necessitáte compúlsus, óbtuli holocáustum. Dixítque Sámuel ad Saül: Stultè egísti, nec custodísti mandáta Dómini Dei tui quæ præcépit tibi. Quod si non fecísses, jam nunc præparásset Dóminus regnum tuum super Israël in sempitérnum. Sed nequáquam regnum tuum ultrà consúrget.

℟. Si Deus non pepércit, * Vide severitátem Dei. *Rom.* 11.

℣. Ut audiéntes timórem hábeant, et nequáquam tália áudeant fácere. *Deut.* 19. * Vide severitátem. Glória Patri. * Vide severitátem.

SABBATO.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

ET dixit Sámuel ad Saül: Me misit Dóminus ut úngerem te in Regem super pópulum ejus Israël. Nunc ergò audi vocem Dómini; hæc dicit Dóminus exercítuum:

Recénsui quæcúnque fecit Amalec Israéli, quómodò réstitit ei in viâ, cùm ascénderet de Ægypto. Nunc ergò vade et pércute Amalec, et demolíre univérsa ejus. Non parcas ei, et non concupíscas ex rebus ipsíus áliquid, sed intérfice à viro usque ad mulierem, et párvulum atque lacténtem, bovem et ovem, camélum et ásinum.

℟. Deus mutat témpora, * Transfert regna atque constítuit. *Dan.* 2.

℣. Solus potens, Rex Regum, et Dóminus dominántium. 1. *Tim.* 6. * Transfert.

Lectio ij.

PErcússit Saül Amalec.. et apprehéndit Agag Regem Amalec vivum; omne autem vulgus interfécit in ore gládii. Et pepércit Saül et pópulus, Agag, et óptimis grégibus óvium et armentórum, et véstibus, et ariétibus, et univérsis quæ pulchra erant, nec voluérunt dispérdere ea: quidquid verò vile fuit et réprobum, hoc demolíti sunt. Factum est autem verbum Dómini ad Sámuel, dicens: Pœnitet me quòd constitúerim Saül Regem, quia derelíquit me, et verba mea ópere non implévit. Contristatúsque est Sámuel, et clamávit ad Dóminum totâ nocte.

℟. Ut fácerem * Voluntátem tuam, Deus meus, vólui. *Ps.* 39.

℣. Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3. * Voluntátem.

Lectio iij.

AIt autem Sámuel ad Saül.. Quarè ergò non audísti vocem Dómini, sed versus ad prædam es, et fecísti malum in óculis Dómini? Et ait Saül ad Samuélem: Imò audivi vocem Dómini... et addúxi Agag Regem Amalec, et Amalec interféci. Tulit autem de prædâ pópulus oves et boves, primítias eórum quæ cæsa sunt, ut ímmolet Dómino Deo suo in Gálgalis. Et ait Sámuel: Numquid Dóminus vult holocáusta et víctimas, et non pótiùs ut obediátur voci Dómini? Mélior est enim obediéntia quàm víctimæ, et auscultáre magis quàm offérre ádipem arie-

tum... Prò eo ergò quòd abjecisti sermónem Dómini, abjécit te Dóminus ne sis Rex.

℟. Sive bonum est (verbum in quo miserit Dóminus,) sive malum, * Voci Dómini Dei nostri obediémus. *Jerem.* 4.

℣. Quia Dóminus Deus ipse est Deus deórum, Deus magnus, potens et terríbilis. *Deut.* 10. * Voci. Glória Patri, etc. * Voci.

Ad Magn. *Ant.* 4. *E.*

Multò mélior est obediéntia quàm stultórum víctimæ, qui nésciunt quid fáciunt mali. *Eccle.* 4.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XIV.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 16.

DIxit Dóminus ad Samuélem: Usquequò tu luges Saül; cùm ego projécerim eum ne regnèt super Israël? Imple cornu tuum óleo, et veni ut mittam te ad Isaï Bethleemitem: provídi enim in fíliis ejus mihi Regem.... Fecit ergò Sámuel sicut locútus est ei Dóminus, venitque in Béthleem..... Sanctificávit ergò Isaï et fílios ejus, et vocávit eos ad sacrifícium. Cùmque ingréssi essent, vidit Eliab, et ait: Num coràm Dómino est Christus ejus? Et dixit Dóminus ad Samuélem: Ne respícias vultum ejus, neque altitúdinem statúræ ejus, quóniam abjéci eum, nec juxtà intúitum hóminis ego júdico: homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor.

℟. Intellexísti cogitatiónes de longè; * Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima et antíqua. *Ps.* 138.

℣. Præparatiónem cordis audívit auris tua. *Ps.* 9. * Ecce, Dómine.

Lectio ij.

ADdúxit itaque Isaï septem fílios suos coràm Samuéle; et ait Sámuel ad Isaï: Non elégit Dóminus ex istis, num-

quid jam compléti sunt filii? Qui respóndit: Adhuc réliquus est párvulus, et pascit oves. Et ait Sámuel ad Isaï: Mitte, et adduc eum: nec enim discumbémus priúsquàm hùc ille véniat. Misit ergò, et addúxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspéctu, decorâque fácie. Et ait Dóminus: Surge, unge eum, ipse est enim. Tulit ergò Sámuel cornu ólei, et unxit eum in médio fratrum ejus, et diréctus est Spíritus Dómini à die illâ in David, et deínceps; surgénsque Sámuel, ábiit in Rámatha.

℟. Elégit (Dóminus) David servum suum, et sústulit eum de grégibus * Páscere Israël hæreditátem suám. *Ps.* 77.

℣. Quasi adeps separátus à carne, sic David à filiis Israël. *Eccli.* 47. * Páscere.

Lectio iij.

Spíritus autem Dómini recéssit à Saül, et exagitábat eum spíritus nequam à Dómino... Et ait Saül ad servos suos: Providéte ergò mihi áliquem bene psalléntem, et addúcite eum ad me. Et respóndens unus de púeris, ait: Ecce vidi filium Isaï Bethleemítem sciéntem psállere, et fortíssimum róbore, et virum bellicósum, et prudéntem in verbis, et virum pulchrum, et Dóminus est cum eo. Misit ergò Saül núntios ad Isaï, dicens: Mitte ad me David filium tuum qui est in páscuis... Et venit David ad Saül, et stetit coràm eo. At ille diléxit eum nimis, et factus est ejus ármiger.

℟. Ne projícias me à fácie tuâ, Dómine, et * Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. *Ps.* 50.

℣. Animæ irreverénti et infrunitæ ne tradas me. *Eccli.* 23. * Spíritum. Glória Patri. * Spíritum.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
S. Joánnis Chrysóstomi.

De Sacerd. Lib. 4. *cap.* 1.

Lectio iv.

Optárim ego istam opiniónem verám esse,

público múneri, (etsi millies eos dicas vi pertráctos fuisse, atque ignorántiâ peccásse:) optárim, inquam, eos effúgere posse iguem illum ætérnum, nec cum hypócritis et infidélibus partem habére. Verùm quid tibi fáciam? Non ita se res habet, non ita sanè. Ac si placet, à regno primùm, quod apud Deum tanti non est quanti Sacerdótium, eórum quæ dixi fidem fáciam. Saül, ille filius Cis, non suópte motu et curâ Rex factus est; sed ábiit ut quæreret ásinas, et super iis Prophétam interrogáre cœpit: ille verò de regno illum allocútus est. Neque tamen ille statim regnum ádiit, licèt id à Prophétâ audísset; sed deprecabátur, renuebátque, dicens: Quis sum ego, et quæ domus patris mei? Quid ergò? An, cùm honóre sibi per Deum trádito malè usus esset, pótuit his verbis éximi ab irâ ejus, qui se in Regem constitúerat?

℟. Horréndè apparébit * Quóniam judícium duríssimum his qui præsunt fiet.

℣. Exíguo enim concéditur misericórdia, poténtes autem poténter torménta patiéntur. *Sap.* 6. * Quóniam.

Lectio v.

ATqui póterat ad Samuélem increpántem dícere: Num ego regnum invási? num insílui in hanc poténtiam? Vitam privátam, otiósam, et quiétam dúcere volébam; tu verò me in hanc dignitátem pertraxísti. Si in illâ humilitáte permansíssem, hæc offendícula fácilè declinássem: nam, cùm ex vulgárium et ignobilium essem número, ad hoc opus missus nunquàm fuíssem, neque mihi bellum contrà Amalecítas Deus commisísset; quo mihi non commísso, in peccátum hujúsmodi nunquàm incidíssem. Verùm hæc ómnia ad defensiónem infírma sunt, nec infírma modò, sed periculósa, quæ Dei magis iram accéndant.

℟. Verè * Scio quòd non justificétur homo compósitus Deo.

℣. Etiámsi habúero quíppiam justum, non respondébo, sed meum júdicem deprecábor. *Job.* 9. * Scio.

Lectio vj.

EUm enim qui méritis majórem dignitátem accépit, non opórtet ad peccatórum excusatiónem honóris magnitúdinem osténdere, sed ad majórem in virtúte proféctum uti magno illo Dei ergà se stúdio. Ille veró, quia meliórem nactus dignitátem, ídeò peccáre sibi lícitum esse existimábat, nihil áliud quàm Dei cleméntiam peccatórum suórum causam fácere conátus est. Quod sanè ímpiis, et iis qui vitam ignávè ducunt, mos est dícere. Nos autem non sic afféctos esse, nec in símilem decídere insániam decet; sed ubíque curáre, ut quæ facultátis nostræ sunt adhibeámus, ac benè de Deo cogitémus et loquámur.

℟. Grátiâ Dei sum id quod sum: * Laborávi sum, quia qui cœpit opus bonum, perfíciet. *Philip.* 1. * Laborávi. Glória Patri. * Laborávi.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget; aut unum sustinébit, et álterum contémnet: non potéstis Deo servíre, et mammónæ. Et réliqua.

Homília
S. Joánnis Chrysóstomi.
Hom. 21. *in cap.* 6. *Matth.*

NE in vanum philosophéris: nam Deus tulit senténtiam, dixítque non posse hanc et illam servitútem unà concúrrere. Ne dicas ergò tu posse concúrrere: cùm enim

ille ventrem moderári; hic despícere præséntia, ille iis hærére; quómodò possunt hæc convenire? Hîc porrò dóminum mammónam vocat, non quòd natúrâ talis sit, sed ob eórum, qui sese illi subjecére, misériam.. Nam hinc damnum ingens, lites, moléstiæ, concertatiónes, labóres, ánimæ cæcitas; et, quod ómnium gravíssimum est, illa mammónæ sérvitus à supérnis bonis nos déjicit.

℟. Dómino * Deo nostro serviémus, quia ipse est Deus noster. *Jos.* 24.

℣. Grátias Deo quòd liberáti à peccáto, servi facti (sumus) justítiæ. *Rom.* 6. * Deo nostro.

Lectio viij.

(Respicite volatília cœli, quóniam neque serunt, neque metunt.) Quid ígitur? ínquies, annon seréndum erit? Non dixit non esse seréndum, sed non sollícitum esse oportére; neque dixit non operándum, sed non pusillánimum esse; neque sese sollicitúdinibus macerare, nam aliménta súmere præcipit, sed absque sollicitúdine. Et quinam sunt, ínquies, qui non sollíciti fuérunt? Non audísti quot viros protúlerim? hoc et Apóstoli fórtiter egérunt, ómnibus relíctis nihil sollíciti; sic illa quinque míllia, sic tria míllia hóminum... Planum est autem non curam nostram, sed Dei providéntiam in iis étiam quæ óperâ nostrâ fíeri putámus, totum perfícere; ita ut si nos ille relínqueret, nec cura, nec sollicitúdo, nec labor, nec áliud quídpiam símile successúrum esset, sed ómnia pessùm abírent.

℟. Nisi Dóminus ædificáverit domum, in vanum laboravérunt qui ædíficant eam; * Nisi custodíerit civitátem, frustrà vígilat qui custódit eam. *Ps.* 126.

℣. Non simus fidéntes in nobis, sed in Deo. 2. *Cor.* 1. * Nisi custodíerit.

Lectio ix.

Ex Hom. 22.

Ne ítaque nos, quibus affluéntior adest rerum cópia quàm in mille fóntibus et convíviis, nempè Dei providéntiâ, sol-

liciti vel pusillánimes simus... Neque enim ideò creáti sumus ut comedámus, bibámus, et véstibus operiámur; sed ut placeámus Deo, et futúra consequámur bona. Sicut ígitur hæc perfunctóriè curánda, ita et perfunctóriè peténda sunt... nam indígnum te est Dóminum adire pro rebus hujúsmodi. Etenim qui omne stúdium, omnem curam adhibére debes pro ineffabilibus illis bonis, teípsum dedécoras, dùm in cupiditáte fluxárum rerum teípsum consúmis.

℟. Rogávi te, (Dómine,) * Tribue tantùm victui necessária. *Prov.* 30.

℣. Ut justificáti grátiâ Christi, hærédes simus secúndùm spem vitæ ætérnæ. *Tit.* 3. * Tribue. Glória Patri. * Tribue.

Ad Bened. *Ant.*

Respícite volatília cœli, quóniam non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea: et Pater vester cœléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? *Matth.* 6.

Oratio.

Custódi, Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétuâ; et quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis, et abstrahátur à nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 1. g.

Quærite primùm regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis. *Matth.* 6.

FERIA SECUNDA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17.

Congregántes Philísthiim ágmina sua in prælium, convenérunt in Socho Judæ, et castrametáti sunt inter Socho et Azeca in finibus Dommim. Porrò Saül et filii Israël congregáti venérunt in vallem Terebínthi, et direxérunt áciem ad pugnándum contrà Philísthiim... Et egréssus est vir spúrius de castris Philisthinórum, nómine Góliath, de Geth, altitúdinis

sex cubitórum et palmi; et cassis ærea super caput ejus, et loricâ squamátâ induebátur. Porrò pondus loricæ ejus quinque míllia siclórum æris erat. Et ócreas æreas habébat in crúribus, et clypeus æreus tegébat húmeros ejus. Hastíle autem hastæ ejus erat quasi liciatórium texéntium, ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcéntos siclos habébat ferri; et ármiger ejus antecedébat eum.

℟. Non secúndùm armórum poténtiam, sed * Prout ipsi placet dat Dóminus dignis victóriam. 2. *Machab.* 15.

℣. In manu Dei potéstas terræ, in manu Dei prospéritas hóminis. *Eccli.* 10. * Prout ipsi placet.

Lectio ij.

STansque clamábat advérsùm phalángas Israël, et dicébat eis: Quarè venístis paráti ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saül? Elígite ex vobis virum, et descéndat ad singuláre certámen. Si quíverit pugnáre mecum, et percússerit me, érimus vobis servi; si autem ego prævaluero, et percússero eum, vos servi éritis, et serviétis nobis.... Audiens autem Saül, et omnes Israëlítæ sermónes Philisthæi hujuscémodi, stupébant, et metuébant nimis.

℟. Qui dixérunt, Possideámus sanctuárium Dei, * Confundántur et cognóscant quia nomen tibi Dóminus. *Ps.* 82.

℣. Qui confídunt in virtúte suâ. *Ps.* 48. * Confundántur.

Lectio iij.

DIxit David...... Ego servus tuus vadam, et pugnábo advérsùs Philisthæum. Et ait Saül ad David: Non vales resístere Philisthæo isti, nec pugnáre advérsùs eum, quia puer es; hic autem vir bellátor est ab adolescéntiâ suâ. Dixítque David ad Saül: Pascébat servus tuus patris sui gregem, et veniébat leo, vel ursus, et tollébat aríetem de médio gregis, et persequébar eos, et percutiébam... nam et leónem et ursum interféci ego ser-

vus tuus. Erit igitur et Philisthæus hic incircumcísus quasi unus ex eis... Dóminus qui erípuit me de manu leónis, et de manu ursi, ipse me liberábit de manu Philisthæi hujus. Dixit autem Saül ad David: Vade, et Dóminus tecum sit.

℟. Adhærére Deo * Bonum est, pónere in Dómino Deo spem. *Ps.* 72.

℣. Beáti omnes qui confídunt in eo. *Ps.* 2. * Bonum. Glória Patri. * Bonum.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17.

TUlit David báculum suum quem semper habébat in mánibus, et elégit sibi quinque limpidíssimos lápides de torrénte, et misit eos in peram pastorálem, quam habébat secum, et fundam manu tulit, et procéssit advérsùm Philisthæum..... Et dixit Philisthæus ad David: Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum báculo?..... Veni ad me, et dabo carnes tuas volatílibus cœli, et béstiis terræ. Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gládio, et hastâ, et clypeo: ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercítuum, Dei ágminum Israël, quibus exprobrásti hódiè; et dabit te Dóminus in manu meâ, et percútiam te, et áuferam caput tuum à te.

℟. Supérbum séquitur humílitas, et * Húmilem spíritu suscípiet glória. *Prov.* 29.

℣. Maledíctus homo qui confídit in hómine, et ponit carnem bráchium suum. *Jerem.* 17. * Húmilem spíritu suscípiet glória.

Lectio ij.

CUm ergò surrexísset Philisthæus, et veníret, et appropinquáret contrà David, festinávit David, et cucúrrit ad pugnam ex advérso Philisthæi. Et misit manum suam in peram, tulítque unum lápidem et fundâ jecit, et circumdúcens per-

te, et infixus est lapis in fronte ejus, et cécidit in fáciem suam super terram. Prævaluítque David advérsùm Philisthæum in fundâ et lápide, percussúmque Philisthæum interfécit... Vidéntes autem Philisthiim quòd mórtuus esset fortíssimus eórum, fugérunt. Et consurgéntes viri Israël et Juda vociferáti sunt, et persecúti sunt Philisthæos.

℟. Vidi ímpium superexaltátum, et elevátum sicut cedros Líbani; et * Transívi, et ecce non erat. *Ps.* 36.

℣. David occídit gigántem, et ábstulit oppróbrium de gente. *Eccli.* 47.* Transívi, et ecce non erat.

Lectio iij. Cap. 18.

CUm reverterétur, percússo Philisthæo, David, egréssæ sunt mulíeres de univérsis úrbibus Israël, cantántes, choróśque ducéntes in occúrsum Saül Regis, in tympanis lætítiæ, et in sistris. Et præcinébant mulíeres ludéntes atque dicéntes: Percússit Saül mille, et David decem míllia. Irátus est autem Saül nimis, et displícuit in óculis ejus sermo iste, dixítque: Dedérunt David decem míllia, et mihi mille dedérunt; quid ei súperest, nisi solum regnum?

℟. Si spíritu vívimus, * Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem invidéntes. *Galat.* 5.

℣. Putrédo óssium invídia. *Prov.* 14. * Non. Glória Patri. * Non.

FERIA QUARTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 18.

NOn rectis ergò óculis Saül aspiciébat David à die illâ et deínceps. Post diem autem álteram invásit spíritus Dei malus Saül, et prophetábat in médio domûs suæ. David autem psallébat manu suâ, sicut per síngulos dies: tenebátque Saül lánceam, et misit eam, putans quòd configere posset David cum paríete, et declinávit David à fácie ejus secúndò. Et tímuit Saül David, eò quòd Dó-

minus esset cum eo, et à se recessísset.

℟. Invídiâ diáboli mors introívit in orbem terrárum; * Imitántur illum qui sunt ex parte illíus. *Sap.* 2.

℣. Insipiéntes in malítiâ et invídiâ agéntes. *Tit.* 3. * Imitántur.

Lectio ij. Cap. 26.

VEnérunt David et Abisaï ad pópulum nocte, et invenérunt Saül jacéntem et dormiéntem in tentório, et hastam fixam in terrâ ad caput ejus, Abner autem et pópulum dormiéntes in circúitu ejus. Dixítque Abísaï ad David: Conclúsit Deus inimícum tuum hódiè in manus tuas; nunc ergò perfódiam eum lánceâ in terrâ semel, et secúndò opus non erit. Et dixit David ad Abísaï: Ne interfícias eum: quis enim exténdet manum suam in Christum Dómini, et innocens erit? Et dixit David: Vivit Dóminus, quia nisi Dóminus percússerit eum, aut dies ejus vénerit ut moriátur, aut in prælium descéndens períerit; propítius sit mihi Dóminus, ne exténdam manum meam in Christum Dómini; nunc ígitur tolle hastam, quæ est ad caput ejus, et scyphum aquæ, et abeámus.

℟. Si est iníquitas in mánibus meis, * Si réddidi retribuéntibus mihi mala, décidam méritò ab inimícis meis inánis.

℣. Concúlcet in terrâ vitam meam inimícus, et glóriam meam in púlverem dedúcat. *Ps.* 7. * Si réddidi.

Lectio iij.

CUmque transísset David ex advérso, et stetísset in vértice montis de longè, et esset grande intervállum inter eos, clamávit David ad pópulum, et ad Abner. Quarè non custodísti Dóminum tuum Regem? Ingréssus est enim unus de turbâ ut interfíceret Regem...... Nunc ergò vide ubi sit hasta Regis, et ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus? Cognóvit autem Saül vocem David, et dixit: Numquid vox hæc est tua, fili mi, David? Et ait David: Vox mea, Dómine mi Rex. Et

aït: Quam ob causam Dóminus meus perséquitur servum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu meâ?.. Et ait Saül: Peccávi, revértere, fili mi, David; nequáquam enim ultrà tibi malefáciam, eò quòd pretiósa fúerit ánima mea in óculis tuis hódiè.

℟. Ergò * Non ulciscámur nos pro his quæ pátimur. *Judith.* 8.

℣. Qui pátiens est, mítigat rixas suscitátas. *Proverb.* 15. * Non ulciscámur nos pro his. Glória. * Non.

FERIA QUINTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 31.

PHilisthiim pugnábant advérsùm Israël, et fugérunt viri Israël ante fáciem Philísthiim, et cecidérunt interfécti in monte Gélboë. Irruerúntque Philísthiim in Saül et in filios ejus, et percussérunt Jónathan, et Amínadab, et Melchísua filios Saül, totúmque pondus prælii versum est in Saül; et consecúti sunt eum viri sagittárii, et vulnerátus est veheménter à sagittáriis.

℟. Tu terríbilis es, * (Deus Jacob,) quis resístet tibi? *Ps.* 75.

℣. Cognóscant vivéntes, quóniam dominátur Excélsus in regno hóminum, et cuicúnque volúerit, dabit illud. *Dan.* 4. * Deus.

Lectio ij.

DIxítque Saül ad armígerum suum: Evágina gládium tuum, et pércute me, ne fortè véniant incircumcísi isti, et interfíciant me, illudéntes mihi. Et nóluit ármiger ejus: fúerat enim nímio terróre pertérritus. Arrípuit ítaque Saül gládium, et írruit super eum.

℟. Terríbili et ei qui aufert spíritum Príncipum, * Terríbili apud Reges terræ.

℣. Ex tunc ira tua. *Ps.* 75. * Terríbili.

Lectio iij.

QUod cùm vidísset ármiger ejus, vidélicet quòd mórtuus esset Saül, írruit étiam ipse super glá-

dium suum, et mórtuus est cum eo. Mórtuus est ergò Saül, et tres filii ejus, et ármiger illíus, et univérsi viri ejus in die illâ páriter.

℟. Magnus es, Dómine, in ætérnum: * Non est qui effúgiat manum tuam. *Tob.* 13.

℣. Tu, Dómine, sicut voluísti, fecísti. *Jonæ.* 1. * Non est qui effúgiat manum tuam. Glória Patri, etc. * Non.

FERIA SEXTA.

Incipit Liber secúndus Regum.

Lectio j. Cap. 1.

Factum est autem, postquàm mórtuus est Saül, ut David reverterétur à cæde Amalec, et manéret in Síceleg duos dies. In die autem tértiâ appáruit homo véniens de castris Saül, veste conscíssâ, et púlvere conspérsus caput. Et ut venit ad David, cécidit super fáciem suam, et adorávit; dixítque ad eum David: Undè venis? Qui ait ad eum: De castris Israël fugi. Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? Indica mihi. Qui ait: Fugit pópulus ex prælio, et multi corruéntes è pópulo mórtui sunt; sed et Saül et Jónathas filius ejus interiérunt.

℟. Consílium Dómini in ætérnum manet: * Non salvátur Rex per multam virtútem. *Ps.* 32.

℣. Símili pœnâ servus cum dómino afflíctus est, et populáris homo Regi simília passus. *Sap.* 18. * Non.

Lectio ij.

Dixítque David ad adolescéntem qui nuntiábat ei: Undè scis quia mórtuus est Saül et Jónathas filius ejus? Et ait adoléscens qui nuntiábat ei: Casu veni in montem Gélboë, et Saül incumbébat super hastam suam: porrò currus et équites appropinquábant ei, et convérsus post tergum suum, vidénsque me vocávit. Cui cùm respondíssem: Adsum, dixit mihi: Quisnam es tu? et aio ad

eum: Amalecites ego sum. Et locútus est mihi: Sta super me, et intérfice me, quóniam tenent me angústiæ, et adhuc tota ánima mea in me est. Stansque super eum, occidi illum, sciébam enim quòd vívere non póterat post ruínam, et tuli diadéma quod erat in cápite ejus, et armíllam de bráchio illíus, et áttuli ad te Dóminum meum.

℟. Deus vitæ meæ, * Extolléntiam oculórum ne déderis mihi, et omne desidérium avérte à me. *Eccli.* 23.

℣. Ut non cadam ab ipsis. *Eccli.* 22. * Extolléntiam.

Lectio iij.

APprehéndens autem David vestiménta sua scidit, omnésque viri, qui erant cum eo, et planxérunt, et flevérunt, et jejunavérunt usque ad vésperam super Saül, et super Jónathan fílium ejus, et super pópulum Dómini, et super domum Israël, eò quòd corruíssent gládio. Dixítque David ad júvenem qui nuntiáverat ei: Undè es tu? Qui respóndit: Fílius hóminis ádvenæ Amalecítæ ego sum. Et ait ad eum David: Quarè non timuísti míttere manum tuam, ut occíderes Christum Dómini? Vocánsque David unum de púeris suis, ait: Accédens írrue in eum. Qui percússit illum, et mórtuus est.

℟. Ipse Dóminus Deus noster, * In univérsâ terrâ judícia ejus, dicens: Nolíte tángere Christos meos. *Ps.* 104.

℣. Deus non irridétur. *Galat.* 6. * In univérsâ. Glória Patri. * In univérsâ.

SABBATO.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

POst hæc consúluit David Dóminum, dicens: Num ascéndam in unam de civitátibus Juda? Et ait Dóminus ad eum: Ascénde. Dixítque David: Quò ascéndam? et respóndit ei: In Hebron. Ascéndit ergò David, et duæ uxóres ejus

Achínoam Jezraëlítes, et Abigaïl uxor Nabal Carméli : sed et viros qui erant cum eo, duxit David síngulos cum domo suâ, et mansérunt in óppidis Hebron. Venerúntque viri Juda, et unxérunt ibi David, ut regnáret super domum Juda.

℟. Sedes ducum superbórum destrúxit Deus, * Et sedére fecit mites pro eis. *Eccli.* 10.

℣. Fecit poténtiam in bráchio suo, depósuit poténtes de sede. *Luc.* 1. * Et sedére.

Lectio ij.

ET nuntiátum est David quòd viri Jabes Gálaad sepelíssent Saül. Misit ergò David núntios ad viros Jabes Gálaad, dixítque ad eos: Benedícti vos à Dómino, qui fecístis misericórdiam hanc cum Dómino vestro Saül, et sepelístis eum. Et nunc retríbuet vobis quidem Dóminus misericórdiam et veritátem: sed et ego reddam grátiam, eò quòd fecístis verbum istud...... Abner autem, fílius Ner, Princeps exércitûs Saül, tulit Isboseth fílium Saül, et circumdúxit eum per castra, Regémque constítuit..... super Israël univérsum.

℟. Qui credit in Dómino, *. Misericórdiam díligit. *Prov.* 14.

℣. Congáudet veritáti. 1. *Cor.* 13. * Misericórdiam.

Lectio iij. Cap. 2. 3. *et* 4.

QUadragínta annórum erat Isboseth fílius Saül, cùm regnáre cœpísset super Israël, et duóbus annis regnávit. Sola autem domus Juda sequebátur David... Facta est ergò longa concertátio inter domum Saül et inter domum David; David profíciscens et semper seípso robústior, domus autem Saül decréscens quotídiè... Ingréssi autem domum Isboseth fílii Remmon Beróthitæ, Rechab, et Bánaa, percussérunt eum, et fugérunt... et attulérunt caput Isboseth ad David in Hebron, dixerúntque ad Regem: Ecce caput Isboseth fílii Saül, inimíci tui... Respóndens autem David, dixit ad eos: Vivit Dóminus qui éruit ánimam meam de omni

angústiâ, quóniam eum qui annuntiáverat mihi et díxerat: Mórtuus est Saül, ténui et occídi eum..... Quantò magis nunc cùm hómines ímpii interfecérunt virum innóxium.... non quæram sánguinem ejus de manu vestrâ?.. Præcépit ítaque David púeris suis, et interfecérunt eos.

℟. Quàm * Magnus qui invénit sapiéntiam et sciéntiam! *Eccli.* 25.

℣. Secúndùm quod justum est, júdicat. *Eccli.* 8. * Magnus. Glória Patri. * Magnus.

Ad Magn. *Ant.* 2. D. David in suâ misericórdiâ consecútus est sedem regni in sæcula. 1. *Mach.* 2.

Oratio ut inf. ad Laudes.

DOMINICA XV.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 5.

VEnérunt univérsæ tribus Israël ad David in Hebron, dicéntes: Ecce nos, os tuum et caro tua sumus. Sed et heri et nudiustértius, cùm esset Saül Rex super nos, tu eras edúcens et redúcens Israël. Dixit autem Dóminus ad te: Tu pasces pópulum meum Israël, et tu eris dux super Israël. Venérunt quoque et Senióres Israël ad Regem in Hebron, et percússit cum eis Rex David fœdus in Hebron coràm Dómino, unxerúntque David in Regem super Israël.

℟. Tu dominátor virtútis, cùm magnâ reveréntiâ dispónis nos: * Subest enim tibi, cùm volúeris, posse. *Sap.* 12.

℣. Ungis Reges, et Prophétas facis. *Eccli.* 48. * Subest.

Lectio ij.

FIlius trigínta annórum erat David cùm regnáre cœpísset, et quadragínta annis regnávit. In Hebron regnávit super Judam septem annis, et sex ménsibus: In Jerúsalem autem regnávit trigínta tribus annis super omnem Israël et Judam... cepit autem David arcem Sion,

hæc est cívitas David.. et Dóminus Deus exercítuum erat cum eo.

℟. Obsecro, Dómine, sit auris tua atténdens ad oratiónem servi tui;* Dírige servum tuum. 2. *Esdr*. 1.

℣. In manus tuas comméndo spíritum meum. *Ps.* 30. * Dírige.

Lectio iij.

AUdiérunt ergò Philísthiim quòd unxíssent David in Regem super Israël, et ascendérunt univérsi ut quærerent David. Quod cùm audísset David, descéndit in præsídium. Philísthiim autem veniéntes, diffúsi sunt in valle Ráphaim, et consúluit David Dóminum, dicens: Si ascéndam ad Philísthiim? et si dabis eos in manu meâ? Et dixit Dóminus ad David: Ascénde, quia tradens dabo Philísthiim in manu tuâ. Venit ergò David in Baal Phárasim, et percússit eos ibi.

℟. Tu, * Dómine, dedísti in manu servi tui hanc máximam victóriam. *Judic.* 15.

℣. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine, magníficans salútes Regis. *Ps.* 17. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

IN II. NOCTURNO.

Sermo

Sancti Joánnis Chrysóst.

Hom. 2. de David et Saul.

Lectio iv.

CUm Saül incidísset in manus David, post datam salútem, ínsequens illum, et occídere volens; cùmque posset hostem cum univérso exércitu concídere, dimísit illum íntegrum et incólumem; ideòque cùm sciret morbum Regis immedicábilem esse, neque illum unquàm hostílem in se ánimum positúrum, submóvit sese ab óculis illíus, et apud Bárbaros vitam agébat sérviens, honóre privátus, pudóre suffúsus, labóre ac miséria sibi ipsi parans ad victum necessária. Atqui non hoc tantùm est quod mirémur; sed illud quoque quòd pósteà quàm audíerat Regem in ácie cecidísse, dis-

cidit vestem, et cinere se conspérsit, et eo luctu luxit, quo quis lugéret, amísso primogénito, germanóque filio, imprànsus mansit usque ad vésperam.. éxecrans et ipsa loca quæ Saúlis sánguinem excéperant.

℟. Cùm ceciderit inimícus, * In ruinâ ejus ne exúltet cor.

℣. Exémplo dídici disciplinam. *Prov.* 24. * In ruinâ.

Lectio v.

NUnc mihi quisque recordétur inimíci qui læsit, dolóre etiámnùm in ánimo æstuánte, atque hunc et vivum servet, et vitâ defúnctum deplóret, haud quidem ad ostentatiónem, sed ex ánimo veróque corde; etiámsi quid perferéndum sit incómmodi, ne quid offéndat eum qui læsit, ómnia tùm fáciat, tùm patiátur, magna à Deo expéctans præmia. Et hic étiam regnum adéptus est, nec tamen inquinávit cæde manus, sed dextram habens puram, sic corónâ redimitus est, sic ad sólium ascéndit, púrpurâ ac diadémate magnificéntius encómium gestans, vidélicet quòd hosti pepercísset, quòd eúmdem extínctum luxísset. Idcircò non vivus modò, sed et mórtuus, hóminum memóriâ celebrátur.

℟. Dómine Deus, * Si réddidi retribuéntibus mihi mala, décidam méritò ab inimícis meis inánis. *Ps.* 7.

℣. Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam. *Eccli.* 28. * Si réddidi.

Lectio vj.

MUlti, defúnctis inimícis, in illórum líberos iram quam in eos habébant, effudérunt. At non ita generósus ac magnánimus iste David; sed et vivéntem inimícum observávit, et illo defúncto, benevoléntiam, quam ergà illum gésserat, filiis exhíbuit. Quid illíus mensâ sánctius, quam cingébant filii hostis, hostis, inquam, occídere conáti? Quid illo convívio spirituálius, in quo tàm multæ

abundábant benedictiónes? Angeli pótiùs quàm hóminis convocántis erat. Siquidem inimíci fílios amplécti et amáre, et illíus filium, qui tóties ipsum tentásset è médio tollere, atque id móliens excessísset è vitâ, id facit ut in illum chorum referátur.

℟. Maledícimur, et benedícimus; persecutiónem pátimur, et sustinémus; * Blasphemámur, et obsecrámus. 1. *Cor.* 4.

℣. Non reddéntes malum pro malo. 1. *Pet.* 3. * Blasphemámur. Glória Patri. * Blasphemámur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore, Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naïm, et ibant cum eo Discípuli ejus, et turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homilía

Sancti Augustíni Epísc.

Serm. 44. *de Verb. Dom.*

MIrácula Dómini nostri, et Salvatóris Christi Jesu, omnes quidem audiéntes et credéntes movent, sed álios atque álios áliter et áliter. Quidam enim corporália ejus mirácula stupéntes, majóra intuéri non nôrunt; quidam verò ea quæ gesta áudiunt in corpóribus, nunc ámpliùs in ánimis admirántur.

℟. Tuus, Dómine, sermo sanat ómnia: * Tu es enim, Dómine, qui vitæ et mortis habes potestátem. *Sap.* 16.

℣. Apud te est fons vitæ. *Psal.* 35. * Tu es enim.

Lectio viij.

NEmo dúbitet étiam nunc mórtuos suscitári, sed omnis homo habet óculos quibus vidére potest mórtuos resúrgere, ita ut resurréxit fílius hujus víduæ, qui modò ex Evangélio recitátus est. Undè autem vídeant hómines resúrgere mórtuos in corde, non omnes ha-

bent, nisi qui jam resurrexérunt in corde. Ampliùs est resuscitáre semper victúrum, quàm suscitáre iterùm moritúrum.

℟. Quis loquétur poténtias Dómini? * Quis audítas fáciet omnes laudes ejus? *Ps.* 105.

℣. Cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo. *Ephes.* 2. * Quis audítas fáciet omnes laudes ejus?

Lectio ix.

DE júvene illo resuscitáto gavísa est mater vídua; de homínibus quotídiè in spíritu resuscitátis gaudet mater Ecclésia. Ille quidem mórtuus erat córpore, illi autem mente. Illíus mors visíbilis visibíliter plangebátur; illórum mors invisíbilis, nec quærebátur, nec videbátur. Quæsívit ille qui nóverat mórtuos. Ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos. Nisi enim ad mórtuos suscitándos venísset, non díceret Apóstolus: (Surge, qui dormis, et exúrge à mórtuis, et illuminábit te Christus.)

℟. Illúmina óculos meos, * Dómine, ne unquàm obdórmiam in morte. *Ps.* 12.

℣. Sicut regnávit peccátum in mortem, ita et grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam. *Rom.* 5. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

Ad Bened. *Ant.*

Qui erat mórtuus, cœpit loqui, et dedit illum Jesus matri suæ. *Luc.* 7.

Oratio.

ECclésiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet et múniat: et quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.

Ad Magn. *Ant.* 1. D.

Accépit omnes timor, et magnificábant Deum, dicéntes: Quia Prophéta magnus surréxit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam. *Luc.* 7.

FERIA SECUNDA.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 6.

COngregávit rursùm David omnes eléctos ex Israël triginta míllia;

surrexítque David, et ábiit, et univérsus pópulus qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent Arcam Dei, super quam invocátum est nomen Dómini exercítuum, sedéntis in Chérubim super eam. Et imposuérunt Arcam Dei super plaustrum novum, tulerúntque eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa. Oza autem et Ahio filii Abínadab minábant plaustrum novum.

℟. Psállite Dómino qui * Hábitat in Sion. *Ps.* 9.

℣. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo. *Ps.* 149. * Hábitat.

Lectio ij.

CUmque tulíssent eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa, custódiens Arcam Dei, Ahio præcedébat Arcam; David autem et omnis Israël ludébant coràm Dómino in ómnibus lignis fabrefáctis, et cítharis, et lyris, et cymbalis. Postquàm autem venérunt ad áream Nachon, exténdit Oza manum ad Arcam Dei, et ténuit eam, quóniam calcitrábant boves, et declinavérunt eam. Iratúsque est indignatióne Dóminus contrà Ozam, et percússit eum super temeritáte; qui mórtuus est ibi juxtà Arcam Dei.

℟. Pavor ténuit me, et tremor, et * Omnia ossa mea pertérrita sunt. *Job.* 4.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *Ps.* 14. * Omnia.

Lectio iij.

COntristátus est autem David, eò quòd percussísset Dóminus Ozam; et vocátum est nomen loci illíus, Percússio Ozæ, usque in diem hanc. Et extímuit David Dóminum in die illâ, dicens: Quómodò ingrediétur ad me Arca Dómini? et nóluit divértere ad se Arcam Dómini in civitátem David, sed divértit eam in domum Obédedom Gethæi.

℟. Dómine, * A judíciis tuis tímui. *Ps.* 118.

℣. Terróres tui conturbavérunt me. *Ps.* 87. * A judíciis. Glória Patri. * A

FERIA TERTIA.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 6.

HAbitávit Arca Dómini in domo Obédedom Gethæi tribus ménsibus, et benedíxit Dóminus Obédedom et omnem domum ejus. Nuntiatúmque est Regi David quòd benedixísset Dóminus Obédedom, et ómnia ejus propter Arcam Dei. Abiit ergò David, et addúxit Arcam Dei de domo Obédedom in civitátem David cum gáudio, et erant cum David septem chori, et víctima vítuli. Cùmque transcendíssent qui portábant Arcam Dómini sex passus, immolábat bovem et aríetem.

℟. Dómine, * Mane nobíscum. *Luc.* 24.

℣. Vénient univérsæ benedictiónes. *Deut.* 28. * Mane.

Lectio ij.

ET David saltábat totis víribus ante Dóminum: porrò David erat accínctus ephod líneo. Et David et omnis domus Israël ducébant Arcam testaménti Dómini, in júbilo et in clangóre búccinæ. Cùmque intrásset Arca Dómini in civitátem David, Michol fília Saül prospíciens per fenéstram, vidit Regem David subsiliéntem atque saltántem coràm Dómino, et despéxit eum in corde suo.

℟. Homo videt ea quæ parent, * Dóminus intuétur cor. 1. *Reg.* 16.

℣. Mihi pro mínimo est ut júdicer ab humáno die. 1. *Cor.* 4. * Dóminus.

Lectio iij.

REversúsque est David ut benedíceret dómui suæ; et egréssa Michol fília Saül in occúrsum David, ait: Quàm gloriósus fuit hódiè Rex Israël, discoopériens se ante ancillas servórum suórum, et nudátus, quasi si nudétur unus de scurris! Dixítque David ad Michol: Ante Dóminum qui elégit me pótiùs quàm patrem tuum, et quàm omnem domum ejus, et præcépit mihi ut essem

dux super pópulum Dómini in Israël, et Judam, et vilior fiam plus quàm factus sum, et ero húmilis in óculis meis, et cum ancíllis, de quibus locúta es, gloriósior apparébo. Igitur Michol fíliæ Saül non est natus fílius usque in diem mortis suæ.

℟. Non enim supérbi ab inítio placuérunt tibi, (Dómine;) sed * Humílium et mansuetórum semper tibi plácuit deprecátio. *Judith.* 9.

℣. Ideò humiliémus illi ánimas nostras. *Ibid. cap.* 8. * Humílium. Glória Patri. * Humílium et mansuetórum.

FERIA QUARTA.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 7.

FActum est autem cùm sedísset Rex in domo suâ, et Dóminus dedísset ei réquiem úndiquè ab univérsis inimícis suis, dixit ad Nathan Prophétam: Vidésne quòd ego hábitem in domo cédrinâ, ... médio péllium? Dixítque Nathan ad Regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dóminus tecum est. Factum est autem in illâ nocte, et ecce sermo Dómini ad Nathan, dicens: Vade, et lóquere ad servum meum David...... Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut esses dux super pópulum meum Israël. Et fui tecum in ómnibus ubicúnquè ambulásti, et interféci univérsos inimícos tuos à fácie tuâ, fecíque tibi nomen grande juxtà nomen magnórum qui sunt in terrâ.

℟. Cogitatiónes mortálium tímidæ, et * Incértæ providéntiæ nostræ.

℣. Quis enim hóminum póterit scire consílium Dei, aut quis póterit cogitáre quid velit Deus? *Sap.* 9. * Incértæ.

Lectio ij.

POnam locum pópulo meo Israël, et plantábo eum, et habitábit sub eo, et non turbábitur ámpliùs; nec addent fílii iniquitátis, ut afflí-

super pópulum meum Israël. Et réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis. Prædicítque tibi Dóminus quòd domum fáciat tibi Dóminus. Cùmque compléti fúerint dies tui, et dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te, quod egrediétur de útero tuo, et firmábo regnum ejus.

℟. Tu dominátor virtútis, cum magnâ reveréntiâ dispónis nos: * Subest enim tibi, cùm volúeris, posse. *Sap.* 12.

℣. In manu enim illíus, et nos, et sermónes nostri, et omnis sapiéntia, et óperum sciéntia et disciplína. *Ibid. Cap.* 7. * Subest.

Lectio iij.

IPse ædificábit domum nómini meo, et stabíliam thronum regni ejus usque in sempitérnum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. Qui si iníquè áliquid gésserit, árguam eum in virgâ virórum, et in plagis amóvi à fácie meâ. Et fidélis erit domus tua, et regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus júgiter.

℟. Magnus est enim Deus noster: * Quis ergò póterit prævalére, ut ædíficet ei dignam domum? 2. *Paralip.* 2.

℣. Opus namque grande est: neque enim hómini præparátur habitátio, sed Deo. 1. *Paralip.* 29. * Quis ergò. Glória Patri. * Quis ergò.

FERIA QUINTA.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 11.

FActum est verténte anno, eo témpore quo solent Reges ad bella procédere, misit David Joab, et servos suos cum eo, et univérsum Israël; et vastavérunt filios Ammon, et obsedérunt Rabba. David autem remán-

bularet in solário domûs régiæ; vidítque mulíerem se lavántem ex advérso super solárium suum... Misit ergò Rex, et tulit eam. Scripsit David epístolam ad Joab... Pónite Uríam ex advérso belli ubi fortíssimum est prælium, et derelínquite eum, ut percússus intéreat.

℟. Pépigi fœdus cum óculis meis, * Ut ne cogitárem quidem de vírgine. *Job.* 31.

℣. Pósui in corde meo, et exémplo dídici. *Prov.* 24. * Ut ne.

Lectio ij. Cap. 12.

MIsit ergò Dóminus Nathan ad David. Qui cùm venísset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitáte unâ, unus dives, et alter pauper. Dives habébat oves et boves plúrimos valdè: pauper autem nihil habébat omninò præter ovem unam párvulam, quam émerat et nutríerat, et quæ créverat apud eum cum fíliis ejus simul, de pane illíus cómedens, et de cálice ejus bibens, et in sinu illíus dórmiens, erátque illi sicut fília. Cùm autem peregrínus quidam venísset ad dívitem, parcens ille súmere de óvibus et de bobus suis, ut exhibéret convívium peregríno illi qui vénerat ad se, tulit ovem viri páuperis, et præparávit cibos hómini qui vénerat ad se.

℟. Gressus meos dírige secúndùm elóquium tuum, * (Dómine,) non dominétur meî omnis injustítia. *Ps.* 118.

℣. Væ qui ædíficat domum suam in injustítiâ! *Jerem.* 22. * Dómine.

Lectio iij.

IRátus indignatióne David, dixit ad Nathan: Vivit Dóminus, quóniam fílius mortis est vir qui fecit hoc; ovem reddet in quádruplum.. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir. Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Ego unxi te in Regem super Israël, et ego érui te de manu Saül, et dedi tibi domum Dómini tui... domum Israël et Juda; et si parva sunt ista, adjíciam tibi multò majóra. Quarè ergò contempsísti

verbum Dómini, ut fáceres malum in conspéctu meo? Uríam Hethæum percussísti gládio, et uxórem illíus accepisti in uxórem tibi... Hæc dicit Dóminus: Ecce ego suscitábo super te malum.

℟. Nunc, * Dómine, da servis tuis cum omni fidúciâ loqui verbum tuum. *Act.* 4.

℣. Revelátur enim ira Dei de cœlo super omnem impietátem hóminum eórum qui veritátem in injustítiâ détinent. *Rom.* 1. * Dómine. Glória Patri. * Dómine, da.

FERIA SEXTA.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

SUrréxit Absalom, et ábiit in Hebron. Misit autem Absalom exploratóres in univérsas tribus Israël, dicens: Statim ut audiéritis clangórem búccinæ, dícite: Regnávit Absalom in Hebron. Facta est conjurátio válida, populúsque concúrrens augebátur cum Absalom. Venit ígitur núntius ad David dicens: Toto corde univérsus Israël séquitur Absalom. Et ait David servis suis qui erant cum eo in Jerúsalem: Súrgite, fugiámus, neque enim erit nobis effúgium à fácie Absalom. Festináte égredi, ne fortè véniens óccupet nos, et impéllat super nos ruinam, et percútiat civitátem in ore gládii.

℟. Dómine, ne vindíctam sumas de peccátis meis, * Neque reminiscáris delicta mea. *Tob.* 3.

℣. Amove à me plagas tuas. *Ps.* 38. * Neque.

Lectio ij.

EGressúsque Rex, et omnis Israël pédibus suis, stetit procul à domo. Et univérsi servi ejus ambulábant juxtà eum... Omnésque flebant voce magnâ, et univérsus pópulus transíbat. Rex quoque transgrediebátur torréntem Cedron, et cunctus pópulus incedébat contrà viam quæ réspicit ad desértum.

℟. Dómine, * Ne in furóre tuo árguas me,

neque in irâ tuâ corripias me. *Ps.* 37.

℣. Quem tu percussisti, persecúti sunt. *Ps.* 68. * Ne in.

Lectio iij.

VEnit autem et Sadoc Sacérdos, et univérsi Levítæ cum eo, portántes Arcam fœderis Dei, et deposuérunt Arcam Dei; et ascéndit Abiathar, donec explétus esset omnis pópulus qui egréssus fúerat de civitáte. Et dixit Rex ad Sadoc: Repórta Arcam Dei in urbem: si invénero grátiam in óculis Dómini, redúcet me, et osténdet mihi eam, et tabernáculum suum. Si autem dixerit mihi: Non places, præstò sum, fáciat quod bonum est coràm se... Porrò David ascendébat clivum olivárum, scandens et flens, nudis pédibus incédens, et opérto cápite ascendébat plorans.

℟. Ego * In flagélla

SABBATO.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 16.

VEnit ergò Rex David usque ad Báhurim, et ecce egrediebátur indè vir de cognatióne domûs Saül, nómine Sémei, fílius Gera; procedebátque egrédiens, et maledicébat, mittebátque lápides contrà David... Dixit autem Abisaï, filius Sárviæ, Regi: Quarè maledícit canis hic mórtuus Dómino meo Regi? Vadam, et amputábo caput ejus. Et ait Rex: Quid mihi et vobis est, fílii Sárviæ? dimíttite eum ut maledicat: Dóminus enim præcépit ei ut malediceret David, et quis est qui áudeat dícere quarè sic fécerit?

℟. (Dómine) * Impropérium expectávit cor

Lectio ij.

ET ait Rex Abísaï, et univérsis servis suis : Ecce filius meus, qui egréssus est de útero meo, quærit ánimam meam : quantò magis nunc filius Jémini ? Dimíttite eum ut maledícat juxtà præcéptum Dómini : si fortè respíciat Dóminus afflictiónem meam, et reddat mihi Dóminus bonum pro maledictióne hâc hodiérnâ.... Absalom autem et omnis pópulus ejus ingréssi sunt Jerúsalem, sed et Achítophel cum eo.

℟. Multiplíciter flagéllas, (Dómine,) ut bonitátem tuam cogitémus, et, * Cùm de nobis judicátur, sperémus misericórdiam tuam.

℣. Quóniam júdicans das locum in peccátis pœniténtiæ. *Sap.* 12. * Cùm.

Lectio iij. Cap. 17.

DIxit ergò Achitophel ad Absalom : Eligam mihi duódecim míllia virórum, et consúrgens pérsequar David hâc nocte... Dómini autem nutu dissipátum est consílium Achítophel... Porrò Achítophel, videns quòd non fuisset factum consílium suum, stravit ásinum suum, surrexítque et ábiit in domum suam et in civitátem suam; et, dispósitâ domo suâ, suspéndio intériit, et sepúltus est.

℟. Non est prudéntia, * Non est consílium contrà Dóminum. *Prov.* 21.

℣. Dissipat cogitatiónes malignórum, ne possint implére manus eórum quod cœperant. *Job.* 5. * Non est. Glória Patri. * Non est consílium.

PROPRIUM SANCTORUM.

PARS ÆSTIVA.

FESTA MAII.

DIE XIX.

IN FESTO

SANCTI IVONIS,

PRESBYTERI.

Ann. 1303.

Semiduplex.

Ut in Communi unius Presbyteri.

AD I. VESPERAS.

Ad Magn. *Ant.* 7. b.
Fuit Dóminus cum eo, et gubernábat créditam sibi domum, et univérsa quæ ei trádita fúerant. *Gen.* 39.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Duæ primæ Lectiones de Scripturâ occurrente; secunda et tertia dicuntur per modum unius, in

Lectio iij.

Ex process. Canoniz. apud Bolland.

IVo, nobílibus paréntibus natus in Diœcési Trecorénsi, Lutétiæ et Aureliánis, óperam lítteris dedit. Judex ecclesiásticus primùm est constitútus, deindè Rector uníus Paróchiæ per octo annos; pósteà altérius per annos decem; cárnibus et vino ábstinens, in páuperes liberalíssimus, viduárum, orphanórum, aliorúmque miserabílium patrónus fuit vigilantíssimus. Domus ejus páuperum érat hospítium. Aliquándò bis et ter in die conciónes habébat ad pópulum, nec ad concionándum accedébat, quin priùs ad Deum preces fudísset: sæpè inter concionándum flere visus est. Tanta erat in eo vis dicéndi, ut Spíritus divínus loquénti verba suggérere viderétur. Mórtuus est anno millésimo trecentésimo tértio, ætátis quinquagésimo; et à Cleménte sexto Sanctórum catálogo solémniter adscriptus est. Tu autem, Dómine, etc.

℟. Qui misericórdiam habet, docet et * Erúdit quasi Pastor gregem suum. *Eccli.* 18.

℣. Beátus ille servus quem, cùm vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem. *Luc.* 12. * Erúdit. Glória Patri, etc. * Erúdit.

AD LAUDES.

℣. Induit eum (Deus) stolam glóriæ.

℟. Coronávit eum in vasis virtútis. *Eccli.* 45.

Ad Bened. *Ant.*

Obtulit holocáusta et pacífica, et invocávit Dóminum, et exaudívit eum de cœlo. 1. *Paral.* 21.

Oratio.

DEus, qui beátum Ivónem Presbyterum misericórdiæ viscéribus implevísti; præsta, quæsumus, ut quem páuperum patrem tuâ grátiâ effecísti, benignum apud te júgiter habeámus intercessórem. Per Dóminum.

AD II. VESPERAS.

℣. Sacerdótes ejus índuam salutári;

℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131.

Ad Magn. *Ant.* 7. b. Ubi sum ego, illic et Miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. *Joan.* 12.

Oratio ut suprà ad Laudes.

Die xx.

De Feriâ.

Vesperæ de sequenti.

Die xxi.

In Festo

SANCTI LUPICINI,

Abbatis.

v. sæc.

Semiduplex.

Ex S. Gregório Turon. *Lib. vitæ Patr. Cap.* 1.

Lectio iij.

LUpicínus Séquanus sponsáli vínculo néctitur, genitóre cogénte; at, ipso mórtuo, cum fratre suo Románo erémum petit, et intrà Jurénsis desérti secréta sistit, ubi orationi vacans, victum de radícibus quærens herbárum, vigíliis, jejúniis, aliísque pœniténtiæ acerbitátibus corpus continuò domans, fratres exémplo suo ad severióris institúti disciplínam próvocans, eam vitam agébat quæ sanctórum Thebäídis Eremitárum vitam morésque exprímeret. Cùm per vigínti annos et ampliùs Monastério Lauconnénsi præfuísset, sanctè óbiit. Corpus ejus à Discípulis sepúlcro cónditum, destructo Lauconnénsi Monastério diù látuit, donec anno millésimo nono, repértus est in Ecclésiâ ejus nómine dedicátâ lóculus, cui inscrípta erant hæc verba : Hîc requiéscit beátus Lupicínus Abbas. Quorum factâ recognitióne, Illustríssimus ac Reverendissimus Antónius Petrus à Grammont, Archiepíscopus Bisontínus, sancti Lupicíni Relíquias in dicto lóculo continéri,

eásque veneratióni fidélium exponéndas, solémni decréto declarávit.

℟. Servi Dei sérvient illi, et * Vidébunt fáciem ejus. *Apoc.* 22.

℣. Humiliavérunt ánimas suas in jejúniis et oratiónibus, et induérunt se cilíciis. *Judith.* 4. * Vidébunt. Glória Patri. * Vidébunt.

Oratio.

DEus, cujus múnere beátus Lupicínus Abbas multíplici glóriâ sanctæ conversatiónis emícuit; præsta, quæsumus, sic nos beatitúdinis ejus mérita venerári, ut ejúsdem valeámus sublevári suffrágiis. Per Dóminum.

DIE XXV.

IN FESTO

SANCTI URBANI,

PAPÆ ET MART.

C. ann. 230.

Simplex.

Ex variis Mss. apud Boll.

Lectio iij.

mâ prosápiâ ortus, post Callístum Ecclésiam rexit. Ejus doctrínâ et exhortatiónibus multi fidem proféssi sunt, et pro eâ martyrium subiérunt. Ipse autem pro Ecclésiâ Christi, et multa, et grávia passus, Alexándro Sevéro imperánte, cum sóciis plúrimis quos hortabátur, glorióso martyrio coronátus est, anno ducentésimo trigésimo. Successórem hábuit Pontiánum. Sacræ Relíquiæ vel hujus sancti Urbáni Papæ, ut tradit Martyrológium gallicánum, vel altérius sancti Epíscopi et Mártyris ejúsdem nóminis, prout álii opinántur, à Nicoláo primo alíquibus Mónachis Monastérii Autissiodorénsis, legátis Cároli Calvi, concéssæ sunt, et ab iis Româ in Gálliam allátæ, multis in viâ, specialitérque in Comitátu Burgúndiæ, claruérunt miráculis. Cùm enim sacri depósiti latóres Orbam in Helvétiâ devenissent, puélla muta et contrácta à nativitáte,

recépit. Indè prorécti, et in Comitátum Burgúndiæ ingréssi per locum qui dicebátur Arlia, venérunt in villam, cui nomen Botgáliâ, non longè à Salínis, ubi epilépticus sanátus est. Hinc ad Salinas ventum, ubi pater filium ártuum contractióne imbecíllem húmeris véctitans, sacro ferétro applícuit, et sub óculis ómnium sanum recépit. Pósteà ingréssi saltum Montiscáttæ, altérius géneris miráculum admiráti sunt, vidéntes duos céreos sacri pígnoris prævios, inter ventórum ímpetus, et plúvias veheméntes, inextíncto lúmine per totam diem perdurásse. Tandem in villam Pagi Amausénsis, quæ Campus Véllii dícitur, cùm venissent, múlier ab útero matris muta, sed plena fide, cucúrrit, ex ánimo preces fudit, et vocis usum

Paróchiis cultus, sancto Urbáno exhíbitus.

℟. Unxit eum Deus Spíritu sancto et virtúte, qui pertránsiit * Benefaciéndo et sanándo. *Act.* 10.

℣. Tránsiens ádjuva nos. *Act.* 16. * Benefaciéndo. Glória Patri, etc. * Benefaciéndo.

Oratio.

DEus, qui Reliquiárum sancti Urbáni præséntiâ plures ægrótos hujus Diœcésis sanáre dignátus es; præsta, quæsumus, ut sancti Pontíficis et Mártyris intercessióne, à morbis ánimi liberémur. Per Dóminum.

Die xxvi.

In Festo

SS. PRISCI ET SOC. MARTYRUM.

Ann. 273.

Duplex.

Ut in Com. SS. Mart.

IN II. NOCTURNO.

Ex Act. apud Bolland. et antiq. Brev. Autissiod.

Lectio iv.

AUreliánus Imperátor, Senónibus agens, Alexándrum unum è sui córporis custódibus, mílitum cohórte stipátum misit ut eos Christiános quæreret, qui essent in pago Autissiodorénsi. Alexánder, cum Cauciacum advenísset, Priscum réperit máximâ nobilitáte polléntem, multísque ibídem cohórtibus præeminéntem, qui cum plúribus à Vesontionénsi civitáte advénerat. His ad orándum congregátis, supervéniens Alexánder, Quis, inquit, seditiósus iste cœtus vester? Cui Priscus: Non seditiósus, sed religiósus est: ut enim Christo Redemptóri nostro vota nostra reddámus, hùc convénimus.

℟. Dómine, confiteámur nómini tuo, et * Gloriémur in laude tua: ne tradas hereditátem tuam in perditiónem, et ne claudas ora te canéntium. *Esth.* 13. * Gloriémur.

Lectio v.

QUómodò, inquit Alexánder, eò audáciæ devenístis, ut Christi nomen, spreto Imperatóris edícto, confitéri non reformidétis? Cui turba respóndit: Qui dat Imperatóribus vitam, ipse nos confórtat ad sui nóminis confessiónem. Mortem ipsis minátur, nisi Impérii deos colant: sic enim jússerat Imperátor. Qui omnes unâ voce dixérunt: Fac quod tibi præcéptum est; nam nos non dimíttimus Creatórem, ut deserviámus creatúræ.

℟. Tradidérunt córpora sua, * Ne adorárent omnem deum, excépto Deo suo. *Dan.* 3.

℣. Elegérunt magis mori. 1. *Mach.* 1. * Ne adorárent.

Lectio vj.

TUnc Alexánder in sanctum Priscum gládio animadvérti præcépit, Sociórum item ejus

dem senténtiâ púniens. Unus de superstítibus Sóciis Prisci, nómine Cottus, caput Prisci clàm rápiens, dévia silvárum áppetit. Quo cógnito, persecutóres illum insecúti sunt, et deprehénsum interfecérunt. Sacræ Sanctórum Prisci et Sociórum illius Relíquiæ Cauciaci, et in áliis Diœcésis Autissiodorénsis locis venerántur.

℟. Quasi holocáusti hóstiam accépit illos, * Invénit illos dignos se;

℣. In paucis vexáti, in multis benè disponéntur. *Sap.* 3. * Invénit. Glória. * Invénit.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Communi.

Oratio.

AD defensiónem fidélium, Dómine, quæsumus, déxteram tuæ majestátis exténde; et ut perpétuâ pietátis tuæ protectióne muniántur, pro his non desit Mártyrum Prisci et ejus Sociórum continuáta intercéssio. Per Dóminum.

Die xxix.

In Festo SANCTI MAXIMINI, Episcopi.

Circ. med. iv. sæc.

Semiduplex.

Lectio iij.

MAximínus in território Pictaviénsi paréntibus Christiánis natus desinénte tértio sæculo, cùm de sanctitáte Agrícii Trevirórum Epíscopi multa prædicáret fama, ipsum adíre státuit, ut eo magístro informarétur ad virtútem. Benígnè eum suscépit Agrícius, et in Clerum suum cooptávit. Maximínus ita piè et laudabíliter se gessit in obeúndo suo múnere, ut, Agrício mórtuo, in ejus sede collocátus fúerit. Acérrimus fídei cathólicæ advérsùs Ariános propugnátor, plúribus intérfuit Concíliis in quibus horum hæreticórum impíetas anathémate percússa est. Sanctus Athanásius, jus-

su Constantini Magni, Arianórum calúmniis decépti, exuláre coáctus, et sanctus Paulus Constantinopolitánus Epíscopus ab Imperatóre Constántio Ariáno è sede suâ pulsus, cùm Treviros advenissent, hos humaníssimè excépit Maximinus. Obiit circà médium quarti sæculi. Sacrárum S. Maximíni Reliquiárum áliquæ particulæ extant recónditæ in altári Sacélli, sub illíus invocatióne erécti in loco ab Urbe Bisontínâ sex milliáribus distánte, uti compértum est ex recognitióne illárum factâ, anno millésimo septingentésimo sexagésimo, ab Illustríssimo António Cleriado de Choiseul, Archiepíscopo Bisontíno.

Hâc die fit étiam memória sancti Maximíni Vesontionénsis antístitis, qui, tértio sæculo aut persecutiónem fúgiens aut vitam eremíticam ducens in silvâ de *Foucherans*, obiisse tráditur et successu... et * Osténdit illi regnum Dei.

℣. Dedit illi sciéntiam Sanctórum, et à seductóribus tutávit illum. *Sap.* 10. * Osténdit. Glória Patri. * Osténdit.

Oratio.

TUum, Dómine, pro nobis implóret auxílium beátus Conféssor atque Póntifex Maximínus, et ejus méritis céleri nobis pietáte succúrre. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ de sequenti. Com. S. Maxim.

DIE XXX.

TRANSLATIO

SS. FERREOL. et FER.

MARTYRUM

Ann. 1063.

Semiduplex.

Lectio iij.

ANno millésimo sexa-

Ferrúcii, quæ in Ecclésiâ uno et semi milliário ab Urbe distánte servabántur, sollícitus, útpotè quæ non satis in tuto essent, eas in Urbem transférre státuit. Comitánte Clero ac pópulo, ad dictam Ecclésiam se cóntulit, ubi celebrátâ Missâ, sacrórum córporum partem minórem in ipsius Ecclésiæ Altári principáli recóndidit, majórem verò in Urbem tránstulit, et in Basílicâ sancti Joánnis Evangelístæ in Altári beátæ Maríæ collocávit. Deindè, anno millésimo ducentésimo quadragésimo sexto, Guillélmus Archiepíscopus has Relíquias sacrâ thecâ inclúsas in Choro ejúsdem sancti Joánnis Ecclésiæ venerándas propósuit, assisténtibus Joánne Lauzanénsi, Sequíno Matisconénsi, Alexándro Cabilonénsi, et Ansélmo Æduénsi Epíscopis, minúsculis óssibus ad sancti Vincéntii ædem delátis: tandem in thecâ argénteâ eas collocávit Antónius de Vergy Archiepíscopus Bisontínus, præséntibus Autissiodorénsi, Gebennénsi, et Nicopolitáno Epíscopis. Nunc verò solémni cultu et magnâ veneratióne colúntur in Ecclésiâ B. M. V. dicátâ, in quem è novo translátæ sunt anno millésimo octingentésimo décimo nono.

℟. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et * Nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem.

℣. Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros. *Eccli.* 44. * Nomen. Glória Patri. * Nomen.

Oratio.

DEus, qui nos sanctórum Ferréoli et Ferrúcii doctrínâ pascis, et prótegis præsídio; éxcita in eórum translatióne Reliquiárum, quam adhuc spirant sacri cíneres, pietátem; eorúmque précibus ab omni nos adversitáte custódi. Per Dóminum.

DIE XXXI.

De Feriâ. Vesperæ de sequenti.

FESTA JUNII.

Die 1.
In Festo
SANCTI POTHINI, Episc. Lugd. et Soc. Martyrum.

Ann. 177.

Semiduplex.

Ex Epistolâ Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ.

Apud Euseb. Hist. lib. 5. cap. 1.

Lectio iij.

BEatíssimus Pothínus, Lugdunénsis Epíscopus, nonagenário major ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ desidério martyrii mirâ alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal ducebátur: interrogátus à Præside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit: Si dignus fúeris, cognósces. Post hæc inhumánè raptátus, et innúmeris plagis afféctus est, cùm ii quidem qui própiùs astábant, cálcibus et pugnis illum contumeliósè impéterent, qui verò lóngiùs distábant, quidquid ad manum erat in ipsum conjícerent, omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro suà quisque parte ei petulánter insultárent. Exindè vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est. Tandémque post biduum ánimam exhalávit. Eódem témpore passi sunt Matúrus Neóphytus, Sanctus Diáconus Viennénsis, Blandína Virgo, Attalus, aliíque multi qui vária torménta perpéssi, flagéllis cæsi, carcéribus inclúsi, igni tráditi, feris objécti, juguláti, glorióso Martyrio coronáti sunt.

℟. Justi, si coràm homínibus torménta passi sunt, * Spes illórum immortalitáte plena est.

℣. Deus tentávit eos,

et invénit illos dignos se. *Sap.* 3. * Spes illórum. Glória Patri. * Spes illórum.

Oratio.

DEus, à quo constántiam fides, et virtútem sumit infirmitas; præsta, quæsumus, ut exémplo Mártyrum tuórum Pothíni, Blandínæ, Attali, ac sociórum, quidquid in persecutiónibus sævum, quidquid in morte terríbile, nóminis tui fácias confessióne superári. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Commem. de sequenti.

Die II.

In Festo

SS. MARCELLINI,

Presbyteri,

ET PETRI EXORCISTÆ

Martyrum.

Ann. 304.

Simplex.

Ut in Communi Presbyt.

Lectio iii.

et in Christiános sæviéntibus, Marcellínus Ecclésiæ Románæ Présbyter, et Petrus Exorcísta, Júdicis edícto ad mortem damnáti sunt. Ut autem mors eórum celarétur, ignotúsque esset locus eórum sepultúræ, imperávit judex ut secrétò trucidaréntur. Quod ut exequerétur cárnifex, duxit illos in silvæ locum spinis et vépribus cónsitum. Quò cùm advenissent, paravérunt ipsímet locum et suis expurgárunt mánibus, et tandem cápite truncáti sunt. Horum córpora projécta sunt in spelúncam, quæ fuísse vidétur lapidicina ex quâ eruebántur lápides albi, et ibi latuérunt, donec pia múlier Lucílla nómine, divínitùs admónita, ea sepultúræ trádidit. Factum rétulit cárnifex ipse Damáso tuno púero, qui pósteà creátus summus Póntifex, pósteris illud carmínibus suis testátus est.

℟. Custódit Dóminus ómnia ossa justórum, * Unum ex his non conte-

lent de loco suo. *Eccli.* 49. * Unum. Glória. * Unum.

Oratio.

DA nobis, omnipotens Deus, inter hujus vitæ discrimina, contínuum grátiæ tuæ præsídium, qui sanctis Martyribus Marcellino et Petro fidei constántiam, ut hostem antiquam vincerent, contulísti. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

Die iii.

In Festo

SANCTÆ CLOTILDIS, Reginæ.

Post ann. 537.

Semiduplex.

Ut in Communi SS. Mulierum.

Lectio iij.

CLotíldis Chilpérici Regis Burgúndiæ filia, Clodovæi tùm éthnici uxor, cùm primogénitum baptizári jussisset, toleránte magis quàm approbánte Clodovæo, et infántis in albis defuncti mortem ægrè ferret Clodovæus, ac baptismo imputáret, illa Deo grátias agébat, qui eam non indígnam judicásset ut de útero suo génitum, regno suo dignátus esset ascíre. Alterum filium Regina cùm genuísset, hunc quoque baptizári vóluit, qui cùm ægrotáre cœpisset, affirmánte Rege fore ut idem ei quod fratri contingeret, matris précibus conváluit. Interim Regína non cessábat hortári Regem, ut abjéctâ idololátriâ Deum verum cóleret, sed frustrà, donec in expeditióne Alamánicâ monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Regi apud Rhemos beáta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, à quo Clodovæus fidem edóctus, baptizátus est, et sacro chrísmate inúnctus. Mórtuo Clodovæo, Turónes ádiit Clotíldis, ubi réliquum vitæ summâ pietáte exégit, et plena diérum migrávit ad Dóminum. Corpus ejus Parísios translátum ad le-

tus Clodovæi sepúltum est in sacrário basilicæ sancti Petri, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiéscit.

℟. Qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, * Salvábit ánimam ejus à morte. *Jacob.* 5.

℣. Múlier díligens, coróna est viro suo. *Prov.* 12. * Salvábit. Glória. * Salvábit.

℣. *Sacerd.* Hæc est volúntas Dei, sanctificátio vestra. 1. *Thess.* 4.

℟. Sanctificátus est vir infidélis per mulierem fidélem. 1. *Cor.* 7.

Oratio.

RESpice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium, et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fidei contulisti, iisdem nunc per ejus intercessiónem tribue sincérum Christiánæ pietátis affectum. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti. Comm. sanctæ Clotildis.

DIE IV.

IN FESTO

SANCTI ALDEGRINI,

MONACHI.

x. sæc.

Semiduplex.

Lectio iij.

ALdegrinus miles illústris, in armis strénuus, in concílio próvidus, ut audívit quàm piè víveret sanctus Odo, ipsum ádiit. Verbis ejus et exémplis addúctus est ut mundo renunciáret. Ambo mútuo consénsu vitam monásticam suscípere statuérunt, sed non nisi in Monastério in quo máximè vigéret reguláris observántia. Tale reperérunt Balménse Monastérium in Diœcési Bisontínâ situm, cui præerat Abbas Berno. Ibi Aldegrinus vitam religiósam proféssus, de Abbátis consénsu secéssit in antrum vicínum, undè in Monastérium non redíbat nisi diébus Domínicis ac Féstivis. Vitam ibi per triginta

annos valdè austéram vixit, conténtus pro victu pane et fabis insúlsis, vino pénitùs ábstinens, ómnibus cœli et äëris incleméntiis objéctus. Sacrum ejus corpus quiéscere in Ecclésiâ abbátiæ Balménsis testátur vetus Missále ejúsdem Abbátiæ.

℟. Confiténtes quia peregríni et hóspites sunt super terram, * Significant se pátriam inquírere. *Heb.* 11.

℣. Fugiéntes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem. 2. *Pet.* 1. * Signíficant. Glória Patri. * Significant.

Oratio.

EXáudi, Dómine, intercedénte beáto Aldegrino, gémitum pópuli tui, nec plus apud te váleat offénsio delinquéntium, quàm misericórdia tua indúlta flétibus supplicántium. Per Dóminum.

DIE V.

De Feriâ. Vesperæ de sequenti.

DIE VI.

IN FESTO

SANCTI CLAUDII,

ARCHIEP. BISONT.

Ann. 581.

Duplex.

Ut in Communi SS. Pontif. præter ea quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEátus Cláudius in Clerum Ecclésiæ Bisontínæ cooptátus, tantâ se pietáte et doctrinâ illústrem exhíbuit, ut Gervásii è vivis erépti Succéssor in Sede Bisontínâ fúerit eléctus. Indignum se réputans qui ad tantum honóris fastígium eveherétur, non nisi invitus ac relúctans electióni suæ ánnuit. Hinc brevì relínquens sæculum, et ad vitam solitáriam anhélans, in Monastérium

Jurénse sancti Eugéndi secéssit, et hábitum monásticum ab Injurióso Abbáte suscépit. Tàm mirâ sanctitáte, tot exímiis virtútibus, cæteris præfúlsit, ut ipse Injuriósus eum in suî locum suffícere volúerit. At totis víribus óbstitit Cláudius, malens subésse quàm præésse.

℟. Nec quisquam sumit sibi honórem, * Sed qui vocátur à Deo tanquam Aáron. *Heb.* 5.

℣. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est. 2. *Cor.* 10. * Sed qui vocátur.

Léctio v.

VErùm quod præ humilitáte recusáverat, póstmodùm acceptáre coáctus est. Mórtuo enim Injurióso; commúni Fratrum consílio Abbas elígitur, quamvis in Monastério vix triénnium peregisset. Tàm gravi múnere piè ádmodùm et laudabíliter per multos annos functus, óbiit, et sepúltus est in Ecclésiâ sancti Eugéndi. Ejus túmulum crebris miráculis Deus gloriósum réddidit. Cùm autem sæculo décimo tértio, Hubértus à Buénco, Abbas Monastérii sancti Eugéndi, corpus sancti Cláudii è sepúlcro edúcere voluísset, réperit illud incorrúptum, repo- suítque in capsâ argénteâ, in quâ háctenùs servátum est, et quidem semper incorrúptum, usque ad infáustos *Revolutionis gallicanæ* dies... Tanta fuit miraculórum, quæ Deus operátus est ad Relíquias sancti Cláudii, fama, ut Monastérium quod priùs sancti Eugéndi nómine notum erat, exindè sancti Cláudii nuncupátum fúerit.

℟. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit * In generatiónem et generatiónem. *Eccli.* 44.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur. *Psal.* 33. * In generatiónem.

Lectio vj.

QUanto in honóre fúerit sanctus Cláudius, indícium est quòd festum ejus per totam ferè Gálliam celebrétur,

Testántur plures sub ejus nómine piæ sodalitátes eréctæ, probant suscéptæ ad ejus túmulum peregrinatiónes: tot enim ad eum confluxérunt undecúnquè pópuli, étiam à remotióribus locis, ut inter celebérrimas Européæ pias peregrinatiónes habeátur peregrinátio ad sanctum Cláudium. Ipse Ludovícus undécimus, Gálliæ Rex, multo cum comitátu ad Relíquias sancti Cláudii iter suscépit anno millésimo quadringentésimo octogésimo primo. Anna, Ludovíci duodécimi uxor, sanctum Cláudium tàm impénsè colébat, ut primum suum infántem ejus nómine appellári volúerit. Extat Romæ sub beáti Cláudii invocatióne erécta Ecclésia, quæ Burgundiónum nuncupátur, in quâ festum ejus magnâ cum solemnitáte perágitur.

℟. Símilem illum fecit (Dóminus) in glóriâ Sanctórum. et * Glorificávit. Glória Patri. Glorificávit.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Communi.

AD LAUDES.

Cantic. de Comm.

Oratio.

DEus, qui beátum Cláudium Confessórem tuum atque Pontíficem, ut tibi soli víveret, sæculo renunciáre fecísti; da nobis ejus imitatióne terréna ómnia despícere, et desideráre cœléstia. Per Dóminum.

Die xi.

In Festo SANCTI BARNABÆ, Apostoli.

Duplex tertiæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Ut in Communi SS. A-

habéret agrum, véndidit eum, et áttulit prétium ante pedes Apostolórum. *Act.* 4.

Oratio ut infrà ad Laudes.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Barnabas Levites Cyprius génere, qui et Joseph, cum Paulo Géntium Apóstolus ordinátus est ad prædicándum Jesu Christi Evangélium. Is, agro véndito quem habébat, redáctam ex eo pecúniam áttulit Apóstolis. Missus autem Antiochíam prædicatiónis causâ, cùm ibi multos ad Christi Dómini fidem convérsos esse comperisset, incredibíliter lætátus, eos hortabátur ut in Christi fide permanérent; quâ cohortatióne multùm proficiébat, quòd ab ómnibus vir bonus, et Spíritu sancto plenus habebátur.

℟. Quòd relíqueris paréntes et terram, * Reddat tibi Dóminus pro ópere tuo. *Ruth.* 2.

℣. Nemo est qui relíquerit domum aut agros propter Evangélium, qui non accípiat cénties in témpore hoc, et in sæculo futúro vitam ætérnam. *Marc.* 10. * Reddat.

Lectio v.

Proféctus indè Tarsum ut quæreret Paulum, cum eo Antiochíam venit. In ejus urbis Ecclésiâ, annum commoráti, christiánæ fídei et vitæ illis homínibus præcépta dedérunt; ubi étiam Jesu Christi cultóres primùm Christiáni sunt appelláti. Discípuli autem Pauli et Bárnabæ, suis facultátibus Christiános qui in Judæâ erant, sustentábant, eò mitténtes pecúniam per Paulum et Bárnabam. Qui perfúncti illo charitátis offício, adhíbito Joánne, cui cognómen erat Marcus, rediérunt Antiochíam.

℟. Dispérsit, dedit paupéribus; * Justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Psal.* 111.

℣. In omni ópere dedit confessiónem Sancto et Excélso. *Eccli.* 47. * Justítia.

Lectio vj.

CUm autem Antiochíæ in Ecclésiâ cum cæteris Prophétis et Doctóribus, Paulus et Bárnabas in jejúnio et oratióne Dómino deservírent, dixit Spíritus sanctus: Segregáte mihi Saulum et Bárnabam in opus ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes et orántes, imponentésque eis manus, dimisérunt illos. Itaque Seléuciam venérunt, indè in Cyprum, ac multas prætéreà urbes regionésque, prædicántes Evangélium summâ cum audiéntium utilitáte, peragrárunt. Postrémò Bárnabas digréssus à Paulo, unà cum Joánne qui cognominátus est Marcus, navigávit in Cyprum; ibíque círciter séptimum Nerónis annum, tértio idus júnii, ad Apostólici múneris laudem, martyrii corónam adjécit. Ejus corpus, Zenóne imperánte, repértum est in ínsulâ Cypro, ad cujus pectus erat Evangélium Matthæi, Bárnabæ manu conscriptum.

℟. Hæc * Est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens injústè. 1. *Pet.* 2.

℣. Non mihi contíngat párcere ánimæ meæ, in omni témpore. 1. *Mach.* 13. * Est grátia. Glória Patri. * Est grátia.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio luporum. Estóte ergò prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

In Matth. 34.

QUi sunt, qui hæc árdua et laborióśa áudiunt? Hómines tímidi, illitteráti, rudes, obscúri: hæc útique magnos excelsósque ánimos summópere commovérent, quómodò hómines pávidos,

imbecillésque non dejicerent? non dejecérunt tamen. Audiébant se tot perícula subitúros, ad Júdices deducéndos, in víncula conjiciéndos, orbis univérsi abominatiónem futúros. Quid eis ánimum eréxit? Sola mitténtis virtus... (Ecce ego mitto vos.) Hoc ad consoláudos vos, confirmandósque sufficiat... Deindè, ut non ómnia ita à solâ grátiâ esse videántur, ut nihil ipsi cónferant, adjécit : Efficiámini ergò prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ.

℟. Ecce ego, (* Dómine,) mitte me. *Isa.* 6.

℣. In Dómino sperans, non infirmábor. *Ps.* 25. * Dómine.

Lectio viij.

VIdeámus quam prudéntiam requírit, serpéntis certè prudéntiam imitári cohortátur. Nam quemádmodùm serpens totum corpus ictibus óbjicit, nec ádmodùm curat si corpus incíditur, modò caput íntegrum servet, eódem tu quoque modo, præter fidem cætera pérdere non cures: profúndas pecúniam univérsam, tradas corpus; vitæ ipsi, si opus est, mínimè parcas, dúmmodò fidem serves, quæ caput et radix est; quâ servátâ, etiámsi hæc ómnia perdas, ómnia tamen rursùs magno cum fœnore recuperábis.

℟. Igitur, * Qui ex fide sunt, benedicéntur.

℣. Pollicitatiónem Spiritûs accipiámus per fidem. *Gal.* 3. * Qui ex.

Lectio ix.

NIhil tamen tibi prudéntia próderit, nisi simplícitas colúmbæ adjiciátur. Quid, inquies, his præcéptis árduum magis? Non súfficit quòd malè vexer, omnem ánimi moléstiam abjiciéndam ímperas, id enim per colúmbæ simplicitátem significas....... Verùm nemo impossibília quædam data putet præcépta. Novit ipse natúram rerum, qui fecit : scit non audáciam audáciâ, neque temeritátem temeritáte, sed mansuetúdine restíngui.

℟. Ex ore Dómini prudéntia et sciéntia:* Próteget gradiéntes simplíciter. *Prov.* 2.

℣. Ostendéntes mansuetúdinem ad omnes hómines. *Tit.* 3. * Próteget. Glória Patri. * Próteget.

Ad Laudes, Cant. *de Comm.*

Ad Bened. *Ant.*

Dixit Spíritus sanctus: Segregáte mihi Saúlum et Bárnabam in opus ad quod assúmpsi eos. *Act.* 13.

Oratio.

DEus, qui beátum Bárnabam plenum fide et Spíritu sancto, ad opus vocatiónis et conversiónis géntium assúmere dignátus es; concéde propítius, ut mémores óperis et labóris et charitátis ejus, dignè Evangélio Christi, quod prædicávit, conversári mereámur. Per eúmdem.. in unitáte ejúsdem.

Ad Magn. *Ant.* 4. d.

Bárnabas et Paulus tradidérunt ánimas suas pro

Die XIV.

In Festo

SANCTI BASILII,

Episc. et Doct.

Ann. 379.

Semiduplex.

Ut in Comm. SS. Doctorum.

Lectio iij.

BAsílius, Cæsaréæ in Cappadóciâ natus, ejúsdem urbis Epíscopus creátus est, óperâ præcípuè sancti Gregórii Nazianzéni, cum quo Athénis sanctæ amicítiæ fœdus iníerat. Valénte Imperatóre Ariáno in Cathólicos sæviénte, Modéstum ejus Præféctum, extréma sibi minitántem, tantâ libertáte représsit, ut pertérritus ille díxerit: Nemo me ad hunc usque diem ita allocútus est. Cui Basílius: Neque enim forsan in Epíscopum incidísti. Imperátor, instántibus Ariánis, Basílium relegáre

rus, manum ejus Deus mirabíliter inhíbuit. Mónachis leges sanctíssimas dedit: cœnóbia Virgínibus Deo sacris eréxit; paupéribus excipiéndis alendísque domum extrà civitátem construxit. Ipse sibi durus, vitam jejúniis ac vigíliis ásperam duxit; undè vários ac penè contínuos contráxit morbos, nec tamen à labóribus et itinéribus pro Ecclésiâ suscipiéndis ábstitit. Tandem Kaléndis januárii inter has voces, In manus tuas comméndo spíritum meum, ánimam Deo réddidit.

℟. In diébus suis non pertímuit Príncipem, et * Poténtiâ nemo vicit illum. *Eccli.* 48.

℣. Eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia. *Eccli.* 31. * Poténtiâ. Glória Patri. * Poténtiâ.

Oratio.

EXcita, Dómine, in Ecclésiâ tuâ spíritum quo beátus Basílius servívit, ut eódem nos repléti, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit. Per Dóminum..... in unitáte ejúsdem.



Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. de Dominicâ.

HYMNUS.

QUem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hic fidos sui
Vos éligit vicários.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat impiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piâstis sánguine.

Hoc rore facta pinguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surréxit seges,
Et ista nos seges sumus.

Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere;
Fruménta nos cœléstibus
Matúra condes hórreis.

Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

Ad Nunc dim. *Act.* 6. C. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. *Isa.* 9.

AD MATUTINUM.

Invit. Deum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 2.

Psal. Veníte.

HYMNUS.

QUantis nostra fides empta labóribus!
Quam sancti próprio sánguine Mártyres
Signátam, cáleant ut sacra péctora,
Transmisére nepótibus.

Hâc spirámus adhuc, vívimus hâc fide,
Christi relígio móribus íntegra
Ad nos usque redit, plena Deo fluit
His doctrína canálibus.

Quas fuso próprias sánguine Mártyres
Jam fecístis oves, páscite, dúcite;
Nobis, vos étenim consequimur duces,

Cœli trádite páscua.

* Nutu cuncta tuo qui regis, ô Pater! etc. *ut sup. ad Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Psal. Exáudi, Deus. *fol.* 190.

Ant. Annuntiavérunt ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

Psal. Confitébimur. *fol.* 190.

Ant. Invocábimus nomen tuum, narrábimus mirabília tua.

Ps. Dóminus regnávit. *fol.* 88.

Ant. Confundántur omnes qui adórant sculptília, et qui gloriántur in simulácris suis.

℣. Omni die non cessábant docéntes,

℟. Evangelizántes Christum Jesum. *Act.* 5.

De Isaiâ Prophétâ.

Lectio j. Cap. 52.

QUàm pulchri super montes pedes annuntiántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus! Vox speculatórum tuórum; levavérunt vocem, simul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt, cùm convérterit Dóminus Sion. Gaudéte et laudáte simul, desérta Jerúsalem, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

℟. Deus, áuribus nostris audívimus, * Patres nostri annuntiavérunt nobis opus quod operátus es in diébus eórum et in diébus antíquis. *Psal.* 43.

℣. Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea. *Ps.* 15. * Patres nostri annuntiavérunt.

Lectio ij. Cap. 60.

QUi sunt isti qui ut nubes volant, et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? Me enim ínsulæ expéctant, et naves maris in princípio, ut addúcam fílios tuos de longè..., et vénient ad te... et vocábunt te civitátem Dómini... et scies quia ego Dóminus salvans te... et ponam visitatiónem tuam pacem, et præpósitos tuos justítiam. Non audiétur ultrà iníquitas in ter-

râ tuâ, vástitas et contrítio in términis tuis, et occupábit salus muros tuos, et portas tuas laudátio.... Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, et Deus tuus in glóriam tuam.

℟. Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * Visitávit nos óriens ex alto. *Luc.* 1.

℣. Nos omnes faciéntes voluntátem carnis et cogitatiónum, erámus natúrâ filii iræ, sicut et cæteri. *Eph.* 2. * Visitávit nos.

Lectio iij. Cap. 66.

POnam in eis signum, et mittam ex eis qui salváti fúerint ad Gentes... ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam, et annuntiábunt glóriam meam Géntibus, et addúcent omnes fratres vestros de cunctis Géntibus donum Dómino.. te assúmam ex eis in Sacerdótes et Levítas, dicit Dóminus; quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego fácio stare coràm me.. sic stabit semen vestrum et nomen vestrum.

℟. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis, * Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis. *Psal.* 47 *et* 144.

℣. Ipsi quidem missi à Spíritu sancto, abiérunt; et, cùm venissent, prædicábant verbum Dei. *Act.* 13. * Fidélis. Glória Patri. * Fidélis.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Deus, áuribus. *fol.* 172.

Ant. Bráchium eórum non salvávit eos, sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultûs tui.

Divis. Psal. In Deo laudábimur. *fol.* 172.

Ant. In Deo laudábimur totâ die, et in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Alt. div. Psal. Si obliti. *fol.* 173.

Ant. Propter te mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

℣. Beáti qui lavant stolas suas in sánguine Agni: *Apoc.* 22.

℟. In his secúnda mors non habet potestátem. *Ib. cap.* 20.

Lectio iv.

FErréolus Présbyter, et Ferrúcius Diáconus à sancto Irenæo Lugdunénsium Epíscopo missi sunt Vesontiónem, ut ibi Evangélium prædicárent. Cùm verbis et miráculis Fidéles in hâc Urbe Christo peperissent, fidem quam docúerant própríi sánguinis effusióne signárunt. Hæc habet in eórum laudem Litúrgia Gallicána sub finem quarti sæculi. Quotiescúnquè pugnas Sanctórum recólimus, te laudámus, et in quo Mártyres tuos Ferrúcium et Ferrucciónem proférimus, tuis virtútibus adscríbimus; quia illórum coróna, tua est glória, qui per únicum Filium tuum Jesum Christum Dóminum ac Salvatórem nostrum, mortália córpora docuísti pretiósi palmam portáre martyrii.

℟. Semper * Triúmphat nos Deus in Christo Jesu. 2. *Cor.* 2.

℣. Quis ergò nos separábit à charitáte Christi? *Roman.* 8. * Triúmphat nos.

Lectio v.

JUstè autem tuis méritis exhibémus, quo fortissimórum Mártyrum facta venerámur, qui humánas mentes ad certámen cœléstis glóriæ, amóre tuæ pietátis accéndis. Tuæ namque virtútis est præmium, pœna Sanctórum: nam in quâ subjacuérunt sævi membra carníficis, tibi servit Mártyrum effúsus sanguis, tibi triúmphum repórtat manus cruénta lictóris; quique gládio voluntária colla suppósuit, tibi vicit; quique úngulis flammísque subjácuit, tui palmam nóminis reportávit.

℟. Deo autem grátias, qui dedit victóriam * Per Dóminum nostrum Jesum Christum. 1. *Cor.* 15.

℣. Visi sunt (justi) óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace. *Sap.* 3. * Per Dóminum.

Lectio vj.

HAbes ergò, Dómine, in quo exúltes, quo-

tiescúnquè tantæ virtútis memóriam recólimus; nec immeritò singulis quibúsque cœléstia dona dispónis, qui tantum per Sanctos tuos úndique amórem adquíris. Quis non post tantam pietátis tuæ magnificéntiam, ánimum ad martyrii vota compónat? aut quis non provocétur ad pugnam, cùm videat magno labóris fructu remunerátam Mártyrum fuisse victóriam?

℟. Et nos * Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. *Heb.* 12.

℣. Magnam habet remuneratiónem. *Heb.* 10. * Per patiéntiam. Glória Patri. * Per patiéntiam.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Ut quid, Deus. *fol.* 207.

Ant. Memor esto congregatiónis tuæ, quam possedisti ab initio.

Divis. Psal. Usquequò. tuórum ne obliviscáris in finem; réspice in testaméntum tuum.

Psal. Deus, venérunt. *fol.* 106.

Ant. Secúndùm magnitúdinem bráchii tui póside filios mortificatórum.

℣. Nos pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ;

℟. Confitébimur tibi in sæculum. *Psal.* 78.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore, Dixit (Jesus Discípulis suis:) Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília
S. Joánnis Chrysóstomi. *Hom.* 7. *in Epist.* 1. *Cor.* §. 6.

DIcébam nuper Apóstolos ea quæ prædicárunt, nunquàm prædicatúros fuisse, nisi diviná movénte grátiâ, et non modò id non perfectúros, sed neque hâc de re consultatúros fuisse. Age verò; hódiè quoque hanc

eos id suscípere vel cogitáre, nisi Christum secum habuíssent. Non quia imbecílli advérsùs fortes, non quia pauci contrà multos, non quia páuperes contrà dívites, non quia indócti contrà sapiéntes, áciem instruébant; sed quia præjudicátæ opiniónis magna vis erat. Scitis enim nihil apud hómines valídius esse véteris consuetúdinis tyránnide.... nihil enim ita turbat ánimum, etiámsi útile quídpiam aggrediátur, ut innováre et peregrinum quid indúcere, máximè cùm de cultu Religiónis et de Dei glóriâ ágitur.

℣. Apud hómines hoc impossíbile est; * Apud Deum autem ómnia possibília sunt. *Matth.* 19.

℣. Potéstas ejus, potéstas sempitérna..... juxtà voluntátem enim suam facit... in habitatóribus terræ. *Dan.* 4. * Apud Deum.

Lectio viij. §. 7.

NOn modò à consuetúdine ad consuetúdinem trahébant, sed à consuetúdine securitátem habénte, ad rem perícula minitántem. Credéntem enim statim accidébat publicári, pelli, à pátriâ excídere, ab ómnibus ódio habéri, commúnem hostem esse, et suis, et aliénis. Itaque etiámsi vocàssent à novitáte ad consuetúdinem, étiam sic res diffícilis fuísset; cùm autem à consuetúdine ad novitátem vocárent, et hæc adéssent mala, cógita quantum erat illud impediméntum. Præter autem ea quæ dicta sunt, áliud non lévius erat quod mutatiónem diffícilem rédderet. Ad consuetúdinem enim et ad perícula id addas, quòd hæc præcépta onerosióra essent, et ea à quibus abducébant, lévia et facília. Nam à fornicatióne ad castitátem vocábant, ab amóre vitæ ad mortem, ab ebrietáte ad jejúnium, à risu ad lácrymas et compunctiónem, ab avarítiâ ad paupertátem, à securitáte ad perícula; et per ómnia extrémam exigébant accuratiónem.

℟. Dómine * Deus, in manu tuâ est fortitúdo

et poténtia, nec quisquam potest tibi resístere. 2. *Paralip.* 20.

℣. Non solùm hómines, sed et béstias ferocíssimas et muros férreos paráti penetráre, ibant de cœlo habéntes adjutórem Dóminum. 2. *Mach.* 11. * Deus, in manu tuâ est fortitúdo et poténtia, etc.

Lectio ix. §. 9.

ITaque eâ de causâ máximè admirári oportébat, quòd bárbaris homínibus persuáserint ut talem fidem susciperent, et bonam de futúris spem habérent, ac depósitâ priórum peccatórum sárcinâ, cum magnâ ánimi alacritáte, deindè pro virtúte labóres susciperent, et ad sensibília nulla inhiárent, omnibúsque córporis rebus superióres effécti, spirituália accíperent dona; ac Persa, Sármata, Maurus et Indus scirent ánimæ expiatiónem, Dei poténtiam et benignitátem ineffábilem, fidei philosóphiam; Spíritûs sancti advéntum, córporum resurrectiónem, et vitæ immortális dógmata. Hæc quippè ómnia, et his plura Barbarórum génera, piscatóres in baptísmo mystériis initiántes, philosophári suasérunt.

℟. Hæc mutátio déxteræ Excélsi: * Tu es, Deus, qui facis mirabília. *Psal.* 76.

℣. Audiéntes áuribus nostris admirábimur. *Eccli.* 43. * Tu es, Deus. Glória Patri. * Tu es.

℣. *Sacerd.* Sit memória illórum in benedictióne. *Eccli.* 46.

℟. Nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. *Eccli.* 44.

AD LAUDES.

Psal. Omnes gentes. *fol.* 67.

Ant. Elégit nobis hæreditátem suam, spéciem Jacob quam diléxit.

Ps. Cantáte Dómino omnis terra. *fol.* 66.

Ant. Omnes dii géntium dæmónia. Dóminus autem cœlos fecit.

Psal. Benedícam Dóminum. *fol.* 150.

Ant. Accédite ad Deum et illuminámini, et fácies vestræ non confundéntur.

Canticum. Baruch. 5.

EXue te, Jerúsalem, stolâ luctûs et vexatiónis tuæ, * et índue te decóre et honóre ejus, quæ à Deo tibi est, sempitérnæ glóriæ.

Circúmdabit te Deus diploïde justítiæ, * et impónet mitram cápiti honóris ætérni:

Deus enim osténdet splendórem suum in te, * omni qui sub cœlo est.

Nominábitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempitérnum: * pax justítiæ, et honor pietátis.

Exúrge, Jerúsalem, et sta in excélso; * et circúmspice ad oriéntem, et vide colléctos fílios tuos ab oriénte sole usque ad occidéntem, in verbo sancti gaudéntes Dei memóriâ.

Exiérunt enim abs te pédibus ducti ab inimícis: * addúcet autem illos Dóminus ad te portátos in honóre sicut fílios regni.

Glória Patri, etc.

Ant. Exúrge, Jerúsalem, et sta in excélso, et circúmspice ad oriéntem, et vide colléctos fílios tuos.

Psal. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *fol.* 91.

Ant. Laudáte Dóminum in sanctis ejus, laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Capitulum. Eccli. 44.

LAudémus viros gloriósos et paréntes nostros in generatiónibus Gentis; glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus.

HYMNUS.

QUalis vos séquitur glória, Mártyres,
Dùm vestros cíneres plebs
colit ósculis!
Ultor nempè Deus pensat
honóribus
Summis oppróbrium necis.

Non hoc Cæsáribus cóntigit ímpiis,
Detestáta manent crímina
pósteris:
Virtus vestra viget, nec
violábitur
Seris trádita sæculis.

Fusus pro Dómino fumat adhuc cruor,
Sacris pignóribus spirat
adhuc fides,

Præcónes fídei frigida péctora
Linguâ sánguinis éxcitant.
Tanto præsídio, non lupus aut lues
Hostilísve furor triste minábitur:
Pastóres óvium tangit adhuc amor,
Dilécti mémores gregis.
* Nutu cuncta tuo qui regis, ô Pater! etc.
ut sup. ad I. Vesp.

℣. Per fidem vicérunt regna;

℟. Operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. *Heb.* 11.

Ad Bened. *Ant.*

Ossa eórum púllulent de loco suo: nam corroboravérunt Jacob, et redemérunt se in fide virtútis. *Eccli.* 49.

Oratio.

DEus, qui nobis per beátos Ferréolum et Ferrúcium fídei documénta tradidísti; concéde propítius, ut de quorum gratulámur victóriis, ipsórum protegámur suffrágiis. Per Dóminum.

AD HORAS.

HYMNUS.

QUæ fuit vivis sóboles amíca,
Illius nunc vos móveant labóres;
Pósthumam vultu plácido, precámur,
Cérnite prolem.
Laus Deo Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Flamen;
Nos velis tantis Dúcibus beátos
Tángere portus. Amen.

Psalmi de Dominicâ.

℟. *parv.* Erat manus Dei cum eis, multúsque númerus credéntium convérsus est ad Dóminum. *Act.* 11.

AD II. VESPERAS.

Psal. Crédidi. *fol.* 153.

Ant. 6. F. Pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus.

Psal. In converténdo. *fol.* 73.

Ant. 2. D. Dicent inter gentes: Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Psal. Confitébor tibi, Dómine... in concilio. *fol.* 33.

Ant. 7. *d.* Redemptiónem misit pópulo suo; mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Psal. Laudáte, púeri, Dóminum. *fol.* 35.

Ant. 5. c. Sit nomen Dómini benedictum, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Psal. In éxitu Israël. *fol.* 35.

Ant. 1. A. Nos qui vivimus benedícimus Dómino.

Allelúia, allel. ℣. Filii Sanctórum sumus; et vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo. *Tob.* 2. Allel.

PROSA.

LÆtis concéntibus
Gentis Apóstolos,
Sonis concórdibus
Illústres æmulos
Ad astra tóllite.

Horum labóribus
Affúlsit véritas,
Et ab erróribus
Purgáta Cívitas:
Certátim psállite.

Falsis numínibus
Cæci dùm sérviunt,
Horum sermónibus
Nubes diffúgiunt:
Jam Christus cólitur.

Poténtes ópere,
Virtúte nóbiles,
Celso dùm múnere
Fungúntur húmiles,
Fides diffúnditur.

Jam àdest sæviens
Mundi ferócitas;
Sed virtus pátiens,
Invicta véritas,
Ambit supplícia.

Tela minántia
Dùm spernunt álacres,
Suos ad fórtia
Obfirmans Mártyres
Fit præsens grátia.

Utérque vínculis
Lætus constríngitur;
Utérque súbulis
Dirè perfóditur,
Exténsus tróchleis.

Lingua divéllitur;
Hos secant vérbera;
Caput abscinditur;
Volant ad sídera
Donáti láureis.

Vos, quorum sánguine
Tellus hæc rúbuit,
Quo tanquam sémine
Fides efflóruit,
Athlétæ nóbiles;

Ferte supplícibus
Nobis subsídium;

Estóte précibus
Gentis præsídium,
O Christi púgiles!
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 2. A.

Sedérunt super sedes, et judícium datum est illis, et vixérunt et regnavérunt cum Christo. *Apoc.* 20.

Commem. S. Antidii.

AD COMPLETORIUM.

Ps. et Hymn. ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.

Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris. 2. *Cor.* 4.

DIEB. INTRA OCT.

Sic fit Officium.

AD MATUTINUM.

Invitat. et Hymn. ut in die; tres Psal. Ant. et ℣. unius Nocturn. diei secundùm Fer. Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟. ℣. Sacerd. ut in die.

AD LAUDES.

Psal. et Cant. ut in die, um solâ primâ Ant. Cætera ut in die.

AD HORAS.

Hymni et Psalmi de Feriâ.

AD TERTIAM.

Capitulum. Heb. 13.

MEmentóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

℟. *br.* Habéntes eúmdem spíritum fídei, * Et nos crédimus. 2. *Cor.* 4. Habéntes.

℣. Patres nostri narravérunt nobis. *Ps.* 77. * Et nos crédimus. Glória Patri. Habéntes.

℣. Confundántur omnes qui adórant sculptília.

℟. Et qui gloriántur in simulácris suis. *Ps.* 96.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Reg.* 1.

COnsídera, Israël, super excélsa tua ínclyti interfécti sunt; quómodò cecidérunt fortes? Amábiles et decóri in vitâ

suâ, in morte quoque non sunt divísi.

℟. *br*. Ipsi vicérunt * Propter sánguinem Agni. Ipsi vicérunt.

℣. Non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. *Apoc.* 12.* Propter. Glória Patri. Ipsi vicérunt.

℣. Non mihi contingat párcere ánimæ meæ,

℟. In omni témpore tribulatiónis. 1. *Marc.* 13.

AD NONAM.

Capitulum. Tob. 2.

FIlii sanctórum sumus, et vitam illam expectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquàm mutant eo.

℟. *br*. Hæréditas sancta, * Nepótes eórum. *Eccli.* 44. Hæréditas.

℣. In fide fundáti et stábiles, et immóbiles. *Coloss.* 1. * Nepótes. Glória Patri. Hæréditas sancta.

℣. Salvatórem expectámus Jesum Christum :

℟. Reformábit corpus humilitátis nostræ. *Philip.* 3.

AD VESPERAS.

Psal. et Ant. de Feriâ.

Capitulum. Eccli. 44.

ILli viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; filii eórum propter illos usque in ætérnum manent; córpora ipsórum in pace sepúlta sunt.

Hymn. et ℣. *de I. Vesperis. Ant. ad* Magn. *de II. Vesp.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Feriâ, omissis Precib.

DIE XVII.

IN FESTO

SANCTI ANTIDII,

EPISCOPI BISONT.

et Martyr.

Ann. 267.

Duplex.

Ut in Communi unius Martyris.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CRocus, Rex Vandalórum, Gállias ingréssus, in omnes ubique crudéliter agens, ómnia devastábat, ac in Christiános præcipuè et crudéliùs sævíit. Expugnáto castro Ruffèyo, décimo ab urbe Bisontinâ milliário distánte, repértum in eo Antístitem hujus urbis Antídium, Christum líberè confiténtem, virgis cædi, fústibus contúndi, et tandem decolláari jussit.

℟. Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cùm probátus fúerit, * Accípiet corónam vitæ. *Jacob.* 1.

℣. Fidélis usque ad mortem. *Apoc.* 2. * Accípiet.

Lectio v.

SAcrum Antídii corpus in castro Ruffèyo sepúltum diù ibidem asservátum est, donec anno millésimo quadragésimo secúndo, ab Hugóne primo, Archiepíscopo Vesontionénsi, translátum est Vesontiónem, et ab eo repósitum in Ecclésiâ ejúsdem Urbis beáto Paulo dicátâ, ubi etiámnùm venerátur.

℟. Custódit Dóminus ómnia ossa Justórum: * Unum ex his non conterétur. *Ps.* 33.

℣. In pace sepúlta sunt. *Eccli.* 44. * Unum.

Lectio vj.

RAymúndus in Burgúndiâ Comes sæculo duodécimo in auxílium Alphónsi Sexti Castéllæ et Legiónis Regis, advérsùs Mauros cum seléctis inter Nóbiles Províncíæ viris progrédiens, sancti Antídii imáginem deférri vóluit. Servátur hæc imágo in unâ è capéllis Monastérii Sancti Vincéntii propè Ulyssipónem. Certum est, inquit Cardósus, erudítus vir Lusitánus, quòd, mediánte imágine illâ, usque hódiè multa et manifésta mirácula operétur Deus, præcípuè circà febricitántes ac tussi vexátos.

℟. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus, * Nimis confortátus est

principátus eórum. *Ps.* 138.

℣. Glória virtútis eórum tu es. *Ps.* 88. * Nimis. Glória Patri. * Nimis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Cùm persequéntur vos in civitáte istâ, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homília S. Joánnis Chrysóstomi. 35. *in cap.* 10. *Matth.*

PErpénde quáliter in hoc loco non pénitùs imminéntia mala repéllit, sed adest in perículis, atque levat. Non enim dicit: Erípiam vos à persecutóribus, ac persecutiónes cunctas dissólvam; sed, Nequáquam explébitis civitátes Israël, donec Fílius hóminis vénerit. Sufficiébat certè ad sedándos labóres eórum solus aspéctus Christi.

℟. Ego non solùm alligári, sed et * Mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. *Act.* 21.

℣. Dóminus Deus aspíciet. 2. *Machab.* 7. * Mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu.

Lectio viij.

VErùm quóniam timére póterant, ne infámiæ máculis laborárent, quod moléstius multis plerùmque solet vidéri; atténde quómodò ipsos hâc quoque in re consolátur, à se ipso et ab áliis dictis suis consolatióne diligénter contéxtâ: quo quidem consolándi modo nihil mélius, nihil ipsis grátius inveníri póterat. Sicut igitur priùs dixit: Omnes vos ódio habébunt; et statim adjécit: Propter nomen meum, ita étiam in hoc loco; quamvis álteram ásferat consolatiónem, cùm dicit: Non est Discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum.

℟. Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, aspiciéntes in * Auctórem fídei et consummatórem Jesum. *Heb.* 12.

℣. Glória magna est

sequi Dóminum. *Ecclt.* 23. * Auctórem fidei et consummatórem Jesum.

Lectio ix.

TErtiam quoque ad hæc áddidit consolatiónem, ut quóniam altiórem Philosóphiam adhuc non attigerant, ratiónum vi eos récreet. At sermo quidem universálem de ómnibus annuntiatiónem continére vidétur, non tamen ad ómnia, sed ad propósita solùm pértinet. Quod enim ait: Ne timeátis eos, nihil est opértum quod non revelábitur, nec occúltum quod non cognoscétur; hoc hujúsmodi est: Sufficere vobis debet illa consolátio, quòd me quoque Magístrum simílibus injúriis ac contuméliis lacerárunt.

℟. Replétus sum consolatióne, * superabúndo gáudio in omni tribulatióne. 2. *Cor.* 7.

℣. Configurátus morti Jesu Christi Dómini mei. *Phil.* 3. * Superabúndo. Glória Patri. * Superabúndo.

AD LAUDES.

Cantic. de Comm.

Oratio.

OMnipotens et miséricors Deus, qui te in tuórum præcipis solemnitátibus laudári sanctórum; tribue, pétimus, ut sancti Antídii Mártyris tui, et Antistitis, précibus muníti et méritis, tuis nunquàm destituámur subsídiis. Per Dóminum.

DIE XXI.

IN FESTO

LIBERAT. VESONT.

AB IRRUPT. HÆRET.

Ann. 1575.

Duplex tertiæ Classis et trium Lectionum.

Si hoc Offic. occurrat in Festo Sanctissimæ Eucharistiæ, vel Dominicâ intrà Octav. vel ipsâ die Octavâ, transfertur in diem sequentem; ita ut transferri nequeat ultrà Octavam SS. Martyrum ad quam pertinet.

Si tamen Officium SS.

Martyrum occurrat in Festum Corporis Christi, et ideò eorum Officium post totam Octavam Corporis Christi transferatur, non tamen transfertur Officium Liberatæ Civitatis, sed retinet proprium locum, seu fit die 21. junii.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 6. F. Fremuérunt Gentes; qui hábitat in cœlis irridébit eos, et Dóminus subsannábit eos. *Ps.* 2.

Capitulum. 4. Reg. 19.

HÆc dicit Dóminus: Prótegam Urbem, et salvábo eam propter me.

℟. Omnis congregátio pópuli, effúndite coràm (Deo) corda vestra, * Deus adjútor noster in ætérnum. *Ps.* 61.

℣. Ad níhilum dedúcet inimícos nostros. *Ps.* 107. * Deus. Glória Patri. * Deus.

HYMNUS.

SAnctórum túmulos et
cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora
Mártyrum,
Vultu Rellíquias, plebs,
cole cérnuo,
Urbis præsídium tuæ.
Cultus sacrílegos, ímpia
númina,
Dùm vivunt, fidei lúmine
prófligant
Chari Ferréolus, Ferrúcius, gregis
Pastóres, ténebras fugant.
Et nobis étiam post sua
fúnera
Hi patres vígilant, ne quid
adúlterum
Corrúmpat fidei virgíneum decus,
Et muris simul éxcubant
* Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Et sit summa tibi glória,
Spíritus;
Cujus præsídio prælia sústinent,
Et dant víncere Mártyres. Amen.

℣. Benedixísti, Dómine, terram tuam,

℟. Avertísti captivitátem. *Ps.* 84.

Ad Magn. *Ant.* 1. a. Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine; déxtera tua, Dó-

mine, percússit inimícum. *Exod.* 15.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Non fit Commem. Oct.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Feriâ.

HYMNUS.

HIs quæ fervet adhuc
vestra fides locis,
Accéndat gélidis pectóribus fidem,
Quandò vestra, patres, progénies sumus,
Et vestro sata sánguine.
* Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio, etc. *ut sup. ad Vesp.*

Ad Nunc dim. Ant. 4. j. Non est prudéntia, non est consilium contrà Dóminum. *Prov.* 21.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum exercituum protegéntem et liberántem, * Venite, adorémus. *Isa.* 31.

Psalm. Venite.

HYMNUS.

AD sanctos cineres, Chrysópolis, veni,
Sunt hæc plena Deo pígnora Mártyrum,
Hîc cunæ fidei, fúneris in sinu
Vitam plénius háusimus.
Quam tinxére suo sánguine Mártyres,
Urbem circúmeunt post sua fúnera,
Hostis insídias, hæresis et dolos
Admótâ rémovent face.
His quæ fervet adhuc vestra fides locis,
Accéndat gélidis pectóribus fidem,
Quandò vestra, patres, progénies sumus,
Et vestro sata sánguine.
* Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio, etc. *ut suprà ad Vesp.*

Quandò hoc Festum incidit in Dominic. tres Psal. cujuslibet Noct. Dominic. dicuntur cum unico Glória Patri *et Ant. tertii Psal.*

In aliis verò diebus dicuntur Ps. de Psalterio sec. Fer. cum tribus Glória Patri, *et tribus Ant. quæ positæ sunt pro Offic. trium Lectionum.*

℣. Dómini est salus,
℟. Et super pópulum benedíctio. *Psal.* 3.

Lectio

Lectio iij.

HÆreses quæ ab ineúnte sæculo décimo sexto per Germániam et per Gállias grassabántur, inclinánte eódem sæculo, in Séquanos et in ipsam Sequanórum Metrópolim Vesontiónem disseminári incipiébant. Multi enim novis et pervérsis dogmátibus imbúti erant. Sed cùm álii à Clero Civitátis ab hâc perversitáte revocáti fuíssent, álii pertináciùs erróri adhæréntes, jubénte Imperatóre Maximiliáno secúndo, Civitáte pulsi sunt. Tunc isti pátriâ extórres, ad Helvétios, ad Genevénses, ad Germános, ad Gallos iníquæ factiónis sócios prófugi, consílium cum iis de occupándâ Civitáte Bisontínâ iniérunt. Accépto ítaque ab illis earúmdem pártium, et hæréticâ pravitáte infectórum mílitum auxílio, áviis itinéribus Vesontiónem conténdunt, et Civitátem ex improvíso adoríri constítuunt. Cui cùm appropinquássent nocte intempéstâ, mílites navículis impósitos invehunt secúndo flúmine in eam Civitátis regiónem quæ déxteræ præterfluéntis Dubis rípæ ádjacet, et vicus Batuálium nominátur. Portas, áditus, vias, pontem óccupant, è quo torménta béllica vibrant, glandes férreas intórquent, totam Civitátem, (ni divína succúrrat bónitas et poténtia,) brevi témpore expugnatúri. Verùm Deus fidélibus suis non défuit. Cives è somno excitáti ad arma concúrrunt, fórtiter resístunt, Cláudio à Bauma Archiepíscopo, et Francísco de Vergiáco Comitátui Burgúndiæ à Rege Cathólico Præfécto (qui tunc fortè Vesontióne agébat,) ánimos addéntibus. Hostes cedunt, fugántur, deléntur: álii, seu igne, seu ferro perémpti cecidérunt; álii in flumen præcípites dati et aquis absórpti; álii láqueo necáti sunt. Réliqui probrósâ fugâ vitæ consuléntes se recepérunt. Tandem omnes débitas pervicáciæ suæ pœnas dedérunt. Tantum verò divínæ virtútis opus et benefícium, quod undécimo

Kaléndas július, anno Dómini millésimo quingentésimo septuagésimo quinto, intrà Octávam Festivitátis sanctórum Ferréoli et Ferrúcii Civitátis Patronórum, avíta cívium fides asséruit, eâ ipsâ die recurrénte, supplicatióne solémni et gratulatóriâ commemoratióne quotánnis récoli et celebrári plácuit.

℟. Cognóscant Gentes poténtiam Dómini, quia * Contrà Deum pugnáre non est fácile. *Eccli.* 46.

℣. Dóminus fortitúdo plebis suæ, et protéctor salvatiónum Christi sui est. *Ps.* 27. * Contrà. Glória Patri. * Contrà.

℣. *Sacerd.* Narráte ómnia mirabília Dómini. *Ps.* 104.

℟. Quis súfficit enarráre ópera illíus? *Eccli.* 18.

AD LAUDES.

Ant. et Psal. de Psaltério. Cantic. ut in Festo SS. Mart.

Capitulum. Exod. 12.

HAbébitis hunc diem in monuméntum, et celebrábitis eam solémnem Dómino in generatiónibus vestris cultu sempitérno.

HYMNUS.

LUx de luce Deus, fons quoque lúminis,
Per quem Relligio, puráque stat fides;
Tristem sub míserâ nocte Chrysópolim
Quanto lúmine récreas!

Cùm per mille dolos hæresis óbsidet,
Urbis Cathólicæ mœnibus írruens;
Consérvant fídei depósitum íntegrum
Sanctórum cíneres Patrum.

Firmant instábiles et dúbios regunt,
Monstrant tuta procul líttora náufragis,
Nobis qui véhimur cæca per æquora
Collúcent géminæ faces.

* Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio, etc. *ut suprà ad Vesp.*

℣. Adhærére Deo bonum est,

℟. Pónere in Dómino spem. *Ps.* 72.

Ad Bened. *Ant.*

Jam advénerat vigília

matutína, et ecce respíciens Dóminus super castra Ægyptiórum, interfécit exércitum eórum. Dixérunt ergò Ægyptii : Fugiámus Israélem, Dóminus enim pugnat pro eis contrà nos. *Exod.* 14.

Oratio.

MAgníficet te, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Ferréoli et Ferrúcii veneránda solémnitas, quorum benefício plebs tua se et fidem accepísse, et de hóstibus fidei victóriam reportásse confitétur. Per.

AD HORAS.

Hymnus.

VOs, quorum cíneres súpplicibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis,
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Et sit summa tibi glória, Spíritus;
Cujus præsídio prælia sústinent,
Et dant víncere Mártyres. Amen.

Psal. de Psalt.

℣. *parv.* Statuérunt dimicáre et conflígere fórtiter, eò quòd cívitas sancta et templum periclitaréntur. 2. *Mach.* 15.

AD II. VESPERAS.

Ant. et Psal. ut in Psalt.

Allelúia, Allel. ℣. Benedictus Dóminus qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum. Allelúia. *Ps.* 123.

Prosa.

MElos gratum pange, Chrysópolis :
Favet Deus, et fínibus tuis
Inimíca fugátur hæresis,
Allelúia.

Omnípotens qui bella cónterit,
Hostes tuos in fugam cónjicit,
Castra sua circà te státuit
Liberátor.

Nova bella de cœlo dímicat :
Non gládius, non hasta prófligat,
Novum lumen hæresim dissipat
Conturbátam.

Stellæ suo manéntes órdine,

Bisontinæ faces Ecclésiæ
Fixæ cœlis, Urbis in ácie
Pugnavérunt.
Ferréolus atque Ferrúcius
Fidem verbis, signis, virtutibus,
Quam dedérunt nostris concivibus,
Confirmárunt.
Dùm flúctuat in médio mari,
Potest navis procéllis cóncuti;
His dúcibus non potest óbrui
Tempestáte.
Veræ lumen, fac, Deus, fidei
Teneámus, et ánchoram spei,
Et cum Sanctis flagrémus pérpeti
Charitáte. Amen.

Ad Magn. *Ant.* 5. C.

Invocáto Deo per oratiónes, congréssi sunt, manu quidem pugnántes, sed Dóminum córdibus orántes. 2. *Mach.* 15.

Ad Nunc dim. *Ant.* 4. *E.*

Grátias Deo super inenarrábili dono ejus. 2. *Cor.* 9.

Die xxiii.

OCT. SS. MARTYR.

Semiduplex.

ET VIGILIA

NAT. S. JOAN. BAPT.

Omnia ut intrà Octav. præter ea quæ sequuntur. Ad Laud. quinque Ant. ut in die, Commem. Vigil. per Hom. ut inf.

Quòd si hæc dies incidat in Dominic. Offic. fit de Dom. cum Comm. diei Octav. per Ant. ad Benedíctus, ℣. *et Orat, et anticipabitur Com. Vigil. in Sabb. et tunc dicetur pro tertiâ Lect. Hom. Vigil. et ad Laud. fiet Comm. ejusd. per Ant. et* ℣. *de Psalt. Orat. ut hab. inf.*

AD MATUTINUM.

Quæ Lectio omittitur, si hæc dies Octava incidat in Domin.

VEsonticórum Cívitas própriis illustráta Martyribus, plerúmque miráculis præséntibus gaudet. Hîc in ábdito cryptæ, duo, ut pássio declárat, Mártyres Ferréolus atque Ferrúcius sunt sepúlti. Factum est autem quodam témpore, ut vir sorôris meæ, invalescénte febre, gráviter ægrotáret. Cùmque jam quarti mensis spátio léctulo anhélus occúmberet, ut nihil áliud conjux mœsta, nisi quæ sepultúræ necessária essent, cogitáret, sanctórum Basílicam flens ac tristis expétiit, provolutaque coràm sepúlcris, palmis ac fácie rigénte ópprimit paviméntum. Accidit autem fortúitò, ut, exténsâ déxteræ manûs palmâ, fólium herbæ sálviæ, quod pro honóre Mártyrum in cryptâ conspérsum fúerat, operíret. Postquàm autem fusâ oratióne cum lácrymis surréxit à túmulis, putans áliquid de linteamínibus quibus indúta erat, manu prehendísse, ut ássolet, volam contínuit clausam: egréssaque Basílicam, patefáctâ manu, fólium herbæ mirátur. Obstupefácta verò quid hoc esset, munus cœléste indúltum sibi divínitùs recognóscit, ut scílicet per illud virtus Mártyrum infírmo succúrreret. Domum ígitur jam lætior rédiens, fólium dilútum aquâ, viro porréxit ad bibéndum. Qui ut hausit plenus fide, prótinùs sanitátem plenissimam méruit obtinére.

℟. Voluntátem timéntium se fáciet, et * Deprecatiónem eórum exáudiet. *Ps.* 144.

℣. Dedit illis potestátem ut curárent omnem infirmitátem. *Matth.* 10. * Deprecatiónem. Glória Patri. * Deprecatiónem.

AD LAUDES.

Fit Comm. Vigil. per Evang. et Hom. seq.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Cap. 1.

FUit in diébus Heródis Regis Judǽæ, Sacérdos quidam, nómine Zacharías, de vice Abía; et

uxor illíus de filiábus Aáron, et nomen ejus Elízabeth. Erant autem justi ambo ante Deum. Et réliqua.

Homília
S. Ambrósii Episcopi.
In Luc. lib. I.

DOcet nos scriptúra divína, non solùm mores in iis qui prædicábiles sunt, sed et étiam paréntes oportére laudári; ut véluti transmíssa immaculátæ puritátis hæréditas, in iis quos vólumus laudáre, præcéllat. Quæ enim ália inténtio hoc loco sancti Evangelístæ, nisi ut sanctus Joánnes Baptísta nobilitétur paréntibus, miráculis, móribus, múnere, passióne? Sic étiam sancti Sámuel mater Anna laudátur; sic Isaac à paréntibus nobilitátem pietátis accépit, quam pósteris derelíquit... Erant autem ambo justi ante Deum... Non otiósè justos ante Deum dixit: non enim omnis corde... Perfécta ígitur laus est ante Deum justum esse.

(*Sequens Resp. dicitur quandò superior Lectio legitur pro tertiâ Lect. Officii.*)

℟. O quàm * Pulchra est casta generátio cum claritáte! *Sap.* 4.

℣. Sed non est super timéntem Dóminum. *Eccli.* 25. * Pulchra. Glória Patri. * Pulchra.

Ant. ad Bened. *et* ℣. *de Fer. ut in Psalt.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat, et beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui.

DIE XXIV.
IN NATIVITATE
S. JOANNIS BAPT.

Ant. 2. *D.* Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini. *Mal.* 4.

Ant. 4. E. Erit magnus coràm Dómino, et ipse præcédet ante Dóminum. *Luc.* 1.

Ant. 1. *D.* Vocábis nomen ejus Joánnem, et multi in nativitáte ejus gaudébunt. *Luc.* 1.

Ant. 5. c. Vinum et síceram non bibet, et Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ. *Luc.* 1.

Ant. 8. G. Multos filiórum Israël convértet ad Dóminum Deum ipsórum, et præcédet paráre Dómino plebem perféctam. *Luc.* 1.

Capitulum. Malach. 3.

ECce ego mitto Angelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam, dicit Dóminus exercítuum.

℟. Hic est qui * Dictus est per Isaíam Prophétam: Vox clamántis in desérto, paráte viam Dómini. *Matt.* 3.

℣. Non surréxit inter natos mulierum major. *Matth.* 11. * Dictus est.

Glória Patri.* Dictus est.

HYMNUS.

CHriste, prolápsi Reparátor orbis,
Ut tuum casto celebrémus omnes
Ore Baptístam, máculas profáni
Elue cordis.

Hunc paratúrum Dómino sequénti
Sémitam, prisci cecinére Vates:
Vátibus cunctis fuit ipse major,
Júdice Christo.

Hic et inclúsus Genitrícis alvo,
Sentit exúltans Dóminum laténtem;
Jamque cœlésti trépidat veníre
Obvius agno.

Quid fide pendes dúbiâ, Sacérdos?
Muta torpébit tibi vox; at infans
Prótinùs nascens pátriæ resólvet
Víncula linguæ.

Quin repromissam, súbitus Prophéta,
Cernis humáno géneri salútem;
Núntias pacem, reserásque fatis
Grándibus ora.

* Gaudet admírans pópulus, stupétque:
Quis puer, clamant, erit iste, cujus
Se statim prodit manifésta tantis
Glória signis?

Laus sit ætérnæ suæ Trinitáti,
Quæ novam mundo paritúra lucem,
Prævium soli vóluit Joánnem
Súrgere sidus. Amen.

℣. Tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis,
℟. Præíbis ante fáciem Dómini. *Luc.* 1.

Ad Magn. *Ant.* 7. G.

Fuit homo missus à Deo, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent. *Joan.* 1.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Commem. occurr.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Dominicâ.

Hymnus.

*GAudet admírans, etc., *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 1. g.

Puer crescébat, et confortabátur spíritu, et erat in desértis usque in diem osteńsiónis suæ ad Israël. *Luc.* 1.

AD MATUTINUM.

Invit. Agnum Dei à Joánne demonstrátum, * Venite, adorémus. *Joan.* 1.

Psal. Venite.

Hymnus.

EXiit cunis pretiósus infans,
Munus Excélsi. Venit ut tenéllo
Córpori robur, nova ditat intùs
Grátia mentem.

Jamque convéntus fúgiens profános,
Hórridis blandâ procul urbe lustris
Militem Christo parat, innocéntes
Sævus in artus.

Cinctus hirsúti spóliis caméli,
Arido vitam toleráre victu
Gaudet, insúlsas médicans agrésti
Melle locústas.

Scilicet, sacrâ stimulánte flammâ,

Pérfidam natus renováre gentem,
Ad patrum mentes revocábit olim
Corda nepótum.
Laus sit ætérnæ sua Trinitáti,
Quæ novam mundo paritúra lucem,
Prævium soli vóluit Joánnem
Súrgere sidus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Bonum est confitéri. *fol.* 50.

Ant. Plantáti in domo Dómini, adhuc multiplicabúntur in senéctâ úberi.

Psal. In te, Dómine, sperávi. *fol.* 166.

Ant. In te confirmátus sum ex útero; de ventre matris meæ tu es protéctor meus.

Divis. Psal. Os meum annuntiábit. *fol.* 167.

Ant. Deus, docuísti me à juventúte meâ, et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

℣. Factum est verbum Dómini super Joánnem in desérto.

℟. Venit prædicans Baptísmum pœniténtiæ. *Luc.* 3.

Lectiones de Scripturâ, cum suis ℟℟℟.

(*Si Festum celebretur sub ritu* 1. *Class. tunc Lection. sumuntur de I. Noct. ut in comm. Justorum.*)

IN II. NOCTURNO.

Psal. Beátus vir. *fol.* 4.

Ant. Erit tanquam lignum quod plantátum est secùs decúrsus aquárum, quod fructum suum dabit in témpore suo.

Psal. Afférte. *fol.* 202.

Ant. Vox Dómini concutiéntis desértum.

Psal. Confitébimur. *fol.* 190.

Ant. Cantábo Deo Jacob, et ómnia córnua peccatórum confríngam.

℣. Surréxit quasi ignis.

℟. Verbum ipsius quasi fácula ardébat. *Eccli.* 48.

Sermo
Sancti Bernárdi Abbátis.
In Nat. S. Joannis Bapt.
§. 3.

Lectio iv.

AUdistis, fratres, quid Dóminus de Joánne

loquátur, cujus solémnis hódiè Nativitas celebrátur. Ille, inquit, erat lucérna ardens et lucens: magnum testimónium, magnus enim est cui perhibétur, sed major ipse qui pérhibet. Erat lucérna ardens et lucens; est enim tantùm lucére, vanum; tantùm ardére, parùm: ardére et lucére, perféctum... Singuláriter Apóstolis et apostólicis viris dícitur: Lúceat lux vestra, nimírùm tanquam accénsis, et veheménter accénsis, quibus non timeátur à flatu quólibet et impulsióne ventórum. Dictum est et Joánni; sed illi in aure áudiunt, Joánnes in spíritu, tanquam Angelus erudítur; nimírùm tantò propínquior Deo, quantò vox verbo vicína, cui nullâ voce áliâ médiâ quod foris sonet, opórteat intimári: neque enim Joánnem prædicátio, sed inspirátio dócuit, quem replévit Spíritus in útero matris suæ.

℟. Audíte, insulæ; atténdite, pópuli, de longè: * Dóminus formans ex útero servum sibi. *Isa.* 49.

℣. Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparábit viam tuam ante te. *Matth.* 11. * Dóminus.

Lectio v. §. 5.

Ille erat, inquit, lucérna ardens et lucens: non ait: Lucens et ardens, quia Joánnis ex fervóre splendor, non fervor pródiit ex splendóre. Sunt enim qui non ideò lucent quia fervent, sed pótiùs fervent ut lúceant; at isti planè non fervent charitátis spíritu, sed stúdio vanitátis. Vultis nosse quemádmodùm arsit Joánnes et luxit? Tríplicem in eo árbitror inveníri ardórem et splendórem. Ardens enim erat in seipso, austeritáte conversatiónis; ergà Christum, intimo fervóre devotiónis; ergà peccántes próximos, constántiâ líberæ increpatiónis. Luxit, seipsum osténdens ad imitatiónem; et Christum luminàre majus quod latébat, ad peccatórum remissiónem; et ipsas quoque ténebras nos-

tras illúminans, útique ad correptiónem.

℟. A ventre matris * Consecrátus est Prophéta, evértere, erúere, pérdere, et iterùm renováre. *Eccli.* 49.

℣. Venit ut testimónium perhibéret de lúmine. *Joan.* 1. * Consecrátus est.

Lectio vj. §. 6.

Considera igitur hóminem angélico promíssum oráculo, concéptum miráculo, sanctificátum in útero, et novum in novo hómine pœniténtiæ miráre fervórem... Joánnes, quo nullus major in natis mulíerum, innocentíssimum corpus castigat, extén[d]it. Cujus memóriam ágitis, ô nimis delicáti cultóres! Nonne illíus qui in erémo fuit hirsútus veste, conféctus inédiâ? Quid exístis in desértum vidére? Hóminem móllibus vestitum, nutrítum móllibus? Quis in nobis est, fratres, qui Joánnis pœniténtiam íntuens, suam alicújus moménti reputáre præsumat? Quæ flagitia sic puniébat Joánnes? Accendámur ad pœniténtiam, fratres, animémur ad ultiónem exigéndam de nobis, ut horréndum possímus evádere judícium Dei vivéntis. Quidquid verò minus est fervóris, humílitas súppleat puræ confessiónis.

℟. In hoc ipso * Pœniteámus, et indulgéntiam Dómini fusis lácrymis postulémus. *Judith.* 8.

℣. A diébus Joánnis Baptístæ usque nunc, regnum cœlórum vim pátitur, et violénti rápiunt illud. *Matth.* 11. * Pœniteámus. Glória Patri. * Pœniteámus.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Dómine, quis habitábit. *fol.* 80.

Ant. Quis requiéscet in monte sancto tuo, (Dómine?) qui ingréditur sine máculâ.

Psal. Dómine, in virtúte tuâ. *fol.* 124.

Ant. Prævenísti eum, (Dómine,) in benedictiónibus dulcédinis.

Psal. Dómini est terra. *fol.* 87.

Ant. Hic accípiet benedictiónem à Dómino

et misericórdiam à Deo salutári suo.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. *Psal.* 20.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

ELizabeth implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni et cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illâ, et congratulabántur ei. Et réliqua.

Homília Sancti Máximi Epíscopi. 3. *in Nat. S. Joan. Bapt.*

FEstivitátem præséntis diéi, fratres charíssimi, venerándi Joánnis Baptístæ genuína nativítas consecrávit; qui idcircò in hoc sæculum supérnâ dispensatióne diréctus est, ut non solùm ipse prophetáli sublimarétur glóriâ, sed ut et ómnium étiam per eum Prophetárum præcónia firmaréntur. Nec immeritò illum præcípuo honóre nunc venerámur, qui speciáli quâdam grátiâ, ob hoc Redemptórem mundi novíssimus prophetávit, ut osténderet eum primus. Hic enim solus est Prophetárum qui Dóminum nostrum Jesum Christum, quem álii in longa témpora futúrum præsciérunt, própriis óculis vidére méruit, et annuntiáre præséntem.

℟. Magnus et potens est in honóre, * Non est major illo. *Eccli.* 10.

℣. Vidit Jesum, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. *Joan.* 1. * Non est.

Lectio viij.

HIc est ille quem, inspiránte Deo, præscius annúntiat Isaías, dicens: Vox clamántis in desérto, paráte viam Dómini. Quàm cóngruè, fratres charíssimi, beátus Joánnes prædicátus est vox, qui cœléstis Verbi et præco mittebátur et testis! Hic est ille cujus per Angelum Gabriélem prænuntiátur nativitas, et nomen, et méritum. Hic est qui judício cœléstis senténtiæ cunctis mortálibus antefértur, dicénte Dómino: Non sur-

réxit inter natos mulíerum major Joánne Baptístâ. Quàm pulchrè dictum est, inter natos mulíerum non esse majórem! quia ille omnímodis major erat Joánne qui de Vírgine nascebátur.

℟. Mihi autem * Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. *Psal.* 138.

℣. Hæc gloriátio non infringétur. 2. *Cor.* 11. * Nimis.

Lectio ix.

QUibus prospéctis, advértite, dilectíssimi, quantam huic reveréntiam, quantùm devotiónis debeámus impéndere, qui ut honorábilis sit, à sancto est Spíritu prophetátus, promíssus ab Angelo, laudátus à Dómino, et perpétuâ sanctæ mortis glóriâ consecrátus. Decébat namque ut mysticam nativitátem ejus mirábilis vita sequerétur, et sanctam perfectámque vitam mors Deo devóta conclúderet. Propter quod, fratres, rectíssimè toto hódiè orbe, Christi Ecclésia primórdia nativitátis ejus lætíssimâ festivitáte concélebrat, qui ætérna mortálibus adésse gáudia, stupénti mundo testis fidelíssimus revelávit.

℟. Propter hoc * Glorificáte Dóminum: à fínibus terræ audívimus glóriam justi. *Isa.* 24.

℣. In fide suâ probátus est Prophéta, et cógnitus est fidélis, quia vidit Deum lucis. *Eccli.* 46. * Glorificáte. Glória Patri. * Glorificáte.

℣. *Sacerd.* Prophéta magnus surréxit in nobis. *Luc.* 7.

℟. Etenim manus Dómini erat cum illo. *Luc.* 1.

AD LAUDES.

Psal. Laudáte Dóminum de cœlis. *fol.* 16.

Ant. Conféssio ejus super cœlum et terram, exaltávit cornu pópuli sui.

Psal. Cantáte.. Dómino, omnis terra. *fol.* 66.

Ant. Gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt: tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit.

Psal. Dóminus regnávit; exúltet terra. *fol.* 88.

Ant. Audívit et lætáta est Sion, et exultavérunt fíliæ Judæ.

Canticum. Is. 40.

SUper montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion;* exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem.

Exálta, noli timére; * dic civitátibus Juda: Ecce Deus vester;

Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet; * et bráchium ejus dominábitur.

Ecce merces ejus cum eo, * et opus illíus coràm illo.

Sicut pastor gregem suum pascet; * in bráchio suo congregábit agnos, et in sinu suo levábit; fætas ipse portábit.

Glória Patri, etc.

Ant. Qui evangelízas Jerúsalem, exálta, noli timére; dic civitátibus Juda: Ecce Deus vester.

Psal. Cantáte... quia mirabília fecit. *fol.* 68.

Capitulum. Act. 19.

JOánnes baptizávit baptísmo pœniténtiæ pópulum, dicens: In eum qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, hoc est, in Jesum.

HYMNUS.

NUnc suis tandem novus è latébris
Prodit Elías, populisque Christum
Clamat, expróbrans sua viperínæ
Crímina proli.

En Deus Judex, Deus en propinquat
Véntilans fruges; súperis recóndet
Tríticum cellis, paleásque diros
Tradet in ignes.

Hujus advéntu, rigidum supérbi
Déprimant montes caput, erigántur
Vállium passim cava, corrigántur
Prava viárum.

Sancte Precúrsor, date præco lucis,
Excitet somno tua vox

Summa laus Patri, genitóque Verbo;
Æquus ambórum sit honos Amóri,
Qui sacrum Christi púgilem poténter
Ungit et armat. Amen.

℣. Ipse est diréctus divinitùs
℟. In pœniténtiam gentis. *Eccli.* 48.

Ad Bened. *Ant.*

Cœpit Jesus dícere ad turbas de Joánne: Quid exístis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, et plus quàm Prophétam. *Matth.* 11.

Oratio.

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti; da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

QUid moras nectis? Dómino jubénti

Hic tuis ardet mánibus, Joánnes,
Amne lavári.

Quis fuit sensus tibi, cùm vidéres
Súpplicis ritu dare colla pronum,
Cui pedum summo réputes honóri
Sólvere lora?

Cernis ut, nimbo rutilánte, Christo
Spíritus, Patris comitánte voce,
Incubat, sese Triadísque tota
Pandit imágo.

* Laus sit ætérnæ sua Trinitáti,
Quæ novam mundo paritúra lucem
Prævium soli vóluit Joánnem
Súrgere sidus. Amen.

Psalmi de Dominicâ.

℟. *parv.* Joánnes testimónium perhíbuit veritáti: Ille erat lucérna ardens et lucens. *Joan.* 5.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

DIligens instas óperi Minister;

Prædicas agnum, digitó-
que fidus
Indice monstras.
* Laus sit ætérnæ, etc.
u tsuprà.

℣. *Parvum, ut suprà, et sic ad Sextam et Nonam.*

AD SEXTAM.

Hymnus.

IMmemor laudis própriæ, magistro
Débitos Christo próperas alúmnos
Réddere; ardébas minui: decébat
Créscere Christum.
* Laus sit ætérnæ, etc.
ut suprà.

AD NONAM.

Hymnus.

NEc fidem vitâ sat erit probásse;
Víndicem læsi rígidum pudóris
Te manet carcer: Dómino cruéntâ
Morte præíbis.
* Laus sit ætérnæ, etc.
ut suprà.

AD II. VESPERAS.

Psal. Dómine, probásti me. *fol.* 181.

Ant. 3. à. Suscepisti me, (Dómine,) de útero matris meæ.

Div. Psal. Confitébor tibi. *fol.* 181.

Ant. 7. c. Cognósce, (Dómine,) sémitas meas, et vide si via iniquitátis in me est.

Ps. Crédidi, propter. *fol.* 153.

Ant. 4. A. O Dómine! quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillæ tuæ.

Psal. Dómine, non est exaltátum. *fol.* 130.

Ant. 1. f. Non est exaltátum cor meum, neque eláti sunt óculi mei.

Psal. Beátus vir qui timet. *fol.* 34.

Ant. 8. G. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. Allelúia, Allel. ℣. Lex et Prophétæ usque ad Joánnem, ex eo regnum Dei evangelizátur. Allel. *Luc.* 16.

Prosa.

EXultáte, psállite,
Vatum vatem cánite:
Major

Major nemo náscitur.
Sanctus nedùm édi-
tus,
Vix natus, jam inclytus
Porténtis extóllitur.
Tu, præcúrsor Dómi-
ni,
Tu, puer, Altíssimi
Prophéta vocáberis.
Singulári grátiâ
Vocátus ad grándia,
Plus quàm vates násceris.
Tu præséntem Dómi-
num,
Prophétiæ términum,
Monstras, ardens fácula.
Lex umbrárum dési-
nit,
Ordo novus íncipit,
Impléntur orácula.
Agnus ecce cérnitur
Quo peccátum tóllitur,
In aquæ mystério.
Jam cœlum vim páti-
tur,
Regnum Dei pánditur
Tuo ministério.
Quàm luces splendóri-
bus,
Tàm flagras ardóribus,
Ut mundéntur péctora.
Fac, precámur, ár-
deant,
Nostra fac ut lúceant,
Sermónes et ópera.
Quàm festívum cólere,
Et in cœlo cérnere,
Quem demónstras nún-
tius!
Via fiat pátriæ,
Via pœniténtiæ,
Quam trivísti prævius.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 6. *C.*

Conféssus est quia non sum ego Christus; ego vox clamántis in desérto: Dirígite viam Dómini. *Joan.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominicâ.

HYMNUS.

NUnc suis, etc. *ut suprà ad Laud. usque ad fin.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 5. a.

Ipse est Elías qui ventúrus est. *Matth.* 11.

INTRA OCTAVAM.

AD MATUTINUM.

Invitat. et Hymn. ut in die; tres Psal. Ant. et ℣. *unius Nocturn. diei secundùm Fer. Lectiones de Script. cum suis* ℟℟℟. ℣. *Sacerd. ut in die.* (1)

(1) Doxologia: Quem prævius, Christum Dei
Orbi Joannes nuntiat
Jesu, tibi sit gloria,

AD LAUDES.

Psal. et Cant. ut in die cum solâ primâ Ant. Cætera ut in die.

AD HORAS.

Hymni et Psalmi de Feriâ.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Jerem. 1.

FActum est verbum Dómini dicens: Priúsquàm te formárem in útero, novi te, et sanctificávi te, et Prophétam in Géntibus dedi te.

℟. *br*. Puer iste * Magnus coràm Dómino. *Luc.* 1. Puer iste.

℣. Non surréxit inter natos mulíerum major. *Matth.* 11. * Magnus. Glória Patri. Puer.

℣. Exaltávit vocem in prophétiâ.

℟. Delére impietátem gentis. *Eccli.* 46.

AD SEXTAM.

Capitulum. Matth. 3.

VEnit Joánnes Baptísta in desérto, habébat vestiméntum de pílis camelórum et zonam pellíceam circà lumbos suos; esca autem ejus erat locústæ et mel silvéstre.

℟. *br*. Spíritus éxpulit eum in * Desértum. *Marc.* 1. Spíritus.

℣. Ibi sémita et via, et via sancta. *Isa.* 35. * Desértum. Glória Patri. Spíritus.

℣. Ecce qui in veste pretiósâ sunt,

℟. In dómibus Regum sunt. *Luc.* 7.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 13.

CUm impléret Joánnes cursum suum dicébat: Quem me arbitrámini esse? non sum ego (Salvátor Jesus;) sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceaménta pedum sólvere.

℟. *br*. Ecce verè * Israé-

lita in quo dolus non est.

℣. Dedit confessiónem sancto. *Eccli.* 47. * Israëlíta. Glória. Ecce.

℣. Humiliátus es coràm Dómino. 4. *Reg.* 22.

℟. Glória Dómini cólliget te. *Isa.* 58.

AD VESPERAS.

Psal. et Ant. de Fer. Cap. Hymn. et ℣. *de I. Vesp. Festi. Ant. ad* Magn. *de II. Vesperis.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Psalterio, omissis precibus.

DIE XXVI.

IN FESTO

S. ANTHELMI,

BELLICENSIS EPISCOPI.

Ann. 1108.

Semiduplex.

Lectio iij.

ANthélmus, claris natálibus à cástello Ciniáno Chigniâ in Sabáudiâ ortus, adhuc adolescéntulus sacræ milítiæ nomen dedit. Bellicénsis Canónicus, dein Genevénsis præpósitus, tandem sanctióris vitæ génere permótus, ómnibus renúncians, Carthusiáni Ordinis hábitum suscépit: oratióni, vigíliis, jejúniis, cæterísque Carthusiánæ disciplínæ observatiónibus, eo spíritûs fervóre se trádidit, ut frátribus admiratióni esset et exémplo. Annos vix vigínti duos natus, consénsu unánimi Prior et Præpósitus generális eléctus est. Cùm annis duódecim præfuísset, in céllulâ se recóndit; et in ipso vitæ solitáriæ ótio de Ecclésiâ óptimè méruit. Ejus potíssimùm stúdio et diligéntiâ Carthusianórum Ordo, nec non multi Epíscopi, Alexándri III. legítimi Pontíficis partes suscepérunt, Pseudo-Pontífice rejécto. Vacánte Bellicénsi sede, votis commúnibus eléctus est: totus óperâ et sermóne commíssi sibi gregis custódiæ et salúti incúbuit. Pópulis et princípibus charus, ómnibus venerábilis, ple-

nus méritis, plus quàm septuagenárius obdormívit in Dómino, sexto Kaléndas júnii anno suprà millésimo centésimo septuagésimo octávo. In ecclésiâ suâ Bellicénsi depósitum fuit ejus corpus, ubi magnâ fidélium devotióne cólitur.

℟. Hic est, qui fuit in Ecclésiâ, in solitúdine cum Angelo qui loquebátur ei; * Qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7.

℣. Hunc Deus príncipem et redemptórem misit. *Act.* 7. * Qui accépit. Glória Patri. * Qui accépit.

Oratio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui beátum Anthélmum Antístitem pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant et totâ virtúte perfíciant. Per Dóminum.

DIE XXVIII.

IN FESTO

SS. IRENÆI,

ET SOC. MARTYR.

C. Ann. 202.

Duplex.

Ut in Communi SS. Martyrum, præter ea quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS.

Commemor. Octav. S. Joannis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

IRenæus, natióne Græcus, Discípulus fuit Papíæ Hierapolitáni et Polycárpi Smyrnénsis Episcopórum, qui ambo fúerant Discípuli sancti Joánnis Apóstoli. Irenæus adhuc júvenis, sancto Polycárpo erudiéndus

tráditus fúerat, à quo, ut ipse fatétur, diligénter dídicit quidquid ipse Polycárpus didícerat ab Apóstolo Joánne, et à cæteris qui Christum víderant. Irenæum multùm in omni litterárum género fuísse versátum, narrat Tertulliánus.

℟. Sápiens palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et * In lege testaménti Dómini gloriábitur. *Eccli.* 39.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine. *Psal.* 93. * In lege.

Lectio v.

IRenæus à beáto Polycárpo Lugdúnum missus sub sancto Pothíno hujus Urbis Epíscopo, sacerdótii fungens offício (quem gradum jam obtinébat), adjúvit eum in regéndâ Lugdunénsi Ecclésiâ. Quo in múnere tot ac tanta virtútis et doctrínæ dedit specímina, ut, Pothíno martyrium passo, unâ ómnium voce, in ejus locum sufféctus fúerit. Ad Sedem Episcopálem evéctus in regéndâ et amplificándâ Ecclésiâ tàm felíci succéssu laborávit, ut totam penè urbem christiánam reddíderit.

℟. Lex veritátis fuit in ore ejus, * In pace et æquitáte ambulávit.

℣. Multos avértit ab iniquitáte. *Malac.* 2.* In pace.

Lectio vj.

NOn solùm de Lugdunénsi Ecclésiâ, sed de vicinórum quoque populórum salúte sollícitus, plúrimos insígnes Evangélii præcónes vária in loca misit, inter quos fuérunt beatíssimi Ferréolus et Ferrúcius Vesontiónem destináti. Hæreses, quibus doctrína christiána impetebátur, non solùm vivâ voce debellávit, sed exímio imprímis libro, quem advérsùs eas conscrípsit. Sanctis labóribus perfúnctus, ineúnte tértio sæculo, martyrio coronátus est.

℟. Qui benè præsunt, máximè qui labórant in verbo et doctrínâ, * Dúplici honóre digni habeántur. 1. *Tim.* 5.

℣. Laudem eórum núntiet Ecclésia. *Eccli.* 44. * Dúplici honóre. Glória Patri. * Dúplici honóre.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis : Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; sed pótiùs timéte eum qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Et réliqua.

Homília
Sancti Irenæi Epíscopi.
Lib. 3. *adv. Hær. cap.* 20.

SCiébat Dóminus eos qui persecutiónem passúri erant; sciébat et eos qui flagellári et occídi habérent propter eum. Erat ergò sermo ejus adhortántis étiam illos : Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Timéte autem magis eum qui habet potestátem et corpus et ánimam míttere in gehénnam, et serváre eos qui essent ad mittébat coràm Patre suo, qui confiteréntur nomen suum coràm homínibus; negatúrum autem eos qui negárent eum, et confusúrum eos qui confunderéntur contrà confessiónem ejus.

℟. In ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos : * Neque mors, neque vita póterit nos separáre à charitáte Dei. *Rom.* 8.

℣. Pótiùs est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, iterùm ab ipso resuscitándos. 2. *Machab.* 7. * Neque.

Lectio viij.

CUm hæc ita se hábeant, ad tantam temeritátem progréssi sunt quidam, ut étiam Mártyres spernant, et vitúperent eos qui propter Dómini confessiónem occidúntur, et sústinent ómnia à Dómino prædícta, et secúndùm hoc conántur vestígia sequi Passiónis Dómini, passíbiles Mártyres facti, quod et concúpimus ipsis Mártyribus. Cùm ei[illegible]

confundéntur omnes qui inhonoravérunt eórum martyrium.

℟. Beáti qui lugent; * Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam. *Matth.* 5.

℣. Mihi enim mori lucrum. *Philip.* 1. * Beáti.

Sermo
Sancti Ephrem Diáconi.
1. *et* 2. *de Martyr.*
Lectio ix.

MArtyres mórtui, tanquam vivi operántur, ægrótos sanant, dæmones expéllunt, omnémque tyránnidis ipsórum nequítiam virtúte Christi in fugam agunt... Obtestámur vos, ô sanctíssimi Mártyres! qui pro Dómino Salvatóre, ejúsque amóre, sponte et prompte torménta subiístis (quandóquidem familiáriùs jam ei conjúncti estis), ut pro nobis míseris peccatóribus negligéntiæ squalóre óbsitis, Dóminum deprecémini, ut divínam suam in nos infúndat grátiam, quæ corda nostra sanctæ charitátis rádio júgiter illústret, quo ipsum toto corde totâque ménte dilígere valeámus. Vos étenim verè nunc beáti ac gloriósi estis, quos Angeli páriter et hómines unâ voce atque consénsu felíces prædicant.

℟. Hi sunt * Qui venérunt de tribulatióne magnâ, sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 7.

℣. Moriámur omnes in simplicitáte nostrâ. 1. *Machab.* 2. * Qui venérunt. Glória Patri. * Qui venérunt.

Oratio.

DEus, invisíbilis fortitúdo certántium, adésto, quæsumus, nobis supplicántibus; ut qui hodiérnâ die sanctórum Mártyrum tuórum Irenæi et Sociórum gloriósum triúmphum recólimus, eórum méritis et précibus, contrà spirituália nequítiæ muniámur. Per Dóminum.

Nunc Officium et Solemnitas Festi SS. Petri et Pauli transferuntur in I. Dom. non imped. post diem xxix. *Junii, nisi hæc dies sit Dom. Igitur Sabbato ante Solemnit. fit de*

Vigiliâ vel Comm. de Vigil. secundùm occurrentiam. In primo casu Lectio Evangel. et Homil. dicitur pro tertiâ Lect. cum suo ℟. ad Matut. in Sabb. et ad Laud. fit Comm. Vigil. per Ant. et ℣. de Psalt. et Orat. ut infrà. In occurr. autem cujuslibet Officii, fit Comm. Vigil. per Evangel. Homil. (sine ℟.) Ant. etc. ut infrà.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Cap. 21.

IN illo témpore, Dixit Simóni Petro Jesus: Simon Joánnis, díligis me plus his? Dixit ei: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Et réliqua.

Homília

Sancti Bernárdi Abbátis.

Habit. in Vigil. SS. Petri et Pauli.

IN Sanctórum vigíliis, necésse est vigiláre hóminem spirituálem, qui solemnitátes eórum celebráre desíderat in spíritu et veritáte. Aliæ enim carnálium, áliæ spirituálium vigíliæ. Illi et nitidióres cultus, et épulas præparant lautióres, et fortássis in ipsis vigíliis operántur ópera tenebrárum, lætántur cùm malè fécerint, et exúltant in rebus péssimis. Vos non ita didicístis Christum. Ad hoc enim vigíliæ proponúntur, ut evigilémus, si in áliquo peccáto vel negligéntiâ dormiámus, et præoccupémus fáciem Sanctórum in confessióne... Quòd si hæc in vigíliis uniuscujúsque Sancti cogitáre debémus, quid faciémus in solemnitáte sanctórum et summórum Apostolórum? Petrum et Paulum loquor. Sufficeret uníus festívitas ad infundéndam exultatiónem univérsæ terræ; sed ambórum juncta est ad cúmulum gaudiórum, ut quómodò in vitâ suâ dilexérunt se, ita et in morte non sint separáti. Quid illis poténtius, dùm fuérunt in terris? Quorum álteri tradúntur claves regni cœlórum, álteri magistérium Géntium. Alter Ananíam et Sáphiram occidit in verbis oris sui; alter donat, quidquid

donat, in persónâ Christi; et, cùm infirmátur, tunc fórtior est et potens. Quàm potentióres sunt in cœlis, qui tàm poténtes fuérunt in terris! Et qui nobis reliquérunt majóra exémpla quàm illi?... Orémus ergò eos ut nobis propítium reddent Júdicem nostrum.

(*Non dicitur sequens* ℟. *nisi quandò superior Lectio legitur pro iij. Lect. Officii in Sabb.*)

℟. Igitur * Vigilémus et sóbrii simus. 1. *Thes.* 5.

℣. Pœniteámus, et indulgéntiam Dómini fusis lácrymis postulémus. *Judith.* 5. * Vigilémus. Glória Patri. * Vigilémus.

Ant. ad Bened. *et* ℣. *Feriæ currentis ut in Psalterio.*

Oratio.

DEus, qui nobis beatórum Apostolórum Petri et Pauli natalitia prævenire concédis; tríbue nos, quæsumus, semper et eórum benefíciis confovéri, et oratiónibus adjuvári. Per Dóminum.

Deindè Commem. occurr. si qua sit.

(Die xxix.)

In Festo

SS. PETRI et PAULI,

Apostolorum.

C. ann. 66.

Duplex secundæ Classis. Vide Rubricam suprà positam.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 8. G. Ascéndent salvatóres in montem Sion, et erit Dómino regnum. *Abd. v.* 21.

Ant. 2. *D.* Isti sunt quos misit Dóminus, ut perámbulent terram. *Zach.* 1.

Ant. 3. a. Vocabúntur fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. *Isa.* 61.

Ant. 6. F. Ædificábunt desérta à sæculo, et instaurábunt civitátes dissipátas. *Isa.* 61.

Ant. 5. C. Annuntiábunt glóriam meam Géntibus, et addúcent omnes fratres de cunctis Géntibus donum Dómino. *Isa.* 66.

Capitulum. Jerem. 16.

ECce ego mittam piscatóres, dicit Dóminus; et piscabúntur filios Israël, et osténdam eis manum meam, et scient quia nomen mihi Dóminus.

℟. Salus, * Glória, et virtus Deo nostro. *Apoc.* 19.

℣. Infirma mundi elégit, ut confúndat fórtia; ignobília, ut ea quæ sunt, destrúeret. 1. *Cor.* 1.* Glória et virtus. Glória Patri. * Glória et virtus.

HYMNUS.

AMbo divíni próceres Senátûs,
Príncipes cœli, sócii labórum,
Quos amor junxit, simul una jungat
Pompa triúmphi.

Par fides, et par utriúsque votum,
Corda divíno penetránte verbo,
Sub jugo Christi nimis obstinátas
Súbdere Gentes.

Magna vos vidit, stupuítque Roma,
Roma tot diris habitáta monstris;
Vidit excísis pénitùs sepúlta
Númina fanis.

Totus in Româ superátus orbis:
Par locus tantis utriúsque palmis,
Usquè cœléstis pretiósa servat
Sémina verbi.

* Laus Deo Patri, genitóque Verbo;
Laus tibi compar, utriúsque Flamen;
Nosque fac, tantis Dúcibus, beátos
Tángere portus. Amen.

℣. Sanctificábunt sanctum Jacob,

℟. Deum Israël prædicábunt. *Isa.* 29.

Ad Magn. *Ant.* 7. G.

Isti hómines servi Dei excélsi sunt, annúntiant viam salútis. *Act.* 16.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Commem. Dominicæ.

Commem. omnium SS. Apostolorum.

Ant. Dedit illis potestátem curándi infirmitátes et ejiciéndi dæmónia. *Marc.* 3.

℣. Elégit Jesus duódecim ex (discípulis,)

℟. Quos et Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Deindè comm. occurr. si qua sit.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Dominicâ.

Hymnus.

AMbo divini, etc.
Laus Deo Patri, etc.
ut suprà.

Ad Nunc dim. *Ant.* 4. f. Vox speculatórum Sion: Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntium. *Isaiæ.* 52.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum qui ædificávit nos super fundaméntum Apostolórum, * Venite, adorémus. *Eph.* 2.

Psal. Venite.

Hymnus.

ORbe nunc toto celebréntur ambo
Príncipes, orbis decus atque lumen,
Mille qui Christo peperére verbi
Sémine Gentes.

Auctor incœpti Deus ille, terras
Incolens, primas tibi, Petre, defert;
Mox vocat Paulum, súperas regréssus
Victor ad arces.

Alter ætérni Patris erudítur
Voce delápsâ; super astra raptus
Alter arcánæ sacra veritátis
Flúmina potat.

Quanta sub vili látitat potéstas
Córpore! Infirmos tua sanat umbra,
Petre; letháles tua, Paule, pellunt
Lintea morbos.

Mérgitur ponto superánte Petrus;
Náufragum Paulus flúitat per æquor:
Christe, ades sævósque jubes utríque
Párcere fluctus.

Heu! fidem cernis titubáre nostram;
Tu vacillántes rege, Christe, gressus:
Fac, Deus, tantos dócili sequámur
Corde magístros.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Exúrge, Deus. *fol.* 136.

Ant. Exúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus, et fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus.

Divis. Psalm. Dóminus dabit verbum. *fol.* 136.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ.

Alt. div. Psalm. In Ecclésiis benedícite. *fol.* 137.

Ant. Ecce dabit voci suæ vocem virtútis, date glóriam Deo super Israël.

℣. Constítues eos Príncipes super omnem terram,

℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. *Psal.* 44.

Lectiones de Scripturâ, cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Exáudi, Deus. *fol.* 190.

Ant. Annuntiavérunt ópera Dei, et facta ejus intellexérunt

Psal. Confitébimur. *fol.* 190.

Ant. Invocábimus nomen tuum, narrábimus mirabília tua.

Psal. Dóminus regnávit. *fol.* 88.

Ant. Confundántur omnes qui adórant sculptília, et qui gloriántur in simulácris suis.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum,

℟. Et in fines orbis terræ verba eórum. *Psal.* 18.

Sermo
Sancti Bernárdi Abbátis.
In Fest. Apost.
Lectio iv.

GLoriósa nobis solémnitas illúxit, quam præclári Mártyres, Mártyrum Duces, Apostolórum Príncipes, morte claríssimâ consecrárunt. Isti sunt Petrus et Paulus, duo magna luminária, quos Deus in córpore Ecclésiæ suæ constítuit quasi géminum lumen oculórum. Hi mihi tráditi sunt in magístros et in mediatóres, quibus secúrè me commíttere possim; quia et notas mihi fecérunt vias vitæ, et mediántibus illis, ad illum Mediatórem ascéndere pótero,

qui venit pacificáre per sánguinem suum, et quæ in cœlis, et quæ in terris sunt. Ille enim in utrâque natúrâ puríssimus est, peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus. Quómodò ergò ad illum accédere audébo, qui sum suprà modum peccans peccátor, qui peccávi suprà númerum arénæ maris; cùm ille púrior, ego impúrior esse non possim? Proptéreà dedit mihi Deus hómines istos, qui et hómines essent, et peccatóres, et máximi peccatóres, qui in seipsis et de seipsis discerent quáliter áliis miseréri debérent. Magnórum enim críminum rei, magnis crimínibus fácilè donábunt véniam, et in quâ mensúrâ mensum est eis, remetiéntur nobis.

℟. Fratres, * Expectémus à Dómino misericórdiam. *Judith.* 7.

℣. Sustínuit in multâ patiéntiâ vasa iræ apta in intéritum, ut osténderet divítias glóriæ suæ. *Rom.* 9. * Expectémus.

Lectio v.

PEccávit peccátum grande Petrus Apóstolus, et fortássis quo grándius nullum est; et tàm velocíssimè quàm facíllimè véniam consecútus est; et sic, ut nihil de singularitáte sui primátûs amitteret. Sed et Paulus, qui in ipsa víscera nascéntis Ecclésiæ tàm singuláriter quàm incomparabíliter grassátus est, per ipsíus Fílii Dei vocem ad fidem addúcitur; et pro tantis malis, tantis bonis replétus est, ut vas electiónis fieret ad portándum nomen ejus coràm Géntibus, et Régibus, et Fíliis Israël, vas dignum, et cœléstibus férculis repletum est, de quo et sanus escam, et infírmus accípiat medicínam. Tales decébat humáno géneri Pastóres et Doctóres constítui, qui et dulces essent, et poténtes, et nihilóminùs sapiéntes: dulces, ut me blandè misericorditérque suscíperent; poténtes, ut fórtiter protégerent; sapiéntes, ut ad viam et per viam dú-

cerent, quæ ducit ad civitátem.

℟. O * Altitúdo sapiéntiæ et sciéntiæ Dei! *Rom.* 11.

℣. Vertit malum in bonum. *Gen.* 50. * Altitúdo.

Lectio vj.

Quid Petro dúlcius, qui tàm dúlciter omnes ad se cónvocat peccatóres, sicut et Actus Apostólici et Epistolárum ejus séries attestántur? Quid illo poténtius, cui et terra obedívit, cùm mórtuos rédd idit, et mare sub ejus pédibus calcábile se præbuit? qui Simónem Magum spíritu oris sui in áëre áttigit; qui claves Regni cœlórum tàm singuláriter accépit, ut præcédat senténtia Petri senténtiam cœli? Quid autem illo sapiéntius, cui non caro et sanguis, sed Pater qui in cœlis est, sapiéntiam, illam quæ de cœlis est, multâ largitáte revelávit? Libentíssimè Paulum sequor, qui præ nímiâ dulcédine lugeteos qui peccavérunt, et non egérunt pœniténtiam; qui fórtior est omni principátu et potestáte; qui sapiéntiam et medúllam sacrórum sénsuum, non à primo vel secúndo, sed à tértio cœlo lárgiter asportávit. Hi sunt magístri nostri, qui à Magístro ómnium vias vitæ plénius didicérunt, et docent nos usque in hodiérnum diem.

℟. Dómine, * Beátus homo quem tu crudíeris, et de lege tuâ docúeris eum. *Ps.* 93.

℣. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus; et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus. 1. *Cor.* 1. * Beátus homo. Glória Patri. * Beátus homo.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Deus, áuribus. *fol.* 172.

Ant. Nec enim in gládio suo possedérunt terram, et bráchium eórum non salvávit eos, sed déxtera tua.

Divis. Psal. In Deo laudábimur. *fol.* 172.

Ant. Dedísti nos tanquam oves escárum, et in Géntibus dispersísti nos.

Alter. div. Si obliti sumus. *fol.* 173.

Ant. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

℣. Tradidérunt ánimas suas,

℟. Pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore, Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat Discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii verò Jeremíam, aut unum ex Prophétis. Dixit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. Et réliqua.

Homilia

Sancti Leónis Papæ.

Serm. 2. in anniv. assump. ejus ad Pontif.

FIrmitas fundaménti, incumbéntis sibi templi mole fatíscit: solíditas enim illíus fidei, quæ in Apostolórum Príncipe est laudáta, perpétua est; et sicut pérmanet quod in Christo Petrus crédidit, ita pérmanet quod in Petro Christus instítuit. Cùm enim, sicut Evangélicâ lectióne reserátum est, interrogásset Dóminus Discípulos, quem ipsum (multis divérsa opinántibus) créderent, respondissétque beátus Petrus dicens: (Tu es Christus Fílius Dei vivi,) Dóminus ait: Beátus es, Simon Barjóna, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Et ego dico tibi; Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam. Et tibi dabo claves Regni cœlórum; et quodcunque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis; et quodcúnque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis.

℣. Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei. 1. *Corinth.* 2. * Deus in cœlo.

Lectio viij.

MAnet ergò dispositio veritátis, et beátus Petrus, in accéptâ fortitúdine petræ persevérans, suscépta Ecclésiæ gubernácula non relíquit. Sic enim præ cæteris est ordinátus, ut dùm petra dícitur, dùm fundaméntum pronuntiátur, dùm Regni cœlórum Jánitor constitúitur, dùm ligandórum solvendorúmque árbiter, mansúrâ étiam in cœlis judiciórum suórum definitióne, præfícitur, qualis ipsi cum Christo esset sociétas, per ipsa appellatiónum ejus mystéria, noscerémus, qui nunc pléniùs et poténtiùs ea, quæ sibi commíssa sunt, péragit, et omnes partes officiórum atque curárum in ipso et cum ipso, per quem est glorificátus, exéquitur... Hujus in sede suâ vivit potéstas, et excéllit auctóritas. Hoc enim obtínuit illa conféssio, quæ à Deo Patre, Apostólico inspiráta cordi, ómnia humanárum opiniónum incérta transcéndit; et firmitátem petræ, quæ nullis impulsiónibus quaterétur, accépit.

℟. A Dómino factum est * Istud, est mirábile in óculis nostris. *Ps.* 117.

℣. Portæ ínferi non prævalébunt, advérsùs (Ecclésiam) *Matth.* 16. * Istud est mirábile.

Lectio ix.

Serm. 3. *prope fin.*

INstánte passióne suâ Dóminus, quæ Discipulórum erat turbatúra constántiam, Simóni inquit: Simon, ecce Sátanas expostulávit vos ut cribráret ut tríticum; ego autem rogávi pro te, ut non defíciat fides tua: et tu aliquándò convérsus, confírma fratres tuos... Diábolus omnes exagitáre Apóstolos, omnes cupiébat elídere... tamen speciális à Dómino Petri cura suscípitur, et pro fide Petri própriè supplicátur, tanquam aliórum status cértior sit futúrus, si mens Príncipis victa non fúerit. In Petro ergò ómnium fortitúdo munítur, et di-

vinæ

vinæ grátiæ ita ordinátur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribúitur, per Petrum Apóstolis conferátur... cui dictum est : Et tu convérsus, confírma fratres tuos. Et cui post resurrectiónem suam Dóminus, ad trinam ætérni amóris professiónem, mysticâ insinuatióne ter dixit : Pasce oves meas.

℟. Elóquium Dómini inflammávit eum, * Constítuit eum dóminum domûs suæ, ut erudíret Príncipes ejus. *Psal.* 104.

℣. Tu pasces pópulum, tu eris dux super Israël. 2. *Reg.* 5. * Constituit eum. Glória Patri. * Constituit eum.

℣. *Sacerd.* Magnificávit Dóminus fácere cum eis. *Psal.* 125.

℟. Pósuit in eis verba signórum et prodigiórum. *Psal.* 104.

AD LAUDES.

Psalm. Cœli enárrant glóriam Dei, *cum suâ div. fol.* 81.

Ant. Non sunt loquélæ, neque sermónes, quorum non audiántur voces eórum.

Psal. Omnes gentes. *fol.* 67.

Ant. Psállite Deo nostro; psállite Regi nostro, psállite.

Psalm. Cantáte. *fol.* 66.

Ant. Magnus Dóminus et laudábilis nimis, terríbilis est super omnes deos.

Cantic. Quàm pulchri super montes, etc. *ut in Communi Apost. et Ant. fol.* xij.

Psal. Lauda, Jerúsalem. *fol.* 144.

Ant. Emíttit elóquium suum terræ, velóciter currit sermo ejus.

Capitulum. Act. 15.

SUrgéns Petrus, dixit : Viri fratres, vos scitis quóniam, ab antiquis diébus, Deus in nobis elégit audíre Gentes verbum Evangélii, et crédere.

HYMNUS.

SUpréme Princeps,
Dux gregis.
Qui clausa pandis sídera,
Spectánte Româ, clárior,
Intras olympum sángui-
ne.
Affíxus alto stípiti,

Invértis in terram caput:
Quò te magis nunc déji-
cis,
Hòc mente major émicas.
Non ausus eréctæ cru-
cis
Ambire Petrus glóriam,
Cœlo datúrus spíritum
Pedes adórat Núminis.
Paulus magíster Gén-
tium
Mactátur ense víctima;
Minórque ponit vérticem
Christo suprémo vértici.
Cursus perégit impi-
gros,
Gaudétque Christo pér-
frui;
Labóre partis árduo
Victor corónis cíngitur.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Afférte Dómino, pátriæ Géntium,

℟. Afférte Dómino glóriam et honórem. *Psal.* 95.

Ad Bened. *Ant.*

His audítis, (qui erant

pœniténtiam dedit Deus ad vitam. *Act.* 11.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti; da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos Religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Commem. Dom. per Evangel.

Comm. omnium SS. Apostolorum.

Ant. Testaméntum ætérnum constítuit (Dóminus) cum illis, et justítiam, et judícia sua osténdit illis, et magnália honõris ejus vidit óculus illórum. *Eccli.* 17.

℣. Si testimónium hóminum accípimus,

℟. Testimónium Dei majus est. 1. *Joan.* 5.

Oratio.

Deus, qui nos, per beátos Apóstolos tuos, ad agnitiónem tui nóminis venire tribuísti; da nobis, eorúmdem sanc-

cháritas apprehéndat. (Per.)

Deindè Commem. occurr. si qua sit.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

TAndem labórum, gloriósi Príncipes,
Fructum tenétis : fana passim córruunt;
Quin ipsa latè Roma victrix Géntium
Se christiáno jam stupet subdi jugo.

Sævit tyránnus; at triúmphant víctimæ:
Alter per ensem victor, alter per crucem,
Cœlo corónam laureáti póssident,
Fusúsque sanguis Christiános séminat.

Supérba sordent Cæsarum cadávera
Queis Urbs litábat ímpii cultûs ferax;
Apostolórum gloriátur óssibus,
Fixámque adórat cóllibus suis crucem.

Nunc ô cruóre purpuráta nóbili,
Novísque felix Roma conditóribus!
Horum trophæis aucta, quantò vériùs
Regína fulges orbe toto cívitas?

* Sit sempitérno sempitérna laus Patri;
Sit sempitérnum Fílio Patris decus;
Qui nectis ambos, æquus ambóbus, tibi,
Divíne, sit laus sempitérna, Spíritus.
Amen.

Psal. de Dominicâ.

℟. *parv.* Inclyti Israël áquilis velocióres, leónibus fortió[illegible], et decóri in vitâ suâ, in morte quoque non sunt divísi. 2. *Reg.* 1.

AD ALIAS HORAS.

HYMNUS.

TAndem labórum, etc.
Sævit tyránnus, etc.
Sit sempitérno, etc. *ut suprà ad Primam.*

℟. *ut suprà.*

AD II. VESPERAS.

Psal. et Ant. ut in Festo SS. Ferreoli et Ferrucii. fol. 472.

Allelúia, allel. ℣. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham. Allelúia. *Psal.* 46.

PROSA.

MUndi caput, Roma, plaude;
Dignos cane summâ laude
Príncipes Ecclésiæ.
Illi tuæ sanctitátis,
Illi tuæ majestátis
Causa sunt et glóriæ.
In Christo te generárunt,
Suo cruóre sacrárunt,
Te servant in sæcula.
Hi præcónes novæ legis,
Formatóres novi gregis,
Orbis et orácula.
Petro vertex Principátûs,
Paulo verbi magistrátus
Obtigit in géntibus.
His ambóbus orcus cessit,
His ambóbus nox recéssit,
Pulsa lumináribus.
Ovíli Petrum præfécit,

Lux doctrínæ, fons amóris,
Paulus doctor géntium.
Navis Petri non quassátur,
Contrà fluctus obfirmátur;
Frustrà ventis agitátur,
Non timet naufrágium.
Quin olympus reserátur,
Vel indignis obserátur;
Sors ætérna temperátur
Ad Petri judícium.
Petre, rector civitátis
Christi, radix unitátis,
Fons et norma veritátis;
Paule, jubar sanctitátis,
Nos è cœlo régite.
Quos in fide genuístis,
Quos præcéptis imbuístis,
Quos exémplo docuístis,
Quos cruóre perfudístis,
Nos Deo conjúngite.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 5. F.

Spíritus vitæ à Deo intrávit in eos, et audiérunt vocem magnam de cœlo, dicéntem eis: Ascéndite hùc; et ascendérunt in cœlum. *Apoc.* 2.

cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos judicántes duódecim Tribus Israël. *Matth.* 19.

℣. Elégit Jesus duódecim ex (discípulis,)

℟. Quos et Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

Oratio ut suprà ad Laudes.

Deindè Commem. occurr.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Dominicâ.

Hymnus ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 8. G.

Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiéscerent, donec compleántur consérvi eórum. *Apoc.* 6.

INTRA OCTAVAM.

AD MATUTINUM.

Invit. Hymn. ut in die. Psal. Ant. et ℣. unius Noct. diei sec. Fer. Lect. et ℟℟℟. de Script. occur. ℣. Sacerd. ut in die.

AD LAUDES.

Psal. et Cant. diei cum primâ Ant. Cæt. ut in die.

AD HORAS.

Hymni et Psalm. de Fer.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 3.

Fratres, Dei sumus adjutóres. Nemo gloriétur in homínibus : ómnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Cephas; vos autem Christi, Christus autem Dei.

℟. *br.* Isti sunt * Quos misit Dóminus, ut perámbulent terram. *Zach.* 1. Isti sunt.

℣. Sunt duo fílii, qui assístunt Dominatóri univérsæ terræ. *Zach.* 4. * Quos misit. Glória Patri. Isti sunt.

℣. Sunt in conspéctu Dómini stantes :

℟. Habent potestátem claudéndi cœlum, et percútere terram. *Apoc.* 11.

AD SEXTAM.

Capitulum. Dan. 3.

TRadidérunt córpora sua, ne servírent, et ne adorárent omnem deum, excépto Deo suo.

℟. *br*. Beáti * Qui lavant stolas suas in sánguine Agni. *Apoc.* 22. Beáti.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. *Ps.* 115. * Qui lavant. Glória Patri. Beáti.

℣. Moriámur in virtúte,

℟. Non inferámus crimen glóriæ nostræ. 1. *Machab*. 9.

AD NONAM.

Capitulum. Judæ. v. 17.

CHaríssimi, mémores estóte verbórum quæ prædícta sunt ab Apóstolis Dómini nostri Jesu Christi.

℣. Glória magna est sequi Dóminum,

℟. Et respícere in mandátis ejus. *Eccli.* 23.

AD VESPERAS.

Psal. et Ant. de Feriâ. Capit. Hymn. et ℣. *de I. Vesp. Festi. Ant. ad* Magn. *de II.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Feriâ, omissis precibus.

IN DIE OCTAVA.

Sermo
Sancti Leónis Papæ.

In Nat. SS. Apost. Petri et Pauli.

Lectio iij.

HOdiérna festívitas, dilectíssimi, præter illam reveréntiam quam toto terrárum orbe proméruit, speciáli et próprià nostræ urbis exultatióne veneránda est; ut

Christi, Roma, resplénduit, et quæ eras magístra erróris, facta es discípula veritátis... Isti sunt qui te ad hanc glóriam provexérunt, ut gens sancta, pópulus eléctus, cívitas sacerdotális et régia, per sacram beáti Petri sedem caput orbis efféc-ta, látiùs præsidéres religióne divínâ quàm dominatióne terrénâ. Quamvis enim multis aucta victóriis jus impérii tui terrâ maríque protúleris, minus tamen est, quod tibi béllicus labor súbdidit, quàm quod pax Christiána subjécit... Pretiósa ergò in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus. Nec ullo crudelitátis génere destrui potest sacraménto crucis Christi fundáta Relígio. Non minúitur persecutiónibus Ecclésia, sed augétur; et semper Domínicus ager ségete ditióre vestítur, dùm grana, quæ singula cadunt, multiplicáta nascúntur. Undè duo illa præclára divíni séminis gérmina, in quantam sóbolem pullulárint, beatórum míllia Mártyrum protestántur; quæ Apostolicórum æmula triumphórum, urbem nostram purpurâtis, et longè latéque rutilántibus pópulis ambiérunt, et quasi ex multárum honóre gemmárum consérto uno diadémate coronárunt.

℟. Tu * Vocáberis quæsíta cívitas, et non derelícta. *Isa.* 62.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii. *Ps.* 44. * Vocáberis. Glória. * Vocáberis.

Oratio.

DEus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus ne mergerétur, eréxit; et CoApóstolum ejus Paulum tértiò naufragántem de profúndo pélagi liberávit; exáudi nos propítius, et concéde ut ambórum méritis æternitâtis glóriam consequámur. Qui vivis et regnas.

Die xxx.

De Octava

S. JOAN. BAPTISTÆ.

Ad Vesp. Ant. ad Magn. *de I. Vesp. Com. occurr.*

FESTA JULII.

Dominicâ secundâ Julii fit Officium de Sacratissimo Corde D. N. J. Christi. Si in eâ Dom. occurrat festum I. Classis, tunc Festum SS. Cordis fiet Dom. seq. Quodlibet aliud duplex occurr. in præced. Dom. transfertur in primam diem non impeditam.

IN SOLEMNITATE SS. CORDIS D. N. J. C.

Duplex secundæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psalm. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 4. *E.* Delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum; beáti qui custódiunt vias meas. *Prov.* 8.

Ant. 3. c. Fériam eis pactum sempitérnum, et non désinam eis benefácere. *Jerem.* 32.

Ant. 5. C. Lætábor super eis, cùm benè eis fécero in toto corde meo et

Ant. 1. D. Quómodò si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos: vidébitis, et gaudébit cor vestrum. *Is.* 66.

Ant. 7. G. Erunt mihi in pópulum, et ego ero eis in Deum; addúcam super eos omne bonum quod ego loquor ad eos. *Jerem.* 32.

Capitulum. Jerem. 24.

super eos; dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dóminus.

℟. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me.. * Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum.

℣. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. * Spíritus. Glória Patri. * Spíritus. *Eccli.* 34. *Matth.* 11.

HYMNUS.

NUnc inter pópulos quis símilis tuî,
O Gens Christiadum! grande Dei genus!
Cœlo tolle caput, quæ tibi próximo
Ducis Númine glóriam.

Summi Christus adest progénies Patris,
Lumen nube tegens, fúlminis immemor:
Totus prodit amans, totus amábilis,
Ad se sic trahit ómnia.

Qui quondam pátrio lapsus ab æthere
Terras incóluit, nunc só-

O Cor perpétuis ígnibus æstuans!
O Cor perpétuis fóntibus affluens!
Tu semper rénovas justítiæ sacram,
Tu semper sátias sitim.

Et nos divus amor quos sibi cónsecrat,
Gens ingráta Deo, frígida péctora,
Quid torpémus? iners cur rétinet tepor?
Urget flámmea Cháritas.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio;
Sit par, alme, tibi glória, Spíritus:
Qui subjécta moves péctora, mútuas
Da Christo réferant vices.
Amen.

℣. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus. *Psal.* 33.

℟. Cogitatiónes Cordis ejus in generatióne et generatiónem. *Psal.* 32.

Ad Magn. *Ant.* 3. E.

Tóllite jugum meum super vos, et díscite à me quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis ré-

Fit Commem. Dominicæ.

Deindè Comm. de Immaculato Corde B. M. V.

Ant. Exultávit spíritus meus in Deo salutári meo, quia fecit mihi magna qui potens est. *Luc.* 1.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino;

℟. Et ómnia quæ intrà me sunt nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominicâ.

HYMNUS.

GRates, perácto jam die, etc. *cum seq. Doxol.*

* Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus:
Da, Christe, sacris ígnibus
Accénsa corda férveant.
Amen.

Ad Nunc dim. *Ant.* 5. a. Jesus, cùm dilexísset suos qui erant in mundo, in finem diléxit eos. *Joan.* 13.

Doxologia et ant. Jesus – dicuntur per octavam etiam in non habentibus

---

AD MATUTINUM.

Invit. Jesum Christum qui diléxit nos, * Venite, adorémus. *Apoc.* 1.

Psal. Venite.

HYMNUS.

QUæ latus Jesu cruénta
Perforávit láncea,
Dives hæc nobis reclúsit
Péctoris sacrárium:
Orbis occúrrat, salútis
En patéscit óstium.

Non, ut olim monte sancto,
Hic Deus nos térritat;
Inter ignes non minátur,
Totus ecce cháritas:
Spirat almum Cor amórem,
Cordis expóscens vices.

Hinc fluunt, torréntis instar,
Gratiárum flúmina;
Hîc salus ægris parátur,
Fléntibus solátium;
Hîc labórans sublevátur,
Hîc caléscit frígidus.

Surge, quid reus moráris!
Hîc thronus cleméntiæ:
Voce cor Jesu disértâ
Orat tibi véniam;
Tela Natus jam vibrántem
Patris exármat manum.

... et alia festa propria

...nia ópera ejus.

...

...es de Script. cum

SUPPLEMENTUM BREVIARIO.

IN SOLEMNITATE SS. CORDIS D. N. J. C.

DOMINICA II. JULII.

Primæ Classis, cum Octavâ

IN I. NOCTURNO.

De Epistola Beati Pauli ad Ephesios.

LECTIO I.

...nedictus Deus, et Pater Do... nostri Jesu Christi, qui bene... nos in omni benedictione spi...i; in cœlestibus, in Christo; ...legit nos in ipso ante mundi ...tutionem, ut essemus sancti ...maculati in conspectu ejus in ...te. Qui prædestinavit nos in ...onem filiorum per Jesum ...m in ipsum, secundùm pro... voluntatis suæ, in laudem ...gratiæ suæ, in quâ gratifi...nos in dilecto Filio suo. In ...bemus redemptionem per ...em ejus, remissionem pec..., secundum divitias gra..., quæ superabundavit in ...in omni sapientiâ et pru...

...pientia locuta est: * Venite, ...e panem meum, et bibite ...quod miscui vobis. ...siderio desideravi hoc Pas...nducare vobiscum. * Venite.

LECTIO II.

...ulem qui dives est in mi..., propter nimiam charita..., quâ dilexit nos, et cum ...mortui peccatis, convivi...s in Christo (cujus gratiâ estis salvati); et conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu: ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratiâ enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura; creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

℟. Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. * Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

℣. Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam. * Qui.

LECTIO III.

Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrâ nominatur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et

... NOCTURNO.

...n ipso inhábitat ...enitúdo Divinitá...oráliter. *Col.* 2. ... Estis in illo re...ui est caput om...cipátûs et potestá... 2.

... Per ipsum habé...céssum in uno spi...l Patrem. *Ephes.*

...eciósus formâ præ ...óminum: ...iffúsa est grátia in ...uis. *Psal.* 44.

Lectio iv.

...ıs sacratissimi Cor...s Jesu, plúribus ...éntium ætátum vi...ctitáte et doctrínâ ...uis jamjam fami... desinénte sæculo ... séptimo in Gálliis ...or habéri cœpit. ...ıs honórem, vá...ocis extrúcta sunt ... vota nuncupáta, ...lebráta. Crescén...lies fidélium de...n plúrimis Deus

miráculis comprobávit, inter quæ memoránda semper, illa súbita pestis illius extinctio quæ Massiliam depopulabátur. Hinc ubique erécta grati ánimi ergà Cor tàm benéficum monuménta. Nec jam intrà Gálliæ fines stetit pius ille cultus. Succedéntibus annis, per totam Európam propagátus est, et apud plerásque étiam remotíssimas réliqui orbis regiónes diffúsus.

℟. Sicut pastor gregem suum pascet, * In bráchio suo congregábit agnos, et in sinu suo levábit;

℣. Non esúrient, neque sítient ámpliùs, quóniam dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. * In. *Is.* 40. *Apoc.* 7.

Lectio v.

HOc atténdens Clemens décimus tértius summus Póntifex, vestigiísque prædecessórum suórum insístens, qui devotiónem istam non semel approbavérunt, Polóniæ Ecclésiis aliísque id postulántibus, summo religiónis enutriéndæ zelo, Festum sacratíssimi Cordis Jesu celebrándi, Officiúmque in ejus honórem recitándi facultátem concéssit. Undè Epíscopi hujúsce Regni, pro comítiis generálibus Parísiis congregáti anno Dómini millésimo septingentésimo sexagésimo quinto, piíssimis augústæ Maríæ Leczínskiæ Galliárum Regínæ votis ultrò annuéntes, eámdem devotiónem in suâ quisque diœcési instituéndam esse unánimi consénsu decrevérunt, cæterósque Galliárum Epíscopos ad eam cum ipsis adoptándam per lítteras invitárunt, ut quos habébant dignitátis consórtes, eósdem tàm laudábilis institúti habérent æmulatóres. Hanc autem festivitátem pópulis celebrándam propónunt piíssimi Præsules, ut fidéles, revocátâ imménsæ Christi charitátis memóriâ, veheméntiùs exciténtur, tùm ad redamándum ardéntiùs Cor sacratíssimum ex quo tàm divíni ergà nos afféctus profluxérunt, tùm ad majóres redemptiónis fructus percipiéndos, tùm ad reparándas abundántiùs

tàm multas injúrias divínæ Eucharístiæ illátas.... Quantùm autem Deo sit accéptus cultus ille, probant fructus virtútum ubérrimi, qui, ubicúnquè suscéptus fuit, ab ipso prodísse cernúntur.

℟. Pascam oves meas in móntibus Israël; * Requiéscent in herbis viréntibus, et in páscuis pínguibus pascéntur.

℣. Ego veni ut vitam hábeant, et abundántiùs hábeant. * Requiéscent. *Ezech.* 34. *Joan.* 10.

Lectio vj.

De Sermóne S. Bonaventúræ Epíscopi. *De stimulo amor. p.* 1. *c.* 1.

O Pássio desiderábilis! ô mors admirábilis! quid mirabílius quàm quòd mors vivíficet, vúlnera sanent, sanguis album fáciat, apértio láteris cor Cordi conjúngat! O mors amábilis! ô mors delectábilis! Non volo ámpliùs à Jesu separári. Bonum est enim cum illo esse, et in ipso volo tria tabernácula fácere, unum in mánibus, unum in pédibus, sed áliud contínuum in látere. Ibi loquar ad Cor ejus, et ab ipso quod volúero impetrábo. Sic fáciens, dulcíssimæ Matris vestígia sequar, cujus ánimam passiónis Fílii gládius pertransívit. O amantíssima vúlnera Dómini nostri Jesu Christi! Quantâ credis ánimam frui dulcédine, quæ per illa forámina conjúngitur Cordi Christi? Certè exprímere tibi néqueo; sed experíre et scito.

℟. Recordátus est Dóminus pópuli sui, et factus est eis Salvátor: * In dilectióne suâ, et in indulgéntiâ suâ ipse redémit eos. *Is.* 63.

℣. Jesus cùm dilexísset suos qui erant in mundo, in finém diléxit eos. *Joan.* 13. * In dilectióne. Glória. * In dilectióne.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Dóminus Deus loquétur pacem in plebem suam. *Ps.* 84.

Ant. Tu, Dómine, suávis et mitis, et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te. *Ps.* 85.

Ant. Anima mea, nó-

li oblivísci retributiónes (Dómini)...... qui replet in bonis desidérium tuum. *Ps.* 102.

℣. Miserátor et misé-ricors Dóminus;

℟. Longánimis, et multùm miséricors. *Ps.* 102.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

REspóndensJesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília S. Joánnis Chrysóstomi.

Cap. 84. *in Joan.*

VEnérunt mílites, et aliórum fregérunt crura, non Christi; sed ad Judæórum grátiam conciliándam latus ejus lánceâ aperuérunt, et sic mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem!.. Noli tamen perturbári, dilectíssime: quæ enim illi malo ánimo patrárunt, veritáti consentiébant. Prophétia hinc impléta est... Ad hæc et arcánum mystérium consummátum est. Exívit enim sanguis et aqua. Non casu et sine causâ hi fontes scaturiérunt, sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constitúta est. Sciunt hoc initiáti: per aquam enim regeneráti, sánguine et carne nutriúntur. Hinc mystéria ortum habent, ut quóties ad admirándum Cálicem accédis tanquam ab ipso látere háuriens accédas.... Ergò quæ máximè ignominiósa videántur, hæc sunt bonórum nostrórum pretiosíssima.

℟. Ego diligéntes me díligo, * Et qui manè vigilant ad me, invénient me. *Prov.* 8.

℣. Qui díligit me, diligétur à Patre meo; et ego díligam eum, et manifestábo ei meípsum. *Joan.* 14. * Et qui.

Lectio viij.

De sermóne S. Bernárdi Abbátis.

Tract. de Passione Domini.

BOnus thesáurus, Cor tuum, ô bone Jesu! Dabo ómnia, et comparábo mihi. Ad hæc Sancta Sanctórum adorábo et

laudábo nomen Dómini, dicens cum David : Invéni Cor meum ut orem Deum meum. Et ego invéni cor regis, fratris et amíci benígni Jesu, et numquid non adorábo? Orábo útique. Admítte tantùm : in sacrárium exauditiónis tuæ preces meas, dulcíssime Jesu, immò me totum trahe in Cor tuum. Ampliùs lava me ab omni iniquitáte meâ, ut in corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre. Ad hoc perforátum est latus tuum, ut nobis patéscat intróitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo habitáre possímus. Proptéreà vulnerátum est, ut per vulnus visíbile vulnus amóris invisíbilis videámus. Quis illud Cor tàm vulnerátum non díligat? Quis tàm amántem non redámet?

℟. Pone me ut signáculum super Cor tuum; * Quia fortis est ut mors diléctio. *Cant.* 8.

℣. Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque creatúra ália póterit nos separáre à charitáte Dei quæ est in Christo Jesu Dómino nostro. *Rom.* 8. * Quia.

Lectio ix.

Ex S. Bernárdo Abbáte.
Serm. in Fer. 4. Hebd. sanctæ. n. 4.

MAjórem charitátem nemo habet, quàm ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Tu majórem habuísti, ô Dómine Jesu! ponens eam et étiam pro inimícis. Cùm enim adhuc inimíci essémus, per mortem tuam et tibi reconciliáti sumus, et Patri. Quænam ergò ália vidébitur esse, vel fuisse, vel fore huic símilis charitáti? Vix pro justo quis móritur : tu pro injústis passus es, móriens propter delícta nostra, qui venísti justificáre peccatóres, servos fácere fratres, captívos cohærédes, éxules reges. Flagéllis cæsus, spinis coronátus, clavis confóssus, affíxus patíbulo, oppróbriis saturátus, ómnium tamen dolórum ímmemor, ad Patrem clamas : Ignósce illis! O Cor imménsâ charitáte plenum! Hinc

miseratiónes et misericórdiæ, hinc óleum exultatiónis, hinc sánguinis guttæ decurréntis in terram. O cháritas pátiens et benígna!..... Pátiens cháritas dissímulat, expéctat, sústinet delinquéntem; sed benígna cháritas trahit, addúcit, convérti facit ab erróre viæ suæ, dénique coóperit multitúdinem peccatórum.

℟. Christus diléxit nos, et trádidit semetipsum pro nobis; * Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

℣. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem. * Lámpades. Glória. * Lámpades. *Cant.* 8. *Ephes.* 5.

℣. *Sacerd.* Exultábit cor meum in salutári tuo;

℟. Cantábo Dómino qui bona retríbuit mihi. *Ps.* 12.

AD LAUDES.

Psalm. de Dominicâ.

et Pater noster, diléxit nos et dedit consolatiónem ætérnam, et spem bonam in grátiâ. 2. *Thessal.* 2.

Ant. Candor et lucis ætérnæ, et spéculum sine máculâ Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. *Sap.* 7.

Ant. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus, et grátiam pro grátiâ. *Joan.* 1.

Cantîcum. Eccli 24.

IN me grátia omnis viæ et veritátis; * in me omnis spes vitæ et virtútis.

Transíte ad me omnes qui concupíscitis in me, * et à generatiónibus meis impléminí.

Spíritus enim meus super mel dulcis; * et hæréditas mea super mel et favum.

Memória mea * in generatiónes sæculórum.

Qui edunt me, adhuc esúrient: * et qui bibunt me, adhuc sítient.

Qui audit me, non

Qui elúcidant me, * vitam ætérnam habébunt.

Glória Patri, etc.

Ant. In ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni sciéntiâ. 1. *Cor.* 1.

Capitulum. Hebr. 4.

ADeámus ergò cum fidúciâ ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

HYMNUS.

CHriste, fons jugis saliéntis undæ,
Péctoris sacros áperi recéssus;
Ut Deo plenos bibat ore puro
Spíritus amnes.

Hîc latens blando plácidus sopóre,
Nóxio mundi procul à tumúltu,
Ebrius largo jacet affluéntis
Núminis haustu.

Igneis pectus jáculis ferítur;
Vulnus inflígit Deus ipse; telum
Lædit, et sanat feriéntis idem
Ictus amóris.

Ardor hinc crescit; priùs hinc amáta
Mens amat Christum, redamánte Christo;
Æmulum pectus nimis æstuánti
Sólvitur igne.

Christe, quo ferves, cremer intùs æstu;
Corda fac zelus benè doctus urat;
Qui tuos regit, regat ille nostros
Spíritus actus.

Cordis in sacris latébris sepulta
Mens sibi sanctè moritúra vivat:
Vana dediscens, tibi, Christe, fida
Sérviat uni.

Qui pari sese rédamant amóre,
Summa laus Patri, Genitóque summa,
Laus tibi compar, utriúsque sanctum
Flamen Amóris.

Amen.

℣. Quid mihi est in cœlo, et à te quid vólui super terram?

℟. Deus cordis mei, et pars mea, Deus in ætérnum. *Ps.* 72.

Ad Bened. *Ant.*

Lætátum est cor me-

um, et exultávit lingua mea, quóniam non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. *Ps.* 15.

Oratio.

DEus, qui ineffábiles sacratíssimi Cordis Jesu divítias nobis reserásti; præsta, quæsumus, ut omnes nos de plenitúdine ejus accipiéntes, in eo et vúlnerum medélam, et salútis fontem inveniámus. Per eúmdem.

Fit Commem. Dominicæ per Evang. et Homil.

Deindè Comm. de Immaculato Corde B. M. V.

Ant. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. *Eccli.* 24.

℣. Anima mea exultábit in Dómino;

℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Oratio.

SAcratíssimi Cordis beátæ Maríæ pietátem et sanctitátem religiósè venerántes, fac nos, quæsumus, Dómine, sic ejus penetráre sensus íntimos, consolatiónem, et perféctæ charitátis hauriámus plenitúdinem. (Per.)

AD HORAS.

AD PRIM. ET TERT.

HYMNUS.

O Quàm digna coli cántibus æmulis
Quæ Christi látitant Corde sub íntimo!
Patris progénies, Christus Homo Deus,
Quantis dignus honóribus!
Templum perpétuis láudibus ínsonat,
Templum perpétuis fragrat odóribus;
Hìc mens pura Deo múnera dévovet,
Dignas mens litat hóstias.
* O vitæ látices, vívida flúmina!
O sacros áditus péctoris íntimi!
Da nos, Christe, piis munéribus sacri
Cordis perpétuò frui.
Amen.

Psalm. de Dominicâ.

℟. *parv.* Deus det no-

ti, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Eph.* 3.

Oratio ut suprà.

AD SEXT. ET NON.

Hymnus.

IN Christo quot opes, dona sciéntiæ
Quot præcélsa Pater pródigus ábdidit!
O quàm dives adest in penetrálibus
Thesáurus sapiéntiæ!
At quàm fausto áperit vúlnere láncea,
Quo nos partúriat, Pectus amábile!
Isto fonte fluens nos aqua, nos cruor
Sanat, récreat, ábluit.
* O vitæ látices, etc. *ut supr.*

℟. *et Orat. ut supr.*

AD II. VESPERAS.

Psal. Dixit Dóminus. *fol.* 33.

Ant. 7. c. Præbe, fili mi, cor tuum mihi; et óculi tui vias meas custódiant. *Prov.* 23.

Psal. Confitébor tibi. *fol.* 33.

Ant. 5. a. Ego diléсto meo, et ad me convérsio ejus : veni, diléсte mi. *Cant.* 7.

Psal. Laudáte, púeri. *fol.* 36.

Ant. 1. g. Stude sapiéntiæ, fili mi, et lætífica cor meum; ut possis exprobránti respondére sermónem. *Prov.* 27.

Psalm. Crédidi. *fol.* 153.

Ant. 3. a. Anima mea liquefácta est, ut locútus est. *Cant.* 3.

Psal. Lauda, Jerúsalem, Dóminum. *fol.* 144.

Ant. 6. F. Fili mi, si sápiens fúerit ánimus tuus, gaudébit tecum Cor meum. *Prov.* 23.

Allelúia, Allel. ℣. Lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea, quóniam non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. Allelúia. *Ps.* 15.

Prosa.

DOnis mirábilem
Laudémus Dóminum,
Donis amábilem
Diligámus Deum,
Certántes córdibus.
Nobis, ô bónitas!
Cor suum réserat;

Thesáuros cháritas,
Quibus exúberat,
Pandit mortálibus.

Cor Jesu férvidis
Auget justítiam,
Dat flammas tépidis,
Tentátis grátiam,
Vires debílibus.

Cæcos illúminat,
Jacéntes érigit,
Morbos extérminat,
Devíctis ábigit
Mortem Dæmónibus.

Illùc recúrrite,
Qui cœlum cúpitis;
Illùc confúgite
Qui gravi gémitis
Sub mole sórdium.

Vos amantíssimè
Jesus excípiet,
Vos potentíssimè
Telis erípiet
Et vinclis hostium.

Sed, heu! justítiæ
Fons ille spérnitur!
Pater cleméntiæ
Dirè transfígitur
Suórum mánibus!

Nos verò Dóminum
Sequámur dóciles;
Cor afflictíssimum
Jam non instábiles
Solémur láudibus.

O Cor amábile,
In nos respícias;
Cor delectábile,
Nostris injícias
Amórem córdibus.

Cor benigníssimum,
Fove nos grátiâ;
Da, Cor ditíssimum,
Fruámur glóriâ
Cum cœli cívibus.

Amen.

Ad Magn. *Ant.* 8. c.

Qui bíberit ex aquâ quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam. Dómine, da mihi hanc aquam, ut non sítiam. *Joan.* 4.

Fit Comm. Dominicæ.

Deindè Comm. de Immaculato Corde B. M. V.

Ant. Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. *Psal.* 93.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum:

℟. Dico ego ópera mea regi. *Ps.* 44.

Oratio ut suprà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Dom.

Hymn. ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 3. à.

Clamávi in toto corde

meo, Dómine, clamávi ad te: Vivet ánima mea, et laudábit te. *Ps.* 118.

DIE I.

OCTAVA

S. JOANNIS BAPT.

Lectio iij.

Ex S. Ambr. lib. 2. Com. in Luc. §. 30.

(PEperit fílium Elízabeth, et congratulabántur vicíni....) In ortu justi futúræ vitæ insigne præmíttitur, et grátia secutúræ virtútis exultatióne vicinórum præfigurånte signátur... In Evangélio nihil super eo légimus, nisi ortum ejus, et oráculum, exultatiónem in útero, vocem in desérto. Neque enim ullam infántiæ sensit ætátem, qui suprà natúram, suprà ætátem, in útero matris situs, à mensúrâ cœpit ætátis plenitúdinis Christi...... Zacharías mutus intimáre vocábulum filii nequívit uxóri; sed per prophétiam dídicit Elízabeth quod non didícerat à maríto: (Joánnes, inquit, est nomen ejus;) hoc est, non ei nos nomen impónimus, qui jam à Deo nomen accépit. Habet vocábulum suum quod agnóvimus, non quod elégimus.

℟. Nomen tuum ita magnificávit (Dóminus,) ut * Non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13.

℣. Nominábitur in univérsâ terrâ. *Judith.* 11. * Non recédat. Glória Patri. * Non recédat.

Vesp. de sequenti.

DIE II.

IN FESTO

VISITAT. B. M. V.

Duplex tertiæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 1. g. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum, sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris, et univérsi púlveris pigmentárii? *Cant.* 3.

Capitulum. Eccli. 4.

QUò introíbit sapiéntia, benedícet Deus; qui sérviunt ei, obsequéntes erunt sancto; et eos qui díligunt illam, díligit Deus.

℟. Quàm * Pulchri sunt gressus tui, fília Príncipis! *Cant.* 7.

℣. Occurrísti lætánti, et faciénti justítiam. *Isa.* 64. * Pulchri sunt. Glória Patri. * Pulchri sunt.

Hymnus.

QUò sanctus ardor te rapit,
O Virgo, flos ô Vírginum?
Quò tendis, et cito gradu
Conscéndis alta móntium?

Urget sacer te Spíritus
Toto replétam Númine:
Matris Dei jam dígnitas
Nil charitáti détrahit.

Tibi propínquam sánguine
Matrem puélla vísitas,
Concéssa cui divinitùs
Gratáris alvi múnera.

O quanta matrum gáudia!
Stupénte natúrâ, gravem

Abscónditum sub íntimo
Ceu nube portábas sinu
Solem, suo qui prótinùs
Lustrábit orbem lúmine.

(l) * Mundo Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre; nec tibi minor
Laus, utriúsque Spíritus.
Amen.

℣. Vísita nos in salutári tuo, Dómine,

℟. Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum. *Psal.* 105.

Ad Magn. *Ant.* 3. à.
Ecce diléctus venit, sáliens in móntibus, transíliens colles. *Cant.* 2.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Comm. diei Oct. S. Joan.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Feriâ.

Hymnus.

VIrgo singuláris, etc. *fol.* cxxxiij.

Ad Nunc dim. *Ant.* 4. A.
Arca fœderis Dómini

AD MATUTINUM.

Invitat. Concéptum in útero Maríæ Jesum, * Veníte, adorémus. *Luc.* I.
Psal. Veníte.

Hymnus.

MOntes, supérbum vérticem,
Quà Virgo transit, súbdite,
Cui se libénter stérnerent
Vel ipsa cœli sídera.

Occúlta quæ latet domi,
Audet foràs se pródere :
Semper sibi timens pudor
Se charitáte prótegit.

It illa, non nectit moras;
Fugit vidéri, nec minùs
Fugit vidére, ne suo
Quidquam pudóri détrahat.

Beáta quam pressit pede
Tellus! beáta sémita!
Colles beáti, qui simul
Cum Matre sensístis Deum!

Beatióres hóspites,
Vos, ô quibus cœléstia,
Loquénte Matre Vírgine,
Audíre verba cóntigit!
* Mundo Redémptor qui venis, etc. *ut sup.*
Ps. et Ant. ut in Psalt.

IN I. NOCTURNO.

℣. Exultábunt ómnia ligna silvárum,
℟. A fácie Dómini, quia venit. *Psal.* 95.
Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟.

II. II. NOCTURNO.

℣. Ipse est laus tua, Deus,
℟. Qui tibi fecit magnália. *Deut.* 10.

Sermo
Sancti Bernárdi Abbátis.
De prærogat. B. M. V.

Lectio iv.

SI Maríam dilígitis, si conténditis ei placére, æmulámini modéstiam ejus : nihil enim tàm idóneum hómini, nihil tàm cóngruum Christiáno. Audíerat : Quod ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei ; et nihil áliud quàm ancíllam ejus se esse respóndit. Indè ventum est ad Elízabeth,

et continuò Virginis glória singuláris eidem Elízabeth per Spíritum revelátur. Mirabátur hæc persónam veniéntis, dicens : Undè hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me ? Commendábat et vocem salutántis, adjíciens : Ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero meo, et beatificábat fidem credéntis : Beáta, ínquiens, quæ credidísti, quóniam perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi à Dómino.

℟. Benedíctus * Qui exaltávit eam. *Tob.* 13.

℣. Respéxit humilitátem ancíllæ suæ. *Luc.* 1. * Qui exaltávit eam.

Lectio v.

MAgna quidem præcónia; sed devóta humílitas nihil sibi passa retinére, in eum magis univérsa refúdit, cujus in se benefícia laudabántur. Tu, inquit, magníficas Matrem Dómini, sed magníficat ánima mea Dóminum. In voce meâ fílium pérhibes exultásse in gáudio; sed exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; et ipse quoque tanquam amícus sponsi, gáudio gaudet ad vocem sponsi. Beátam esse dicis quæ credidisset ; sed credulitátis et beatitúdinis causa respéctus est supérnæ pietátis, ut ex hoc magis beátam me dicant omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem et exíguam respéxit Deus.

℟. In Dómino laudábitur ánima mea: * Magnificáte Dóminum mecum, exaltémus nomen ejus in idípsum. *Psal.* 33.

℣. Ait María : Magníficat ánima mea Dóminum. *Luc.* 1. * Magnificáte.

Lectio vj.

NOn ómnium quidem est virgínitas, multò tamen pauciórum est cum virginitáte humílitas....... Felix María, cui nec humílitas défuit, nec virgínitas. Et quidem singuláris virgínitas, quam non temerávit, sed honorávit fœcúnditas; et nihilóminùs speciális humílitas, quam non ábstulit, sed éxtulit fœcúnda virgínitas ; et incomparábilis prorsùs fœcúnditas, quam

virginitas simul comitátur et humílitas. Quid horum non mirábile! Quid non incomparábile! Quid non singuláre! Mirum, si non hæsitas in eórum ponderatióne: utrùm vidélicet pótiùs stupénda sit fœcúnditas in Vírgine, an in Matre intégritas, sublímitas in prole, an cum tantâ sublimitáte humílitas, nisi quòd indubitánter hórum síngulis præferénda sunt simul juncta, et incomparabíliter excelléntius est atque felícius, ómnia percepísse quàm áliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirábilis légitur et cérnitur in Sanctis suis, mirábilem se exhíbuit in Matre suâ! Venerámini ergò, cónjuges, in carne corruptíbili carnis integritátem; mirámini étiam vos, sacræ vírgines, in Vírgine fœcunditátem; imitámini, omnes hómines, Dei Matris humilitátem.

℟. Vílior fiam plus quàm factus sum, et * Ero húmilis in óculis meis. 2. *Reg.* 6.

℣. Ponit (Dóminus) húmiles in sublime. *Job.* 5. * Ero húmilis. Glória Patri. * Ero húmilis.

IN III. NOCTURNO.

℣. Sonet vox tua in áuribus meis:

℟. Vox enim tua dulcis. *Cant.* 2.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo témpore, Exúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda, et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elízabeth. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

Lib. 2. *in Luc. c.* 1.

MOrále est ómnibus ut qui fidem éxigunt, fidem ástruant. Et ideò Angelus, cùm abscóndita nuntiáret, ut fides astruerétur exémplo, senióris féminæ sterilísque concéptum Vírgini Maríæ nuntiávit, ut possíbile Deo omne quod placúerit ei, assèreret. Ubi audívit hoc María, non quasi incré-

dula de oráculo, nec quasi incérta de núntio, nec quasi dúbitans de exémplo; sed quasi læta pro voto, religiósa pro offício, festína præ gáudio, in montána perréxit.

℟. Beáta * Quæ credidísti. *Luc.* 1.

℣. Benedícta es tu, fília, à Dómino Deo excélso. *Judith.* 13. * Quæ credidísti.

Lectio viij.

QUò enim jam Deo plena, nisi ad superióra cum festinatióne conscénderet? Nescit tarda molímina Spíritûs sancti grátia. Díscite et vos, sanctæ mulíeres, sedulitátem quam prægnántibus debeátis exhibére cognátis. Maríam, quæ antè sola in íntimis penetrálibus versabátur, non à público virginitátis pudor, non à stúdio aspéritas móntium, non ab offício prolíxitas itíneris retardávit. In montána cum festinatióne Virgo offícii memor, injúriæ ímmemor,

℟. Sic * Decet nos implére omnem justítiam. *Matth.* 3.

℣. Bonum est óbsequi sancto Deo. *Eccli.* 46. * Decet nos.

Lectio ix.

DIscite, Vírgines, non circumcursitáre per aliénas ædes, non demorári in pláteis, non áliquos in público miscére sermónes. María in domo sera, festína in público, mansit apud cognátam suam tribus ménsibus. Etenim quæ propter offícium vénerat, inhærébat offício: mansit tribus ménsibus, non quòd domus eam delectáret aliéna, sed quia frequéntiùs in público vidéri displicébat. Didicístis, vírgines, pudórem Maríæ; díscite humilitátem. Venit ad Elízabeth, prior salutávit. Decet enim ut quantò cástior virgo, tantò humílior sit... Consciéndum est étiam quia supérior venit ad inferiórem, ut inférior adjuvétur: María ad Elízabeth, Christus ad Joánnem.

gáudium et lætítiam cordis. *Jerem.* 15.

℣. Lóquere, quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3. * Verbum tuum. Glória Patri. * Verbum.

℣. *Sac.* Laudáte Dóminum, qui in ancíllâ suâ adimplévit misericórdiam suam. *Judith.* 13.

℟. Laudábo et magnificábo eum in laude. *Ps.* 68.

AD LAUDES.

Psalmi et Antiph. ut in Psalt. præter Cant. et Ant. ut sequitur.

Canticum. Judith. 13.

APeríte portas, quia nobíscum est Deus,* qui fecit virtútem in Israël.

Laudáte Dóminum Deum nostrum, * qui non deséruit sperántes in se;

Et in me ancíllâ suâ adimplévit misericórdiam suam, * quam promísit dómui Israël;

Et interfécit in manu meâ * hostem pópuli sui.

Confitémini illi, omnes; quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Aperíte portas, quia nobíscum est Deus, qui fecit virtútem in Israël.

Capitulum. Sap. 7.

(SApiéntia) per natiónes in ánimas sanctas se transfert, amícos Dei et Prophétas constítuit.

HYMNUS.

AD prima verba Vírginis,
Intùs movénte Spíritu,
In matris alvo cónditus
Infans Joánnes géstiit.

Agnóvit infántem Deum:
Quem sensit, ardet pródere:
Vates et infans, quà potest,
Adésse Christum núntiat.

Hic jam Redemptóris vices,
Præcónis ille sústinet:
Matérna claustra non vetant
Quin ambo munus ímpleant.

Felix puer, felix parens,
Felix sacérdos, et domus,

Qui per paréntem Vírginem,
Deo fruúntur hóspite.
* Mundo Redémptor, qui venis, etc. *ut ad Vesp.*

℣. In amicítiâ illíus delectátio bona :

℟. Præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus. *Sap.* 8.

Ad Bened. *Ant.*

Benedíctus Dóminus Deus Israël, quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ. *Luc.* 1.

Oratio.

DEus, cujus Unigénitus in útero adhuc Vírginis clausus, Joánnem Baptístam, Maríâ salutánte Elízabeth, Spíritu sancto, priúsquàm nascerétur, implévit; da Ecclésiæ tuæ, ut quos spiritáli regeneratióne concépit, purificátos tibi fílios páriat adoptiónis. Per eúmdem...... In unitáte ejúsdem.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

CÆteri nunquàm, nisi vagiéndo,
Prímitùs vocem púeri profúndunt :
Unus in cunctis álacris Joánnes
Prævenit ortum.

Hunc sibi nondùm génitum sacrávit
Patris ætérni Génitus Prophétam;
Spíritu gaudens canit hinc futúra
Utraque mater.

Ecce quàm fructu Génitrix utróque
Digna! quàm fructus Genitríce dignus!
Hæc Deum Virgo, stérilis recóndit
Illa Prophétam.

* Fac tuos puris hódiè cliéntes,
Virgo, collústret rádiis Redémptor
Ille, quem prodit nova nascitúro
Grátia Vati.

Det sequi certo pede, quà præisti,
Dùm Patris summi paritúra prolem,
Vilis ancíllæ títulum modésto
Péctore præfers.

(1) Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque nexus,

(1) Summa laus, Jesu, tibi quem Joannes
Sensit exultans genitricis alvo.
Summa sit Patri: tibi, summa, sanctum,
Gloria, Flamen. Amen.

Spíritus semper, Deus
unus, omni
Témporis ævo.
Amen.
Psal. de Feriâ.
℣. *parv.* Vidérunt eam, et beatissimam prædicavérunt, et laudavérunt eam. *Cant.* 6.

AD ALIAS HORAS.

HYMNUS.

*FAc tuos puris hódiè, etc, *usque ad finem*, *ut suprà.*
℣. *parv. ut suprà.*

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Antiph. de Feriâ.
Allelúia, Allelúia. ℣. Benedíctus Dóminus Deus Israël, qui misit te, et benedíctum elóquium tuum. 1. *Reg.* 25. Allelúia.

PROSA.

UT matris útero
Salvátor cláuditur,
Afférre misero
Statim aggréditur
Salútem hómini.
In ventre stérilis,
Nondùm quid sápiens,
Joánnes, súbsilis,
Præséntis séntiens
Virtútem Dómini.
Deum se gérere
María cónscia,
Festínat cúrrere
Quò rapit grátia,
Morárum néscia.
Domum ingréditur;
Quæ delectátio!
Parens, ut lóquitur,
Replétur gáudio
Infans et grátiâ.
Donum dùm prædicat,
Se spernit páuperem;
Deum magníficat,
Qui magnus húmilem
Ancíllam réspicit.
Tu, Deus, glória
Solus es ánimæ;
Tua poténtia,
Dans thronum ínfimæ,
Supérbos déspicit.
O qui nos óriens
Ex alto vísitas,
Sol non defíciens,
Da pacis sémitas
Nunquàm desérere.
Solem justítiæ
Quæ nube témperas,
María, grátiæ
In nos frugíferas
Aquas fac plúere.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 7. c.
In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13.

AD COMPLETORIUM.

Ut heri.

DIEB. III. IV. V. VI.

De Feriâ, nisi fiat de Festo vel de Octav. SS. Apost. Petri et Pauli. Die autem vj. Vesp. erunt de seq.

DIE VII.

IN FESTO

SS. BERTHARII SACERDOTIS, ET ATHALENI DIACONI.

Ann. 764 vel 767.

Semiduplex.

Ut in Comm. Presbyt.

Lectio iij.

Ex Act. apud Bolland.

BErthárius Aquitánus, vitæ laudábilis Sacérdos, Athalénum suum ex soróre nepótem baptizávit et fide ímbuit, qui deíndè ad Diaconátûs Ordinem promótus est. Pari consílio votum emittunt invisendi sepúlcrum beáti Petri. Iter aggréssi véniunt Turónes ad túmulum sancti Martíni. Exíndè petunt Burgúndiam; cùmque ex pago Manaóre * propè Favernëium divertíssent ad fontem cœnulam sumptúri, et vidísset eos scelerátus cujúsdam équitis fámulus cálice stánneo hauriéntes aquam, existimans eum esse argénteum, Sanctósque dívites esse mercatóres, ob áliquas sárcinas quas ásino gestábant, eos occidéndi et spoliándi consílium cepit; quod cùm aperuísset hero suo, suásit ipsi ut illud scelus secum perpetráret. Vidit eos Berthárius ad se veniéntes; et malum eórum ánimum suspicátus, Athaléno dixit: Fugiámus, fili mi, non solùm metu mortis, sed ne viri isti reos se reddant homicídii. At mox attingéntes eos sceleráti, Sanctis amputárunt cápita, et ea in flu-

* *Menoux.*

men nómine Lantánam projecérunt, ut non dignoscerétur ex corónis, interféctos esse Cléricos. Quidam Marchíæ Comes impetráta Sanctórum córpora détulit in Abbátiam Florivallénsem, in Luxemburgénsi Ducátu sitam, et ibi quievérunt ad sæculum décimum sextum, quo témpore Hærétici ossa sacra è capsis ubi jacébant, extrácta, igni tradidérunt. Verùm Mónachi quidam Ordinis sancti Benedícti ea è flammis erépta transtulérunt in Monastérium sancti Nicólai propè Nancéium, ubi in capsis repósita honorificè servántur.

℟. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum; * Illi autem sunt in pace. *Sap.* 3.

℣. Apud Dóminum est merces illórum. *Sap.* 5. * Illi autem. Glória Patri. * Illi autem.

Oratio.

PIetátem tuam, Dómine, súpplices deprecámur; ut dùm Sanctórum Berthárii et Athaléni passiónem cólimus, peccatórum véniam consequámur. Per Dóminum.

DIE IX.

IN FESTO

SANCTI BENEDICTI,

ABBATIS.

Ann. 543.

Semiduplex.

Lectio iij.

Ex lib. 2. Dialog. sancti Gregorii Papæ.

BEnedíctus Núrsiæ claro génere natus, sæculo renúncians, in eo loco qui Súblacus dícitur, per triénnium delítuit in altíssimâ spelúncâ. Indè tránsiit ad quosdam Mónachos, ab ipsis rogátus ut eis præésset; quibus cùm vivéndi licéntiam exprobráret, venénum pótui ejus miscuérunt. Ille póculum oblátum signo crucis confrégit, et in solitúdinem se recépit. Multis ad eum confluéntibus Discípulis, duódecim Monastéria ædificávit. Pósteà ad montem Cassínum se cóntulit, ubi

simulácrum Apóllinis et ejus aram evértit. Scripsit Monachórum régulam, quam sanctus Gregórius discretióne præcípuam et sermóne luculéntam appéllat. Multa prophético spíritu futúra prædíxit. Mortis suæ diem discípulis prænuntiávit, et sepúlcrum, in quo suum corpus condi vellet, sex ante diébus quàm eò inferrétur, jussit aperíri. Sexto die delátus in Oratórium, et Domínici Córporis et Sánguinis perceptióne munítus, inter discipulórum manus, elevátis in cœlum mánibus et orans, ánimam efflávit.

℟. Quòd relíqueris paréntes et terram, * Reddat tibi Dóminus pro ópere tuo.

℣. Plenam mercédem recípias à Dómino ad quem venísti, et sub cujus confugísti alas. *Ruth.* 2. * Reddat tibi. Glória Patri. * Reddat.

Oratio.

Deus, qui beátum Abbátem Benedíctum sæculi turbis subdúctum ac vítiis, tuæ firmiter legi adhærére fecísti; quæsumus, ut ejus imitatióne in tuâ disciplínâ perseverántes, supérnæ vocatiónis bravíum ássequi mereámur. Per Dóminum.

Die x.

De Feriâ. Vesperæ de sequenti.

Die xi.

In Festo

SS. SINDONIS.

Duplex secundæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 8. G. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coràm tondénte se, non apériet os suum. *Isa.* 52.

Ant. 7. a. Si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini manu ejus dirigétur. *Isa.* 53.

Ant. 5. C. De torrénte in viâ bibet, propteréà exaltábit caput. *Psal.* 109.

Ant.

Ant. 1. D. Justificábit ipse justus multos, et iniquitátes eórum portábit. *Isa.* 53.

Ant. 4. E. Dabit (Dóminus) ímpios pro sepulturâ, et dívitem pro morte suâ. *Isa.* 53.

Capitulum. Isa. 11.

RAdix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum Gentes deprecabúntur, et erit sepúlcrum ejus gloriósum.

℟. Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, et * Glorificábo nomen tuum in ætérnum. *Psal.* 85.

℣. Quóniam non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. *Psal.* 15. Glorificábo. Glória Patri. * Glorificábo.

Hymnus.

ADóret omnis spíritus
Salútis hæc insígnia:
Ad hæc amóris pígnora,
Cor omne amóre férveat.

Quot intuémur stígmata,
Tot sunt amóris óstia;
Quot tela filis téxitur,
Tot cordis extent víncula.

* O sancta Sindon Núminis
Amóre nostrî mórtui,
Amóre fac nos émori,
Deóque amáto pérfrui.

Qui de sepúlcro pródiit
Victor, relíctâ Síndone,
Sit summa Christo glória,
Cum Patre et almo Flámine. Amen.

℣. Fórtium dívidet spólia;

℟. Pro eo quòd trádidit in mortem ánimam suam. *Isa.* 53.

Ad Magn. *Ant.* 4. E.

Moritúrus erat pro gente, et non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispérsi, congregáret in unum. *Joan.* 11.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Dominicâ.

Hymnus.

* O Sancta Sindon Núminis, etc. *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 3. à.

Oportébat Christum pati, et resúrgere à mórtuis. *Luc.* 24.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum primogénitum ex mórtuis, * Venite, adorémus. *Col.* 1.

Psal. Venite.

HYMNUS.

OMnibus terris celebránda Sindon,
Omnium summo veneránda cultu,
Mira quæ præstas, mea lingua mundo
Dicere gestit.

Sindonem supplex mánibus supinis
Invocat cæcus, subitòque plaudit
Sindonis tactu sibi restitútum
Lúminis usum.

Bráchio læsi pia mens revólvit
Imprimi Christum sacra membra fossum
Síndoni; fusâ prece, mox perémpto
Vúlnere gaudet.

Hanc procellósi tremuére fluctus;
Ejus ut tactu pélagus sacrátum
Huic pepercérunt eleménta cuncta;
Témporis nullo violáta tractu;
Damna non sensit fugiéntis ævi
Tela supérstes.

* Vos triumphátæ spólia ampla mortis,
Vos resurgéntis nova signa vitæ,
Vos triumphántis monuménta Christi,
Orbis adóret.

Tuque confóssi láteris cicátrix,
Vúlnerum frontis, mánuum, pedúmque
Stigma, cœlórum reseráta nobis
Atria pande.

Sit Patri, sit laus Génito, sit almo
Flámini, sit laus tribus una semper,
Et tibi cunctis, Deus unus, æqua
Glória sæclis. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Dóminus illuminátio. *fol.* 147.

Divis: *Psalm*. Exáudi, Dómine. *fol*. 148.

Ant. Insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Psal. Exaltábo te, Dómine. *fol*. 10.

Ant. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítiâ.

℣. Christus Jesus semetipsum exinanívit.

℟. Propter quod et Deus... dedit illi nomen quod est super omne nomen. *Philippens*. 2.

Lectiones de Scripturâ cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Consérva me. *fol*. 132.

Ant. Lætátum est cor meum, et caro mea requiéscet in spe.

Psal. Ad te, Dómine, clamábo. *fol*. 9.

Ant. Dóminus adjútor meus, et protéctor meus, in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum, et reflóruit caro mea.

Psal. Cùm invocárem. *fol*. 38.

Ant. Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum.

℣. Christus mórtuus est pro peccátis nostris:

℟. Resurréxit tértiâ die secúndùm Scriptúras. 1. *Cor*. 15.

Sermo
S. Augustíni Epíscopi.
In redditione Symboli, *serm*. 16. *ex Vigner*.
Lectio iv.

COgita, ô homo! quid pro te Deus tuus, Creátor pro creatúrâ suscéperit, ut Deus in Deo manens, ætérnus cum ætérno vivens, æquális Fílius Patri, pro reis et peccatóribus servis, formam servi non dedignarétur indúere. Neque enim hoc méritis humánis est exhíbitum: nam pro iniquitátibus nostris pœnas pótiùs merebámur; sed si iniquitátes nostras observásset, quis sustinuísset? Pro ímpiis ergò, et pro peccatóribus servis, Dóminus factus est homo..... Parùm hoc fórsitan videátur, quòd pro homínibus Deus, pro peccatóribus justus, pro reis ínnocens, pro cap-

tivis Rex, pro servis Dóminus carne humanitátis indútus advénit, in terris visus est, et cum homínibus conversátus est; crucifixus insuper, mórtuus et sepúltus est.

℟. Cháritas...... Christi urget nos; æstimántes hoc, quóniam... pro ómnibus mórtuus est Christus, * Ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est, et resurréxit. 2. *Cor.* 5.

℣. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra. *Isa.* 53. * Ut et qui vivunt.

Lectio v.

MAjórem hâc charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat pro amícis suis... Christus pro ímpiis mórtuus est.... cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus. Ecce in Christo majórem invénimus charitátem, quia ánimam suam non pro amícis, sed pro suis trádidit inimícis. Quantus ergò Dei amor ergà hómines, et qualis afféctio sic amáre, étiam peccatóres, ut amóre eórum morerétur. Comméndat enim charitátem suam in nobis, (Apóstoli verba sunt) quia, cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. Crede ergò hoc et tu, et pro salúte tuâ noli erubéscere confitéri.... noli erubéscere ignomíniam crucis, quam pro te Deus ipse non dubitávit excípere.

℟. Quòd nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, * Qui diléxit me, et trádidit semetipsum pro me. *Gal.* 2.

℣. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini. *Gal.* 6. * Qui diléxit me.

Lectio vj.

TU autem, quisquis es, qui de poténtiâ magis quàm de humilitáte vis gloriári, áccipe consolatiónem, habe exultatiónem: qui crucifixus sub Póntio Piláto, et sepúltus est, tértiâ die resurréxit à mórtuis..... Si pótuit te, cùm non esses, ex nihilo fácere, cur non pótuit hóminem suum, quem jam fécerat, à mór-

tuis excitáre? Crédite ergò, fratres; ubi de fide ágitur, longo uti sermóne non opus est. Sola hæc fides est, quæ Christiános ab ómnibus homínibus discérnit et séparat. Quia mórtuus est et sepúltus, et Pagáni modò credunt, et Judæi tunc vidérunt; quia verò tértiâ die resurréxit à mórtuis, nec Judæus, nec Pagánus admíttit.... Credámus ergò, et quod in Christo factum crédimus, hoc futúrum sperémus in nobis: Deus enim qui promíttit, non fallit.

℟. Crédimus, sciéntes quóniam * Qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit. 2. *Cor.* 4.

℣. Si complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus. *Rom.* 6. * Qui suscitávit. Glória Patri, etc. * Qui suscitávit.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Quàm dilécta. *fol.* 148.

Ant. Protéctor noster, áspice, Deus, et réspice in fáciem Christi tui.

Psal. Cantáte Dómino: *fol.* 66.

Ant. Annuntiáte de die in diem salutáre Dei, et adoráte eum in átrio sancto ejus.

Psal. Dóminus regnávit. *fol.* 68.

Ant. Exaltáte Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est.

℣. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi;

℟. Psalmum dicat nómini tuo. *Psal.* 65.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 19.

In illo témpore, Rogávit Pilátum Joseph ab Arimathiâ (eò quòd esset Discípulus Jesu, occúltus autem propter metum Judæórum), ut tólleret corpus Jesu; et permísit Pilátus. Venit ergò, et tulit corpus Jesu. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Expos. in Luc. l. 10. §. 136, 137.

Joseph et Nicodémus Christum sepéliunt: unus justus et constans, alter in quo dolus non

est; talis enim est Christi sepultúra, quæ fraudem iniquitatémque non hábeat...... Justus autem Christi corpus óperit Síndone, innocens ungit unguénto; namque hæc non otiósè distíncta repérimus, quia justítia vestit Ecclésiam, innocéntia grátiam subminístrat. Vesti ergò et tu Dómini corpus..... ut et ipse sis justus.... unge illud myrrhâ et áloë, ut bonus odor Christi sis.

℟. Donec súperest hálitus in me, * Non loquéntur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur mendácium. *Job.* 27.

℣. Justus Dóminus, et justítias diléxit, æquitátem vidit vultus ejus, *Ps.* 10. * Non loquéntur.

Lectio viij.

De hoc Joseph in Joánne solo invénio quòd occúltus vénerit ad Pilátum propter metum Judæórum. Quómodò justus látebram perículi timóre quæsívit? Ego autem puto quòd occúltè petíerit, ut corpus impetráret, non ut cavéret. Et tamen quid mirum si occultabátur justus, quandó occultabántur et Apóstoli, justórum magístri? Veni et tu, vel serò vel nocte; quâcúnque horâ véneris, invénies Jesum ad suscipiéndum parátum, nec minórem sériùs veniéntibus mercédem piâ largitáte solvéntem: nam et qui sextâ horâ venit, non est mercéde fraudátus; et qui undécimâ, plenitúdinem mercédis accépit.

℟. Quis mihi det * Ut invéniam te? *Cant.* 8.

℣. Dómine, ante te omne desidérium meum. *Psal.* 37. * Ut invéniam te.

Lectio ix.

Hunc Joseph justum Lucas dixit, Matthæus dívitem: et méritò dives hoc loco dícitur, ubi corpus suscépit Christi: suscipiéndo enim divitem, nescivit fídei paupertátem. Dives ergò est, qui justus est. Justus igitur Síndone invólvit; Israëlíta verò et divérsos miscet virtútum odóres, et áloës mittit quasi libras centum, hoc est per-

féctæ fidei quantitátem; et ligavérunt corpus Jesu juxtà consuetúdinem spiritálium Judæórum, non útique nodis perfídiæ, sed fídei ligatúris. Et posuérunt in horto, cui frequénter Ecclésia comparátur, quæ diversórum hábeat poma meritórum, florésque virtútum. Benè ergò Christus monuménto créditur justi, ut hábeat Fílius hóminis ubi caput suum reclínet, et justítiæ habitatióne requiéscat. Benè autem novo, ne álius suscitátus à pérfidis dicerétur.... cui pulchérrimè lapis admótus est, ne patéret: quicúnque enim in se benè humáverit Christum, diligénter custódiat, ne eum perdat.

℟. Invéni * Quem díligit ánima mea; ténui eum, nec dimíttam. *Cant.* 3.

℣. Diléctus meus mihi, et ego illi. *Cant.* 2. * Quem. Glória Patri. * Quem.

℣. *Sacerd.* Humiliávit semetípsum Christus,

℟. Propter quod et Deus exaltávit illum. *Philipp.* 2.

AD LAUDES.

Psal. Benedícam Dóminum. *fol.* 150.

Ant. Clamávit, et Dóminus exaudívit eum, et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Psal. Dóminus regnávit. *fol.* 88.

Ant. Dóminus regnávit, exúltet terra, læténtur ínsulæ multæ.

Psal. Bonum est. *fol.* 50.

Ant. Bonum est confitéri Dómino, et psállere nómini tuo, Altíssime, ad annuntiándum manè misericórdiam tuam.

Canticum. Isa. 63.

Quis est iste qui venit de Edom, * tinctis véstibus de Bosra?

Iste formósus in stolâ suâ, * grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ;

Ego qui loquor justítiam, * et propugnátor sum ad salvándum.

Quarè ergò rubrum est induméntum tuum, * et vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

Tórcular calcávi solus,

* et de géntibus non est vir mecum.

Calcávi eos in furóre meo, * et conculcávi eos in irâ meâ.

Et aspérsus est sánguis eórum super vestiménta mea, * et ómnia induménta mea inquinávi.

Dies enim ultiónis in corde meo, * annus redemptiónis meæ venit.

Circumspéxi, et non erat auxiliátor; * quæsívi, et non fuit qui adjuváret.

Et salvávit mihi bráchium meum, * et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi.

Glória Patri, etc.

Ant. Annus redemptiónis meæ venit.

Psal. Cantáte Dómino. *fol.* 68.

Ant. Salvávit sibi déxtera ejus, et bráchium sanctum ejus.

Capitulum. Apoc. 1.

GRátia vobis et pax à Jesu Christo, qui est

HYMNUS.

*VOs triumphátæ spólia ampla mortis, etc. *ut sup. ad Matut.*

℣. Ipse est pax nostra,

℟. Solvens inimicitias in carne suâ. *Eph.* 2.

Ad Bened. *Ant.*

Consepúlti sumus cum Christo per baptísmum in mortem, ut quómodò Christus surréxit à mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. *Rom.* 6.

Oratio.

DEus, qui nobis in sanctâ Síndone, quâ Corpus tuum sacratíssimum de cruce depósitum, à Joseph involútum fuit, Passiónis tuæ vestígia reliquísti; concéde propítius, ut per mortem et sepultúram tuam, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Qui vivis.

AD PRIMAM

Fac, misceámus lácrymas
Quem fudit Agnus sánguini.
1. Jesu, pedes, manus, latus
Perfóssus, et sacrum caput,
Fac vos profúsi sánguinis
Ascéndat ad thronum Patris.
2. Plagæ tui sint córporis
Ægris asylum méntibus,
A Patris irâ nos tegas
Virtúte sacri lintei.
3. Procul tepor, procul pigrum
Cordis fatiscéntis gelu :
Imménsa Christi nos trahit,
Urget, rapítque cháritas.
* Qui de sepúlcro pródiit
Victor, relictâ Síndone,
Sit summa Christo glória,
Cum Patre et almo Flámine.
Amen.

Psal. de Dominicâ.

℟. *parv.* Venit Simon Petrus, et introivit in monuméntum, et vidit linteámina pósita et sudárium. *Joan.* 20.

AD TERTIAM.

Hymnus.

1. JEsu, pedes, manus, latus, etc. *cum doxologiâ.*

℟. *parv. ut suprà.*

AD SEXTAM.

Hymnus.

2. PLagæ tui sint córporis, etc. *cum doxologiâ.*

℟. *parv. ut suprà.*

AD NONAM.

Hymnus.

3. PRocul tepor, procul pigrum, etc. *cum doxologiâ.*

℟. *parv. ut suprà.*

AD II. VESPERAS.

Psal. Eripe me, Dómine, *fol.* 182.

Ant. 1. g. Dixi Dómino : Deus meus es tu ; exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Divis. Psal. Dómine, Dómine, virtus. *fol.* 182.

Ant. 7. b. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, obumbrásti super caput meum in die belli.

Psal. Sæpè expugnavérunt me. *fol.* 180.

Ant. 4. c. Expugnavérunt me à juventúte meâ, étenim non potuérunt mihi.

Psal. Dixit Dóminus. *fol.* 33.

Ant. 7. a. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum.

Psal. Confitébor tibi, Dómine. *fol.* 33.

Ant. 8. G. Redemptiónem misit pópulo suo.

Allelúia, all. ℣. Christus crucifíxus est ex infirmitáte, sed vivit ex virtúte Dei. Allel. 2. *Cor.* 13.

PROSA.

O Mortáles, jam speráte :
Dant salútem, plena vitæ,
Mortis Christi pígnora.

Sacra Sindon fugat lethum :
Sicut Christi, sic et fratrum
Luci reddet córpora.

Sed pejóri dignas morte
Mentes nostras reddit vitæ
Tua, Christe, pássio.

Fixus manus, fixus pedes,
Adorándum caput voves :
Quo nos emis prétio!

Vide, Pater, vide sacram,
Profúso cruóre rubram,
Christi tui fáciem.

Insons Deus datur morti,
Et pigébit sontes pati!
Nefas velle réquiem.

Stupet cœlum, terra luget,
Amor Christi jam nos urget :
Amántem dilígimus.

Nobis passus, nobis surgit,
Vivit nobis, nobis agit :
Vivénti jam vívimus.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 1. D.

Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam. *Apoc.* 5.

Commem. de sequenti.

AD COMPLETORIUM.

Ut heri.

DIE XII.
IN FESTO
S. VIVENTIOLI,
EPISCOPI.

vj. sæc.

Lectio iij.

VIventiolus, in Monastério Condatisconénsi vitam regulárem proféssus, præpósitus fuit scholæ hujus Monastérii, ob suam eruditiónem: erat enim vir doctíssimus, teste Agobárdo. Summæ doctrínæ adjúncta mira sánctitas dignum eum réddidit, qui Ecclésiæ Lugdunénsi præficerétur. Intérfuit Concíliis Meldénsi et Epaonénsi, in quibus multa præclárè sancíta sunt ad disciplínam ecclesiásticam. Cùm Regi Sigismúndo suasísset ut in honórem sanctórum Mártyrum Legiónis Thébeæ extrúeret Monastérium Agáuni, subscrípsit ipse régio diplomáti dato ad hujus Monastérii fundatiónem. Obiit Lugdúni, et super túmulum illíus extructum est altáre.

℟. Hoc habet erudítio et sapiéntia, quòd * Vitam tríbuunt possessóri suo. *Eccle.* 7.

℣. Dómine, da mihi sapiéntiam et intelligéntiam. 2. *Par.* 1. * Vitam tríbuunt. Glória Patri. * Vitam tríbuunt.

Oratio.

OMnípotens Deus, qui beátum Viventiolum Antístitem pópulo tuo præésse, et verbo ac exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et totâ virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Vesp. de seq.

DIE XIII.
IN SUSCEPT. BRACHII
SANCTI STEPHANI,
PROTOMART.

Ann. 444.

Duplex trium Lectionum.

AD I. VESPERAS.

Psalmi et Antiph. ut in Psalt.

Capitulum. Is. 66.

DIcit Dóminus : Ego consolábor vos, et ossa vestra quasi herbà germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis ejus.

℟. Consúrge, consúrge, * Indúere vestiméntis glóriæ tuæ, cívitas sancti. *Isa.* 52.

℣. Spíritus omnipoténtis Dei magnam fecit suæ ostensiónis evidéntiam. 2. *Mach.* 3. * Indúere. Glória Patri. * Indúere.

HYMNUS.

OBscúros ténebris, Christe, vetas premi,
Clarâ qui púgiles te nece prædicant:
Quæ sub nocte jacent, tempóribus suis
Hæc pleno rétegis die.
Quæ celáta diù pulvéreo situ,
Monstras ossa tui spléndida Mártyris:
Ad cujus cíneres cúrri-
* Ultor nempè Deus non méritæ necis
Sacris oppróbrium pensat honóribus;
Claros prodígiis ac venerábiles
Ipsos vel túmulos facit.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cujus præsídio prælia sústinent
Fuso sánguine Mártyres. Amen.

℣. Dabis, (Dómine,) gáudium et lætítiam,

℟. Et exultábunt ossa humiliáta. *Ps.* 50.

Ad Magn. *Ant.* 8. d. Ossa ipsíus visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt. *Eccli.* 49.

Oratio ut infr. Comm. S. Viventioli.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Feriâ.

HYMNUS.

*ULtor nempè Deus, etc. *usque ad finem*, *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 2. *D.*

púlta sunt, et nomen eórum vivit. *Eccli.* 44.

AD MATUTINUM.

Invitat. Mirábilem in Sanctis suis Dóminum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 67.

Psal. Venite.

HYMNUS.

Obscúros ténebris, etc. *ut sup. ad Vesperas.*

Psalmi de Psalter. sec. Fer. cum tribus Glória Patri *et tribus Ant. quæ positæ sunt pro Offic. trium Lect.*

℣. Revelábit terra sánguinem suum,

℟. Non opériet ultrà interféctos suos. *Isa.* 26.

I. et II. Lectio de Scripturâ.

Lectio iij.

Sanctíssimi Protomártyris Stéphani bráchium Theodósius júnior, Oriéntis Imperátor, Vesontiónem in Ecclésiam ejúsdem Mártyris transmísit. His sanctis Relíquiis decem Gálliæ Epíscopi divínâ étiam revelatióne commóniti, cum Celidónio Bisontíno Archiepiscopo solémniter occurrérunt. Cùmque Celidónius, accépto fórcipe, majus os bráchii mordáciter stríngere cœpisset, ut, factis partículis, Epíscopi singuli áliquid accíperent: mira res! stringénte os Archiepíscopo, deflúxit ex osse árido tàm copiósè sanguis recentíssimus, ut non solùm Epíscopi, verùm étiam fidéles quàm plúrimi facti fúerint sacri cruóris partícipes. Præsul autem Celidónius, præsénte Gallâ Patríciâ Imperatóris consanguíneâ, ossa bráchii sancti Protomártyris accípiens, majus sub altári condidit, in Basílicâ sui nóminis principáli; minus verò ornávit gemmis, et auro ad instar humánæ manûs arte fácto, ut in diébus opportúnis ab Epíscopo plebs benedicerétur.

℟. Oculi Dómini super justos: * Custódit Dóminus ómnia ossa eórum. *Ps.* 33.

℣. Ut sit memória illórum in benedictióne, et ossa eórum púllulent de loco suo. *Eccli.* 46.

* Custódit. Glória Patri.
* Custódit.

℣. *Sacerd.* Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum. *Ps.* 4.

℟. Dómine, quis símilis tibi? *Ps.* 34.

AD LAUDES.

Psalmi et Antiph. ut in Psalt. Cant. de Comm.

Capitulum. Is. 65.

HÆc dicit Dóminus: Sic fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum: adhuc illis loquéntibus, ego áudiam.

HYMNUS.

O Vos unánimes, Christíadum chori,
Sanctórum túmulos et cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora cœlitum,
Lætis dícite cántibus.

Cœlo quandò piis æqua labóribus,
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hîc laus et decus óssibus.

Passim sparsa Deus pollíciti memor
Custos, ne péreant, pígnora cólligit;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.

Quin et Rellíquias et túmulos sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia:
Conjungénsque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.

Vos, quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis,
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus.

Ut cùm nostra novis spléndida dótibus,
Surget juncta choris spírituum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus.
Amen.

℣. Secúndùm magnitúdinem bráchii tui, Dómine,

℟. Pósside fílios mortificatórum. *Ps.* 78.

Ad Bened. *Ant.*

Intácta mansérunt ossa hóminis Dei. 4. *Reg.* 23.

Oratio.

DA nobis, Dómine, beáti Protomártyris tui Stéphani semper patrocínio lætári, cujus suscipiéntes Relíquias, tuæ circà nos pietátis, et ejus pro nobis apud te intercessiónis pignus accépimus. Per Dóminum.

AD HORAS.

HYMNUS.

ADésto, Martyr ínclyte,
Cleménsque, dùm piis tua
Colúntur ossa rítibus,
Votis favéto súpplicum.
Non illa, quanquam tristibus
Imum redácta in púlverem
Dudùm sepúlcris squáleant,
Divína virtus déserit.
Sed sancta præsénti fovet
Implétque templa númine,
Sed et futúræ Spíritus
Post sæcla servat glóriæ.
Hinc ille, qui nostris latet
Cinis sub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax,
Torquet, fugátque dæmones.
Sit summa, Christe, laus tibi,
Ventúre Judex sæculi,
Cum Patre cumque Spíritu,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. *parv.* Non superávit illum verbum áliquod, et mórtuum prophetávit corpus ejus. *Eccli.* 48.

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Antiph. ut in Psalterio.

Allelúia, Allelúia. ℣. Seminátur corpus in ignobilitáte, surget in glóriâ; seminátur in infirmitáte, surget in virtúte. 1. *Cor.* 15. Allelúia.

PROSA.

LAudáte Stéphanum
Lætis concéntibus,
Omnes magnánimum
Sonis concórdibus
Heróem dícite.
Invicto púgili
Dùm plaudunt cœlites,
Primam, vos æmuli,
Corónam, Mártyres,
Ductóri cédite.

Iter sanguíneum
Primus apéruit,
Agmen quo Mártyrum
Palmas obtinuit
Cruénto fúnere.
Armátis mánibus
Stat turba sæviens :
Occúrrit íctibus
Períre géstiens
Felíci vúlnere.
Pro Christi nómine
Fractus lapídibus
Clamat, et sánguine
Petit ac précibus
Salútem hóstium.
Ad vocem Mártyris
Cadéntis fórtiter,
Pugnæ diffícilis
Fit Christus árbiter,
Fit Saulus prétium.
Duro certámine
Fides non víncitur :
Saxórum grándine
Martyr dùm túnditur,
Perstat intérritus.
Profúso sánguine
Dùm tellus tíngitur,
Fœcúndo sémine
Heróum náscitur
Victor exércitus.
O qui Martyribus
Præis ad glóriam,
Christi milítibus
Ora victóriam;
Manent nos prælia.
Salúbris grátia;
Detur vincéntibus
Cœléstis glória.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 5. a. Cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absórpta est mors in victóriâ. 1. *Cor.* 15.

Fit Comm. de sequent.

AD COMPLETORIUM.

Ut heri.

DIE XIV.

IN FESTO

S. BONAVENTURÆ,

EPISC. ET DOCTORIS.

Ann. 1274.

Semiduplex.

Ut in Comm. SS. Doctorum.

Lectio iij.

BOnaventúra Balneo-Régii in Etrúriâ natus, religiónem sancti Francísci ingréssus, Alexándro Alénsi magistro

interpretátus doctorálem láuream adéptus sit. Ordinis sui Minister generális singulárem in ejus administratióne prudéntiam ac sollicitúdinem adhíbuit. Archiepiscopátum Eboracénsem in Angliâ, sibi oblátum à Cleménte quarto, recusávit. Gregórius décimus eum Cardinálem et Epíscopum creávit, præfecítque eum Ecclésiæ Albanénsi, quæ non nisi antiquióribus Cardinálibus commítti solébat. Misit eum ad Concílium generále Lugdunénse, in quo tàm præcláram navávit óperam in propugnándâ fide, ut, subláto schísmate, Míchaël Palæólogus Græcórum Imperátor, aliique orientáles ad sedis Apostólicæ communiónem redíerint. Migrávit è vitâ in eódem concílio, ætátis anno quinquagésimo tértiò. Multa scripsit in quibus legéntem sic docéndo áfficit, ut in íntimos ánimi recéssus penetráre videátur. Eum Sixtus quartus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Hic est qui fuit in Ecclésiâ cum pátribus nostris, qui * Accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7.

℣. Quæsívit verba utília, et conscrípsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccle.* 12. * Accépit. Glória Patri. * Accépit.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiæ tuæ beátum Bonaventúram Pontíficem, et Doctórem mirábilem tribuísti; concéde propítius, ut eum apud te pium intercessórem semper habére mereátur. Per Dóminum.

DIE XV.

De Feriâ. Vesperæ de sequenti.

DIE XVI.

IN FESTO

S. EUSTASII,

ABBATIS.

Ann. 625 *vel* 626.

Semiduplex.

Lectio iij.

EUstásius, ex unâ inter nobilíssimas famílias

Burgúndiæ ortus, ita piè educátus est, ut supérior fúerit nobilitáti virtus. Extrúcto à beáto Columbáno célebri Monastério Luxoviénsi, fuit Eustásius unus è primis qui Columbáni régulam ampléxi sunt. Ejéctus è Monastério Columbánus jussu Theodérici Regis, successórem sibi designávit Eustásium, qui jejúniis, vigíliis, et oratiónibus assíduis vacans, frátribus exémplo pótiùs quàm verbo præerat. Ob exímias quibus eminébat virtútes, charus fuit Clotário Fránciæ Regi, qui, ut testificarétur quanto eum in honóre habéret, Monastérium Luxoviénse in suam speciálem clientélam assúmpsit. Ad Varáscos verbum Dei prædicatúrus se cóntulit, et in Bavâriam lumen Evangélii invéxit. Tandem obdormívit in Dómino, et in suo Monastério sepúltus est. Sanctitátem ejus váriis Deus testátus est miráculis.

℟. Símilem illum fecit (Deus) in glóriâ Sanctórum, et * Glorificávit illum in conspéctu Regum. *Eccli.* 45.

℣. Fecit mirabília in vitâ suâ. *Eccli.* 31. * Glorificávit. Glória Patri, etc. * Glorificávit.

Oratio.

Deus, cujus ineffábili misericórdiâ beátus Eustásius Abbas in Géntibus evangelizávit investigábiles divítias Christi; da nos ejus intercessióne créscere in sciéntiâ tuâ, et in omni ópere bono fructificántes, secúndùm Evangélii veritátem coràm te ambuláre. Per eúmdem Dóminum.

Vesp. de seq.

Commem. S. Eustasii.

Dominicâ post XVI. diem Julii fit Commem. B. M. V. de Monte Carmelo.

Ad Vesp. in Sabbato.

Ant. Nos servi tui..... offérimus in donáriis...... ut deprecéris pro nobis Dóminum. *Num.* 31.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix;

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEus, qui beatíssimæ semper Vírginis et Genitrícis tuæ Mariæ singulári título Carméli Ordinem decorásti; concéde propítius, ut cujus hódiè commemoratiónem solémni celebrámus Officio, ejus muníti præsídiis, ad gáudia sempitérna perveníre mereámur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus. (Per.)

Ad Laudes in Dominicâ.

Dixit Angelus (Maríæ): Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta;

℟. Da mihi virtútem contrà hostes tuos.

Oratio ut suprà.

Ad Vesp. in Dominicâ.

Ant. Spíritus meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum; memória mea in generatiónes sæculórum. *Eccli.* 24.

℣. Glória Líbani data est ei;

℟. Decor Carméli et Saron. *Isa.* 35.

Oratio ut suprà.

DIE XVII.

IN FESTO

S. PROTHADII,

EPISC. BISONT.

Ann. 625 *vel* 626.

Duplex.

Ut in Communi SS. Pontificum, præter ea quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ, cum suis ℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PRothádius, à téneris annis pronâ ad virtútem omnem índole, in divinárum Scripturárum sciéntiâ sic excélluit, ut Ecclésiæ Bisontínæ præfici meruerit. In Episcopátu páuperum præci-

puam curam gessit, et pópulum suum divíni verbi prædicatióne, et máximè bonórum óperum, ac totíus Religiónis exémplis pavit. Obiit quarto Idus Februárii. Ejus corpus ad sancti Petri Ædem delátum est, et ad Aram in sanctuário collocátum, pósteà in capsâ non inelegánti asservátum; demùm in thecam argénteam translátum est. Præséntem hujus sancti Præsulis opem Bisontíni experiúntur, tùm in áliis multis, tùm máximè in ímbribus, vel laxándis, prout opus est, vel continéndis.

℟. Hic est qui fuit in Ecclésiâ cum pátribus nostris, qui * Accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7.

℣. Orávit ut non plúeret, et non pluit; rursùm orávit, et cœlum dedit plúviam. *Jac.* 5. * Accépit.

Sermo
S. Augustíni Episcopi.
De Pastor. in Ezechiel. 46.

Lectio v.

omnes teipsum bonórum óperum præbe exémplum,) et forma esto fidélibus. Atténdit enim ovis, étiam fortis, plerúmque præpósitum suum malè vivéntem : si declinet óculos à régulis Dómini, incipit dícere in corde suo : Si præpósitus meus sic vivit, ego quis sum, qui non fáciam quod ille facit?...... Sic omnis qui malè vivit in conspéctu eórum quibus præpósitus est, quantùm in ipso est, occídit et fortes oves. Qui ergò imitátur præpósitum malum, móritur; qui non imitátur, vivit. Tamen quantùm ad illum pértinet, ambos occídit.... Audístis quid díligant Pastóres mali, lac et lanam. Audite quid négligant: quod infirmum est, non confortástis; confortátur infirmus, cùm ei dícitur : Expécta quidem tentatiónes hujus sæculi; sed ab ómnibus éruet te Dóminus, si ab illo non recésserit retrò cor tuum. Nam ad confortándum cor tuum ve-

venit spinis coronári, venit oppróbria audíre, venit postrémò ligno confígi. Omnia hæc ille pro te.

℟. (Dómine,) * Sacerdótes tui induántur justítiam. *Psal.* 131.

℣. Ut vídeant hómines ópera bona, et glorífícent Patrem qui in cœlis est. *Matth.* 5. * Sacerdótes tui induántur justítiam.

Lectio vj.

NE in futúris tentatiónibus defíciat infírmus, nec falsâ spe decipiéndus est, nec terróre frangéndus. Dic ei: Præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Sed fortè incipit labi, contremíscere, nolle accédere; habes áliud: Fidélis Deus, qui non vos sinat tentári suprà quàm ferre potéstis: ne tímeas, non déserit in tentatiónibus, ille in quem credidísti. Nec hoc à me audis; Apóstolus dicit, qui étiam dicit: An vultis experiméntum ejus accípere, qui in me lóquitur Christus? Hæc ergò cùm audis, ab ipso Christo audis; audis et ab illo Pastóre qui pascit Israël; illi enim dictum est: Potábis eos in lácrymis in mensúrâ. Quod enim ait Apóstolus, (Non sinit tentári suprà quàm ferre potéstis,) hoc ait Prophéta, in mensúrâ. Tantùm tu noli dimíttere corripiéntem et hortántem, terréntem et consolántem, percutiéntem et sanántem. Quod infírmum est non confortástis. Hoc dictum est Pastóribus malis, Pastóribus sua quæréntibus, non quæ Jesu Christi, ex cómmodo lactis et lanæ gaudéntibus, oves omninò non curántibus, et quod malè hábuit non corroborántibus.

℟. Annuntiámus Jesum Christum, corripiéntes, docéntes in omni sapiéntiâ, ut * Exhibeámus omnem hóminem perféctum in Christo Jesu. *Coloss.* 1.

℣. (Ex Presbyteris) pendet ánima pópuli. *Judith.* 8. * Exhibeámus. Glória Patri. * Exhibeámus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam, accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit illis decem mnas, et ait ad illos : Negotiámini dùm vénio. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ. 27. *in Evang.*

PEnsémus quod lucrum Deo fécimus, nos qui, accépto talénto, ab eo ad negótium missi sumus. Etenim dicit : Negotiámini dùm vénio. Ecce jam venit, ecce de nostro negótio lucrum requírit. Quàle ei lucrum animárum de nostrâ negotiatióne monstrábimus? Quot ejus conspéctui animárum manípulos de prædicatiónis nostræ ségete illatúri sumus? Ponámus ante óculos nostros illum tantæ districtiónis diem, quo Judex véniet, et ratiónem cum servis suis, quibus talénta crédidit, ponet. Ecce in majestáte terríbili inter Angelórum atque Archangelórum choros vidébitur. In illo tanto exámine, electórum ómnium et reprobórum multitúdo deducétur, et unusquísque quid sit operátus, ostendétur. Ibi Petrus cum Judæâ convérsâ quam post se traxit, apparébit. Ibi Paulus convérsum, ut ita díxerim, mundum dùcens. Ibi Andréas post se Achaïam; ibi Joánnes Asiam; Thomas Indiam, in conspéctum sui Júdicis convérsam dùcet.

℟. Quámdiù quidem ego sum, * Ministérium meum honorificábo. *Rom.* 11.

℣. Væ mihi est, si non evangelizávero, necéssitas enim mihi incúmbit. 1. *Cor.* 9. * Ministérium.

Lectio viij.

CUm igitur tot Pastóres cum grégibus suis ante ætérni Pastóris óculos vénerint, nos miseri quid dictúri sumus, qui Pastórum nomen habui-

mus, et oves quas ex nutriménto nostro debeámus osténdere, non habémus? Per nos quidem fidéles ad sanctum Baptísma véniunt, et per impositiónem mánuum nostrárum Spíritum sanctum percípiunt; et nos per negligéntiam nostram deórsùm téndimus. Ingrediúntur elécti, Sacerdótum mánibus expiáti, cœléstem pátriam; et Sacerdótes ipsi per vitam réprobam ad inférni supplícia festínant. Cui ergò rei símiles díxerim Sacerdótes malos, nisi aquæ Baptísmatis, quæ peccáta baptizatórum díluens, illos ad regnum cœléste mittit, et ipsa pósteà in clóacas descéndit? Timeámus hæc, fratres; convéniat actióni nostræ ipsum ministérium nostrum. Considerémus sine cessatióne quid sumus; pensémus negótium nostrum, pensémus pondus quod suscépimus.

℟. Non fácilem labórem assúmpsimus, imò verò * Negótium plenum vigiliárum et sudóris. 2. *Machab.* 2.

℣. In præsénti vidétur non esse gáudii, posteà autem fructum pacatíssimum reddet justítiæ. *Heb.* 12. * Negótium.

Lectio ix.

SIc debémus ágere curam nostrî, ut non negligámus curam próximi; ut quisquis ad nos júngitur, ex linguæ nostræ sale condiátur. Cùm vacántem quémpiam, et lúbricum vidémus, admonéndus est, ut conjúgio frænáre stúdeat iniquitátem suam, quátenùs per hoc quod licet, discat superáre quod non licet. Cùm conjugátum vidémus, admonéndus est, ut sic exérceat curam sæculi, ne postpónat amórem Dei.... Cùm Cléricum vidémus, admonéndus est quátenùs sic vivat, ut exémplum vitæ sæculáribus præbeat; ne si quid in eo justè reprehénditur, ex ejus vítio ipsa Religiónis nostræ æstimátio gravétur.... Iste jam sanctus est, admoneátur ut crescat; ille adhuc iníquus, admoneátur ut se córrigat. Hæc, fratres, sollícitè cogitáte; omnipoténti Deo

fructum vos réddere de negótio quod accepístis, paráte. Sed ista quæ dícimus, méliùs apud eum orándo quàm loquéndo obtinébimus : Deus, qui nos Pastóres in pópulo vocári voluísti, præsta, quæsumus, ut hoc quod humáno ore dícimur, in tuis óculis esse valeámus.

℟. Dómine, * Nunc da servis tuis cum omni fidúciâ loqui verbum tuum. *Act.* 4.

℣. Quis sciet, nisi tu míseris Spíritum sanctum tuum? *Sap.* 9. * Nunc da. Glória Patri. * Nunc da.

Ad Laudes, Cant. de Comm.

Oratio.

OMnípotens et misé-ricors Deus, qui singulári misericórdiâ beátum Prothádium nobis salútis ætérnæ Pastórem providísti; præsta, quæsumus, ut virtútes tanti Pastóris imitántes, cœléstis regni gáudia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Ad Vesp. Comm. de sequent.

Die xviii.

In Festo

S. THOMÆ AQUIN.

Doctoris.

Ann. 1274.

✠ *Semiduplex.*

Ut in Comm. SS. Doctorum.

Lectio iij.

THomas Landúlpho Cómite Aquináte, et Theodórâ Cómitis Theatíni filiâ natus, Cassinátibus Mónachis pietáte et lítteris erudiéndus tráditur. Sancti Domínici religiónem ingréssus est, invítis omninò paréntibus, qui eum à suscépto deterrére, et ad sæculum revocáre omni modo conáti sunt. At ille firmus in propósito mansit. Neápoli, Parísiis, et Colóniæ Agrippínæ pietátis singuláris et summæ eruditiónis laudem adéptus est. Scripta ejus multitúdine, varietáte, perspicuitáte ádeò excéllunt, ut Doctor Angélicus meruérit ap-

pellári. Archiepiscopátum Neapolitánum constánter recusávit. Missus à Gregório décimo ad Concílium Lugdunénse, et morbo in itínere corréptus, divértit ad Monastérium Fossanovénse, Ordinis Cisterciénsis, ubi quæcúnque scripsit ac dócuit, sanctæ Románæ Ecclésiæ correctióni permittens, Sacraméntis Ecclésiæ munítus, obdormivit in Dómino, anno ætátis suæ quadragésimo nono. Bráchium éjus dextrum Parísios, réliquum corpus Tolósam translátum est.

℟. Vena vitæ os justi; * Argéntum eléctum lingua ejus. *Prov.* 10.

℣. Implévit eum Dóminus sapiéntiâ, et intelligéntiâ, et sciéntiâ, et omni doctrínâ. *Exod.* 35. * Argéntum. Glória Patri. * Argéntum.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui mirâ eruditióne clarificas, et sanctâ operatióne fœcúndas; da nobis, quæsumus, et quæ dócuit intelléctu conspicere, et quæ egit imitatióne complére. Per Dóminum.

Vesp. de seq. Comm. S. Thom.

DIE XIX.

IN FESTO

S. VINC. A PAULO,

PRESBYTERI.

Ann. 1660.

Duplex 3. *Classis.*

AD I. VESPERAS.

Psalm. Laudáte, *cum cæteris.* pag. iij.

Ant. 4. E. Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ. *Ps.* 67.

Capitulum. 2. *Tim.* 2.

SOllicitè cura teipsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractántem verbum veritátis.

℟. Factum est illi in testaméntum ætérnum * Fungi sacerdótio, et glorificáre pópulum suum † In nómine ejus.

℣. Ipsum elégit (Deus) ab omni vivénte. *Eccli.* 45. * Fungi. Glória Patri. † In nómine ejus.

HYMNUS.

TEmpla solémnem résonent triúmphum :
Hæc dies, longi prétium labóris,
Strénuum Christi púgilem suprémas
Vexit ad arces.

Inter obscúros látitans paréntes,
Crevit ut infans, simul aucta virtus :
Ante matúros pietas adúlta
Vénerat annos.

Blándior quidquid malè suádet ætas,
Frænat austéræ pietátis ardor;
Integrum pectus violáre nunquàm
Ausa volúptas.

Exuit frontem nímiùm sevéram,
Nescit irásci, placidíque vultûs
Blanda majéstas pietátis almum
Afflat amórem.

Posthúmam cura, Pater alme, prolem;
Da sequi certo pede, quò præísti,
Quæque fugísti fúgiat cadúci
Gáudia mundi.

Summa laus Patri, simul æqua Nato,
Et tibi compar, utriúsque vinclum,
Spíritus, custos, et orígo, sancti
Fons et amóris.
Amen.

℣. Beátus quem elegísti et assumpsísti;

℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Magn. *Ant.* 4. j. Zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni. 1. *Mach.* 2.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Feriâ.

HYMNUS.

HAuseras sacros meditándo libros
Magna, Vincénti, documénta Christi;
Hinc inardéscunt calefácta puris
Péctora flammis.

Se tibi subdent dóciles magistro,

Quotquot urgébit pietátis ardor:
Quàm tuis longè potióra dictis
Facta docébunt!
Prædicant Christum tua vox, opúsque,
Prædicat gestus gráviter modéstus,
Vestis hæc simplex, cibus ille parcus,
Cruxque supéllex.
De tuis, si te mala nostra tangunt,
Sédibus, terras húmiles tuére;
Nec tuam, quæ te studet æmulári,
Déspice prolem.
Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui sacerdótes per Amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C. Fuit gratus Deo, erudítus omni sapiéntiâ, et erat potens in verbis, et in opéribus suis. *Act.* 7.

AD MATUTINUM.

Invitator. Dóminum Discípulos designántem, et mitténtem, * Venite, adorémus. *Luc.* 10.

Psal. Venite.

HYMNUS.

NUnc triumpháles iterémus hymnos:
Dúplici prorsùs fuit hic sacérdos,
Qui tot incúltos inarávit agros,
Dignus honóre.
Ille nil labis trahit è malígno
Urbis afflátu, Deus hunc tuétur:
Móribus sanctis, étiam siléndo,
Edocet aulam.
Cárceres pandit, redimítque vinctos,
Cólligit natos, aliéna solvit
Æra, nil debens nisi charitáti,
Quæ magis urget.
Hunc juvat sacros renováre cultus;
Quot situ lapsæ, réparat tot aras;
Fundat et cunctis patefácta morbis
Hóspita tecta.
Ut seges Christi rediviva crescat,
Cóngregat fidos óperum ministros;

Et fovet plantas, nova christiánæ
Sémina messis.
Qui siti longâ cúpidè petitum
Nunc inexháusto bibis ore Numen,
Tu bonus nostros, tua nos propágo,
Excipe cantus.
Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui sacerdótes per Amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

Psalm. et Ant. ut in Psalter. secund. Feriam.

IN I. NOCTURNO.

℣. Cùm esset júnior, nihil puerile gessit in ópere.

℟. In captivitáte pósitus, viam veritátis non deséruit. *Tob.* 1.

Lectiones de Scripturâ cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

℣. Ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ.

℟. Et in lege testaménti Dómini gloriábitur. *Eccli.* 39.

Lectio iv.

Vincéntius à Paulo, natióne Gallus, Pódii non procul ab Aquis Tarbéllis in Aquitániâ natus, jam tùm à púero exímiam in páuperes charitátem præ se tulit. A custódiâ patérni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis, divinas, tùm Tolósæ, tùm Cæsaraugústæ dídicit. Sacerdótio initiátus, ac Theológiæ láureâ insignítus, in Turcas íncidit, qui captívum in Africam adduxérunt; sed in captivitáte pósitus herum ipsum Christo rursùs lucrifécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opitulánte Deiparâ, sese prorípiens, ad Apostólica límina iter instítuit: undè in Gálliam revérsus, Clippíaci primùm, mox Castelliónis parœcias sanctíssimè rexit. Renuntiátus à Rege primárius sacrórum Miníster in Gálliæ triremibus, mirum quo zelo et ducum, et rémigum salúti óperam posúerit. Monia-

libus Visitatiónis à sancto Francísco Salésio præpósitus, tantâ prudéntiâ per annos circiter quadragínta eam curam sustínuit, ut máximè comprobáverit judícium Sanctíssimi Præsulis, qui Sacerdótem Vincéntio digniórem nullum se nosse fatebátur.

℟. Erat vir bonus, plenus Spíritu sancto et fide, et * Hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino. *Act.* 11.

℣. Cœpit fácere et docére. *Act.* 1. * Hortabátur.

Lectio v.

EVangelizándis paupéribus, præsértim rurícolis, ad decrépitam usque ætátem indeféssus incúbuit; eíque Apostólico óperi tùm se, tùm alúmnos Congregatiónis, quam sub nómine Presbyterórum Missiónis instítuit, perpétuo voto à sanctâ Sede confirmáto, speciátim obstrínxit. Quantùm autem augéndæ Cleri disciplínæ allaboráverit, testántur erécta majórum Clericórum Seminária; collatiónum de divínis inter Sacerdótes frequéntia; et sacræ Ordinatióni præmitténda exercítia; ad quæ, sicut et ad pios Laïcórum secéssus, institúti sui domicília libénter patére vóluit. Insuper ad amplificándam fidem et pietátem, Evangélicos misit operários, non in solas Gálliæ Províncias, sed et in Itáliam, Polóniam, Scótiam, Hibérniam, atque ad Bárbaros et Indos. Ipse verò (vitâ functo Ludovíco décimo tértio, cui morriénti hortátor ádstitit) à Regínâ Annâ Austríacâ matre Ludovíci décimi quarti in sánctius consílium áccitus, studiosíssimè egit, ut non nisi digniores Ecclésiis ac Monastériis præficeréntur; civíles discórdiæ, singulária certámina, serpéntes erróres quos simul sensit et exhórruit, amputaréntur; debitáque judíciis Apostólicis obediéntia præstarétur ab ómnibus.

℟. Elégit eum Dóminus ex omni carne, et * Dedit illi docére testaméntum suum. *Eccli.* 45.

℣. Erat Deus cum eo, et dedit ei grátiam et sapiéntiam in conspéctu Regis. *Act.* 7. * Dedit.

Lectio vj.

NUllum fuit calamitátis genus, cui patérnè non occúrrerit. Fidéles sub Turcárum jugo geméntes, infántes expósitos, júvenes dyscólos, vírgines periclitántes, moniáles dispérsas, mulíeres lapsas, ad Triremes damnátos, peregrínos, infírmos, artífices inválidos, ipsósque mente captos, ac innúmeros mendícos, subsídiis et hospítiis, etiámnum superstítibus, excépit, ac piè fovit. Lotharíngiam, Campániam, Picárdiam, aliásque regiónes, peste, fame, bellóque vastátas, prolixè refécit. Plúrima ad perquiréndos et sublevándos míseros sodalítia fundávit; inter quæ célebris Matronárum cœtus, et latè [illegible] catiónem erigéndas curávit. Hæc inter, et ália gravíssima negótia Deo júgiter inténtus, cunctis affábilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis, ab honóribus, divítiis, ac delíciis, semper abhórruit, auditus dícere: Rem nullam sibi placére, prætérquàm in Christo Jesu, quem in ómnibus studébat imitári. Córporis demùm afflictatióne, labóribus senióque attrítus, die vigésimâ séptimâ Septémbris, anno salútis suprà millésimum sexcentésimo sexagésimo, ætátis suæ octogésimo quinto, Parísiis in Domo sancti Lazári, quæ caput est Congregatiónis Missiónis, plácidè obdormivit: quem virtútibus, méritis ac miráculis clarum, Clemens duodécimus inter Sanctos rétulit, ipsíus celebritáti die décimâ nonâ mensis Júlii (quotánnis) assignátâ.

prosperátus est. 2. *Paral.* 31. * Adéptus est. Glória Patri. * Adéptus est.

IN III. NOCTURNO.

℣. Non recédet memória ejus;

℟. Et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

DEsignávit Dóminus et álios septuaginta duos, et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quò erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília
Sancti Cároli Epíscopi.

Ex Instruction. ad prædicat. Verbi Dei.

ILlud máximè sibi persuadébit, qui conciónándi munus súscipit, se nisi rectè, et Evangélii quod prædicat légibus congruénter víxerit, non magnam in audiéntium ánimis vim imprímere. Quemádmodùm enim in arcâ testaménti duo illi Chérubim ita collocáti erant, ut semper mútuò se aspicerent, ita vita concionántis doctrínæ ex álterâ parte respondére debet, usque ádeò ut et vitam doctrína collústret, et doctrínam rursùs vita corróboret, virésque ei perpétuò addat. Nam de abstinéntiâ, jejúnio, lácrymis, oratióne, eleemósynâ, patiéntiâ, aliâque christiánâ virtúte cùm concionátur, magnum certè pondus, maximúmque moméntum apud auditóres habet, si in omni ejus vitâ virtus élucet, cujus præcépta concionándo tradit.

℟. Pro Christo legatióne fúngimur: * In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros. 2. *Cor.* 5.

℣. In multâ patiéntiâ, in labóribus, in jejúniis, in castitáte, in Spíritu sancto, in charitáte non fictâ, in verbo veritátis. *Ibid. v.* 5, 6, 7. * In.

Lectio viij.

IGitur sacris doctrínis, vitæ innocéntiâ, morum sanctitáte, et cœléstium rerum contemplatiónibus Concionátor idó-

neum se præbébit, ut ad prædicándum missus, pópulo valdè prosit, tribus his, quæ sanctus Bernárdus comménmorat, verbo, exémplo, et oratióne. Fúgiet autem, tanquam pestem, omnem ambitiónem, omnémque illíus suspiciónem. Ne loca insignióra, ubi prædicatiónis suæ semen spargat, ámbiat affectétve; memor Christi Dómini, quem à Patre è cœlo missum ad erudiéndum genus humánum, pagos et vicos obiísse légimus... Erit in omni collóquio gravis, mansuétus ac salutáris; in hábitu vestitúque modéstus; in victu temperátus et parcus; ac cibórum varietátem fúgiens, frugalitátis abstinentiæque studiosíssimus....... Illa sola proférre studébit, non quæ qualis aut quantus sit declárent, sed quæ audiéntibus salutáriter profutúra sint.

℟. Non sumus adulterántes verbum Dei, sed ex sinceritáte, sicut * Ex Deo, coràm Deo, in Christo lóquimur. 2. *Cor.* 2.

℣. Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum. 2. *Cor.* 4. * Ex Deo.

Lectio ix.

HÆc verò ut assequátur, id valdè curábit, ut síngulis diébus áliquid témporis in divinárum rerum contemplatióne pio tácitæ meditatiónis stúdio ponat: ita enim fiet ut divíni amóris ardóre inflammátus, qui orándo meditandóque, máximè exardéscit, auditóres suos ad charitátis, quæ seminárium est ómnium virtútum, stúdium incéndat ardéntius... Sed ut sanctas commotiónes in áliis éxcitet, tales primùm ánimo suo ipse concípiet, atque in sese exsuscitábit: ita ut, quales in aliórum mentes transfúndi cupit, ipse illas ánimi sui sénsibus rectè concéptas, quasi spectándas cæteris propónat; id ássequi curábit ardénti precatióne.... Instruat atque exórnet, non verbórum vel lectissimórum ináni sónitu, et sermóne

nimis

nimis elaboráto, et penè calamistráto ac fucáto, quo nihil potest esse infructuósius; sed gravi, plenóque sanctæ doctrínæ, ac reférto disciplinâ quæ verè Christiána, præstánsque sit ad salútem... Concionatúro erunt cogitánda, non solùm auditórum status, sed étiam locus, tempus, res de quâ dictúrus est, et persónæ suæ auctóritas et vitæ genus, ut aptè, decórè, conveniénter et cum dignitáte concionétur.

℟. Sermo meus et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed * In ostensióne Spíritûs et virtútis. 1. *Cor*. 2.

℣. Concáluit cor meum intrà me, et in meditatióne meâ exardéscet ignis. *Ps*. 38. * In ostensióne. Glória Patri. * In ostensióne.

℣. *Sacerd*. Vidéte vocatiónem vestram, fratres. 1. *Cor*. 1.

℟. Orationi et ministério verbi instántes érimus. *Act*. 6.

AD LAUDES.

Psalmi et Ant. de Psaltério, secund. Feriam. Cant. de Comm. Presbyt.

Capitulum. 2. Tim. 4.

ERit tempus, cùm sanam doctrínam non sustinébunt..... Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple; sóbrius esto.

HYMNUS.

TE pium dicam, scelerísque purum;
Te canam fortem grege pro tuéndo,
Cuílibet promptum mísero benignam
Téndere dextram.

Dùm fames magnas populátur urbes,
Tristis et vexat pópulos egéstas,
Chárita fundo melióre dives
Pascit egénos.

O novas tantæ pietátis artes!
Ut trahat Christo, subigâtque corda,
Spontè demissâ gravitáte, sese
Omnibus aptat.

Indè quot fusi pédibus
nocéntes,
Et graves fletu véniam
petébant!
Détegunt ulcus putre,
quod medúllis
Séderat altis.
Débitus cunctis ráperis
Patrónus;
Te suum cives répetunt,
suúmque
Víndicat Clerus; sibi Rex,
sibique
Claústra repóscunt.
Summa laus Patri, simul æqua Nato,
Et tibi compar, utriúsque
vinclum,
Spíritus, custos, et orígo,
sancti
Fons et amóris. Amen.

℣. In corde prudéntis requiéscit sapiéntia,

℟. Et indóctos quosque erúdiet. *Prov.* 14.

Ad Bened. *Ant.*

Qui benè præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeántur, máximè qui labórant in verbo et doctrinâ. 1. *Tim.* 5.

Oratio.

DEus, qui ad evangelizándum paupéribus, et Ecclesiástici Ordinis decórem promovéndum, beátum Vincéntium apostólicâ virtúte roborásti; præsta, quæsumus, ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis; Per Dóminum.

AD HORAS.

Hymnus.

FAma longínquas cita
transit urbes,
Itur, accúrrunt; via fervet omnis;
Séntiunt omnes simul efficácis
Múnera dextræ.
Tanta si gessit, recinénte famâ,
Quanta celávit, sibi testis
uni!
Quis tot occúltas réseret
sub alto
Péctore dotes?
Ne quid amíttat mériti
dolósâ
Laude decéptus, benefácta celat:
Tuta se condit plácido
sub ore
Ardua virtus.
Sit memor charæ tibi
cura prolis,
Ut gubernásti, Pater, hanc
gubérnes;

Súpplices natos précibus tuére :
Réspice Gentem.
Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui sacerdótes per Amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

Psalm. secundùm Feriam.

℣. *Parvum.* Invéntus est perféctus, justus, et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. *Eccli.* 44.

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Ant. secundùm Feriam.

Allelúia, allel. ℣. Dedit illi in præcéptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege suâ lucem dare Israël. *Eccli.* 45. Allelúia.

PROSA.

ECquis Vincéntio
Sacérdos dignior?
Felíci génio
Nemo prudéntior
Viis in ómnibus.
Totum pecúlium
Spontè dat júnior;
Quodnam auxílium
Præstábit sénior,
Natus paupéribus?
Flagrat contágium,
Fames, mors cónficit;
Ruris et úrbium
Spes tota déficit!
Volant remédia.
Piis secéssibus
Se, suos præbuit;
Cunctis ordínibus
Patére vóluit
Salútis óstia.
Mirum quo stúdio
Sacris Virgínibus,
Quove præsídio
Regni trirémibus
Constánter prófuit!
Vult Evangélium
Portári Géntibus:
Zelo sodálium,
Docéndis rúdibus
Totus incúbuit.
Relícti púeri
Te patrem clámitant;
Senes innúmeri
Per te recógitant
Elápsa témpora.
Decórem pérditum
Clero restítuis;
Quo vivis, spíritum
Da zeli sóciis
Quo spirent péctora.
Errórem ábjicis,
Amas Ecclésiam;

Ejus Pontíficis
Vocem, fac, áudiam:
Sic jubet véritas.
O qui pro ómnibus
Fecísti grándia!
Fac, vivam frátribus,
Cunctis sim ómnia:
Sic amat cháritas.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 4. f.
Ipse est diréctus divinitùs in pœniténtiam Gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49.
Commem. de sequenti.

AD COMPLETORIUM.

Omnia, ut in die præcedenti.

DIE XX.

II. COMMEM.

SANCTI STEPHANI,

PROTOMARTYRIS.

vij. sæc.

Simplex.

Lectio iij.

BIsontínam Sedem tenénte beáto Prothádio, fures ingréssi in Basílicam sancti Stéphani, os ejus bráchii in thecâ ad instar humánæ manûs arte fáctâ, et auro gemmísque ornátâ inclúsum asportárunt, totóque ejus ornátu potíti, os ipsum ausu sacrilego in flumen projecérunt. Piscatóres qui tùm fortè non longè áberant à loco in quem projéctum fúerat os sacrosánctum, vidéntes collucéntem nocte flammam dicto loco superincubántem, et própiùs accedéntes, illud sicco in fundo aquis circumquáquè in sólidos parietes eréctis, pósitum deprehéndunt; quod ubi renuntiárunt piscatóres, magno ómnium concúrsu, et solémni supplicatióne, itum est ad locum miráculi, undè reportátum os sacrum majóri quàm ánteà veneratióni hábitum est.

℟. Scitóte quóniam * Mirificávit Dóminus Sanctum suum. *Ps.* 4.
℣. Mórtuum prophetávit corpus ejus. *Eccli.* 48.
* Mirificávit. Glória Patri.
* Mirificávit.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnipotens Deus, ventúram beáti Protomártyris Stéphani solemnitátem cóngruo prævenire honóre, et præséntem dignâ celebráre devotióne. Per Dóminum.

DIE XXI.

De Feriâ.

DIE XII.

IN FESTO

S. MARIÆ MAGDAL.

j. sæc.

Duplex tertiæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. I. g. De Maríâ Magdaléne Jesus ejécerat septem dæmónia. *Marc.* 16.

Capitulum. I. *Joan.* 3.

IN hoc appáruit Fílius Dei, ut dissólvat ópera diáboli.

℟. Quod est hoc verbum, quia * In potestáte et virtúte ímperat Jesus immúndis spirítibus, et éxeunt? *Luc.* 4.

℣. Quis loquétur poténtias Dómini? *Ps.* 105. * In potestáte Glória Patri. * In potestáte.

HYMNUS.

PRocul malígni cédite
spíritus,
Nunc imperánti cédite
Númini,
Fessámque duris Magdalénam
Párcite nunc agitáre pœnis.

Christi jubéntis númine térriti
Fugére septem: mox sibi réddita,
Te, Christe, consectátur unum,
Et mémori tibi mente servit.

Quin et cruéntâ de trabe péndulo
Christo litábat mille dolóribus:
Quàm vellet insóntis Magístri
Sola graves toleráre pœnas!

* Miscére fletus sánguinis æmulos
Non cessat, astans víctima víctimæ;

Christus siléndo, nil repéndit:
Quàm méliùs probat hinc amántem!
Laus summa Patri, súmmaque Filio,
Sit summa puro laus quoque Flámini,
Afflánte quo semper caléscunt
Æthéreis pia corda flammis. Amen.

℣. Ipse (Dóminus) est vita tua,
℟. Longitúdo diérum. *Deut.* 30.

Ad Magn. *Ant.* 7. c.

Dóminus Deus Israël ipse est posséssio ejus. *Josue.* 13.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Feriâ.

HYMNUS.

*MIscére fletus, etc. *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 1. a.

Stabant juxtà crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. *Joan.* 19.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum manifestántem seipsum diligéntibus se, * Venite, adorémus. *Joan.* 14.

Psal. Venite.

HYMNUS.

PLagis Magistri sáucia,
Dùm mœsta largos fúnderet
María fletus, ácrior
Revixit in pœnis amor.
Non turba, non vetat crucis
Mortísque diræ scándalum,
Inter furéntes quærere
Ligno perémptum milites.
Quis tantus ignáram labor
Exéroet? Extínctam doles
In morte vitam: quid gemis,
Mors ipsa cùm victrix cadit?
* En ipse quem luges amans,
Christus, resúmpto córpore,
Præsens amántem te redux,
Notis salútat vócibus.

O si beátos tángere,
O si tenére fas pedes!
Sed hic perénnis non datur
Gustáre vitæ gáudia.
Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Psal. et Ant. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

℣. Mulíeres, inter quas erat María Magdaléne, sequebántur Jesum. *Marc.* 15.

℟. Ministrábant ei de facultátibus suis. *Luc.* 8.

Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
Sancti Gregórii Papæ.
Hom. 25. in Evang.

Lectio iv.

PEnsándum est hujus mulíeris mentem quanta vis amóris accénderat, quæ à monuménto Dómini, étiam Discípulis recedéntibus, non recedébat. Exquirébat quem non invénerat, flebat inquiréndo, et amóris sui igne succénsa, ejus quem sublátum crédidit, ardébat desidério. Undè cóntigit, ut eum sola tunc vidéret, quæ remánserat ut quæreret: quia nimirùm virtus boni óperis perseverántia est; et voce veritátis dicitur: Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

℟. Fortis est ut mors diléctio; * Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

℣. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem. *Cantic.* 8. * Lám-

et mínimè invénit; perseverávit ut quæreret, undè et cóntigit ut inveníret, actúmque est ut desidéria diláta crésceerent, et crescéntia cáperent quod invenissent. Sancta enim desidéria dilatióne crescunt; si autem dilatióne defíciunt, desidéria non fuérunt. Hoc amóre arsit quisquis ad veritátem pertíngere pótuit. Hinc Ecclésia in Cánticis Canticórum dicit : Vulneráta charitáte ego sum. Hinc rursùs ait: Anima mea liquefácta est, ut diléctus locútus est.

℟. Anima mea desiderávit te, Dómine, et * Spíritu meo de mane vigilábo ad te. *Isa.* 26.

℣. Quia amóre lángueo. *Cant.* 5. * Spíritu.

Lectio vj.

SEd qui diléctum suum non invénit, restat ut surgat et civitátem circúmeat, id est, sanctam electórum Ecclésiam mente et inquisitióne percúrrat: per vicos eum et per pláteas quærat, id est, per angústa et lata gradiéntes aspíciat, ut si qua in eis váleat invenire ejus vestígia, exquírat; quia sunt nonnúlli étiam vitæ sæculáris, qui imitándum áliquid hábeant de actióne virtútis. Quæréntes autem nos vígiles invéniunt qui custódiunt civitátem; quia sancti Patres, qui Ecclésiæ statum custódiunt, bonis nostris stúdiis occúrrunt, ut suo, vel verbo, vel scripto nos dóceant. Quos cùm páululùm pertransímus, invénimus quem dilígimus, quia Redémptor noster, etsi humilitáte homo inter hómines, divinitáte tamen super hómines fuit.

℟. Sperent in te qui novérunt nomen tuum, Dómine, quóniam * Non dereliquísti quæréntes te. *Psal.* 9.

℣. Occurrísti faciénti justítiam. *Isa.* 64. * Non dereliquísti. Glória Patri. * Non dereliquísti.

IN III. NOCTURNO.

℣. Donec propínquet Dóminus, non consolábitur:

℟. Non discédet, donec Altíssimus aspíciat. *Eccli.* 35.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore, María stabat ad monuméntum forìs plorans. Dùm ergò fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum, et vidit duos Angelos in albis, sedéntes unum ad caput, et unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Múlier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulérunt Dóminum meum, et néscio ubi posuérunt eum. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi.

In Joan. Evang. tract. 121. §. 1.

SUblátum esse Dóminum de monuménto, Discípulis ejus nuntiáverat María Magdaléne: quò illi veniéntes, invenérunt sola linteámina quibus corpus fúerat involútum. Abiérunt ergò ad semetípsos Discípuli, id est, ubi habitábant, et undè ad monuméntum cucúrrerant. María autem stabat ad monuméntum forìs plorans. Viris enim redeúntibus, infirmiórem sexum in eódem loco fórtior figébat afféctus. Et óculi qui Dóminum quæsíerant et non invénerant, lácrymis jam vacábant, ámpliùs doléntes quòd fúerat de monuménto ablátus, quàm quòd fúerat in ligno occísus; quóniam Magístri tanti, cujus eis vita subtrácta fúerat, nec memória remanébat. Tenébat itaque ad monuméntum jam dolor iste mulíerem.

℟. Ecce * Quómodò amábat eum! *Joan.* 11.

℣. Præ sollicitúdine quiéscere non pótuit. *Jerem.* 49. * Quómodò.

Lectio viij.

DIcit ei Jesus: Noli me tángere; aut sic dictum est: Noli me tángere, nondùm enim ascéndi ad Patrem meum; ut in illâ féminâ figurarétur Ecclésia de Géntibus, quæ in Christum non crédidit, nisi cùm ascendísset ad Patrem; aut sic in se credi vóluit Jesus, hoc est, sic se spirituáliter tangi, quòd ipse et Pater

unum sint. Ejus quippè intimis sénsibus quodámmodò ascéndit ad Patrem, qui sic in eo profécerit, ut Patri agnóscat æquálem; áliter non rectè tángitur, id est, áliter non rectè in eum créditur.

℟. Omnis lingua confiteátur, quia * Dóminus Jesus Christus in glóriâ est Dei Patris.

℣. Non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo. *Philippens.* 2.* Dóminus Jesus.

Lectio ix.

POterat autem sic crédere María, ut eum putáret ímparem Patri; quod útique prohibétur, cùm ei dícitur: Noli me tángere; id est, noli in me sic crédere, quemádmodùm adhuc sapis. Quómodò enim non carnáliter adhuc in eum credébat, quem sicut hóminem flebat? Nondùm enim ascéndi, inquit, ad Patrem meum; ibi me tanges, quandò me credíderis Patri non ímparem Deum.

℟. Dómine, * Ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi. *Joan.* 11.

℣. Splendor glóriæ et figúra substántiæ Dei, portans ómnia verbo virtútis. *Heb.* 1. * Ego crédidi. Glória Patri. * Ego crédidi.

℣. *sac.* Quærite Deum, et vivet ánima vestra. *Ps.* 68.

℟. In toto corde, Dómine, quærimus fáciem tuam. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Omnia ut in Psalterio, excepto Cantico Qui timétis. *fol.* cij.

Capitulum. Sap. 1.

IN simplicitáte cordis quærite Dóminum, quóniam invenítur ab his qui non tentant illum; appáret autem eis qui fidem habent in illum.

HYMNUS.

MAría sacro sáucia vúlnere,
Non jam doléndum quid Dóminum doles?
Semper renáscens hic amóris
Undè tibi violéntus ardor?
Quem quæris ipso fúneris in sinu,

Victo triúmphat fúnere
clárior;
Vivit : retécto jam sepúl-
cro,
Ecce jacent revolúta saxa.
Myrrham quid affers,
vánaque bálsama?
Hæc luce functis débita
múnera :
Mox ille donándos olym-
po
Non eget his redivívus
artus.
Ingens amántem te do-
lor índicat,
Amans vicíssim se Deus
óbtulit;
Agnósce vocem tu Ma-
gístri
Nómine te próprio vo-
cántis.
Tu prima testis, prí-
maque núntia,
Velox in urbem prótinùs
ádvola,
Christíque nutántes Mi-
nístros
Plena Deo propióre fir-
ma.
Laus summa Patri,
súmmaque Fílio;
Sit summa puro laus quo-
que Flámini,
Afflánte quo semper ca-
léscunt

℣. Sapiéntia fácilè vidétur ab his qui díligunt eam,

℟. Invenítur ab his qui quærunt illam. *Sap.* 6.

Ad Bened. *Ant.*

Appáruit Jesus primò Maríæ Magdalénæ : illa vadens, nuntiávit his qui cum eo fúerant, lugéntibus et fléntibus. *Marc.* 16.

Oratio.

DEus, cujus Unigénitus Fílius post Resurrectiónem suam, primo Maríæ Magdalénæ appáruit; præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne eúmdem in déxterâ tuâ sedéntem vidére mereámur Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum, etc.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

PLagis Magístri sáucia, etc. *usque ad finem*, *ut sup. fol.* 582.

℟. *parv.* Neque mors, neque vita, neque crea-

AD ALIAS HORAS.

HYMNUS.

* EN ipse quem luges, etc. *ut suprà usque ad finem. fol.* 582.

℟. *ut suprà.*

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Antiph. ut in Psalterio.

Allelúia, Allelúia. ℣. Dóminus Deus tuus gaudébit super te, exultábit super te in laude. Allelúia. *Soph.* 3.

PROSA.

MAgdalénen jam non
angit
Infernális turba, fugit
Christi benefício.
Tu donórum Christi
memor,
Quò te gratus rapit amor?
Quid præstat diléctio?
Unum Jesum consectáris,
Quòvis unum comitáris,
Tibi Christus ómnia.
Sedes mœrens juxtà crucem,
Moriéntis doles necem,
Facta Matris sócia.
Christo litas moriénti,
E látere profluénti
Misces fletus sánguini.
Fortis amor nec lentéscit,
Imò fervet et excréscit
Dirâ morte Dómini.
Ad sepúlcrum velox
pergis;
Summo mane tristis quæris
Túmulo recónditum.
Apértum est monuméntum;
Saxum vides revolútum:
Noli flere pérditum.
Sese tibi nunc dolénti,
Christus offert diligénti,
Teque vocat nómine.
Tu glóriæ prima testis,
Discípulis dic incértis
Jesum frui lúmine.
Tu pro nobis inquinátis
Posce donum sanctitátis,
Ante thronum majestátis
Quæ frúeris glóriâ.
Da, terréna contemnámus,
Jesu, tibi serviámus,
Te júgiter diligámus
In cœlésti pátriâ. Amen.

Ad Magn. Ant. 3. c.

Corónat te Dóminus in misericórdiâ et miseratiónibus. *Psal.* 102.

Commem. de sequenti

AD COMPLETORIUM.

Psalm. de Fer. Hymnus ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 4. f. Multùm miséricors Dóminus, miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus. *Psal.* 144.

DIE XXIII.

IN FESTO

SANCTI URSICINI,

vij. sæculo.

Semiduplex.

Lectio iij.

SAnctus Ursicínus Mónachus Luxoviénsis, qui vivébat séptimo sæculo, propagándæ fidei causâ, in Helvétiam se cóntulit. Multis ibi et in locis vicínis ad Christum addúctis, secéssit in vallem nulli habitátam, silvis úndique refértam, quam álluit Dubis ad fines Comitátûs Burgúndiæ sitam. Primùm sibi céllulam, pósteà Deo parvam constrúxit Ecclésiam. Succéssu témporis vallem illam tot habitárunt hómines, ut locus ille, qui statim vicus fúerat, factus sit Urbs à sancto Ursicíno nuncupáta. In eâ constrúcta est Ecclésia, constitutúmque Canonicórum collégium sub nómine et patrocínio sancti Ursicíni. Hujus Urbis domínium tránsiit ad Epíscopos Basileénses, donánte Rodólpho tértio Burgúndiæ Rege.

℟. Qui hábitant in desérto, secúri dórmient in sáltibus, * Habitábunt confidénter absque ullo terróre. *Ezech.* 34.

℣. Fugiéntes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem. 2. *Pet.* 1. * Habitábunt. Glória Patri. * Habitábunt.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis; da nobis exémplo et intercessióne beáti Ursicíni, cujus hódiè solémnia celebrámus, temporália ómnia despícere, et ad ætérna totâ mentis intentióne festináre. Per Dóminum.

Die xxiv.
De Feriâ.

Die xxv.
In Festo
SANCTI JACOBI,
Apostoli.
C. Ann. 44.
Duplex tertiæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Cætera de Comm. præter ea quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

Psalm. et *Ant. ut in Psalt.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ, cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JAcóbus Zebedæi fílius, Joánnis Apóstoli frater, Galilæus, inter primos Apóstolos vocátus cum fratre, relictis patre ac rétibus, secútus est Dóminum, et ambo ab ipso Jesu Boanérges, id est, tonítrui filii, sunt appelláti. Is unus fuit ex tribus Apóstolis, quos Salvátor máximè diléxit, et testes esse vóluit suæ transfiguratiónis, et interésse miráculo, cùm Archisynagógi filiam à mórtuis excitávit, et adésse cùm secéssit in montem Olivéti, Patrem oratúrus, ántequàm à Judæis comprehenderétur. Ambitiósæ illíus petitiónis occasióne quâ Jacóbus et Joánnes à Dómino postulárunt ut alter ad déxteram ejus, alter ad sinístram in glóriâ sedéret, suam Christus, eorúmque passiónem prædixit his verbis : Cálicem, quem ego bibo, bibétis; et baptísmo, quo ego baptízor, baptizabímini.

℟. Ecce quómodò computáti sunt * Inter filios Dei! *Sap.* 5.

℣. Arcta via est quæ ducit ad vitam. *Matth.* 7.
* Inter filios.

Lectio v.

POst ascensiónem Dómini, Cláudio imperánte, Heródes Agrippa

ad regnum elátus, Jacóbum, qui Christum liberè Deum confitebátur, cápitis condemnávit. Qui sic primus Apostolórum, profúso sánguine, testimónium Jesu Christo dedit. Corpus ejus Compostéllam translátum, magnâ veneratióne cólitur; conveniéntibus eò, religiónis et voti causâ, ex toto terrárum orbe peregrínis.

℟. Omnis * Qui te colit, Dómine, vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3.

℣. In Dómino sperans non infirmábor: proba me, Dómine. *Ps.* 25. * Qui te.

Ex libris Hypotypóseon sancti Cleméntis Presbyteri Alexandríni.

Euseb. Hist. Ec. l. 2. c. 9.

Lectio vj.

IS qui Jacóbum judício obtúlerat, cùm illum vidísset Christi fidem líberè confiténtem, commótus viri constántiâ, se quoque Christiánum esse affirmávit. Ambo ígitur simul ad supplícium ducti sunt. Cùmque inter eúndaret, paulísper morátus Jacóbus: Pax tibi, inquit; statímque illum osculátus est. Ita simul ambo cápite truncáti, interiére.

℟. Pater, dimítte nobis débita nostra, sicut et nos * Dimíttimus debitóribus nostris. *Matth.* 6.

℣. Exémplo dídici. *Prov.* 24. * Dimíttimus. Glória Patri. * Dimíttimus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore, Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo; qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sédeant hi duo filii mei, unus ad déxteram tuam, et unus ad sinístram in regno tuo. Et réliqua.

Homília S. Joánnis Chrysóstomi.

66. *in Matth.*

URgébant filii Zebedæi

nistris sédeat. Quid ígitur Christus? Nescítis, ait, quid petátis. Nescítis quàm magnum, quàm mirábile, ac ipsas superióres excédens virtútes. Et adjécit: Potéstis bíbere cálicem quem ego bibitúrus sum, et baptísmo, quo ego baptízor, baptizári? Perpéndis quómodò statim ab hâc cupiditáte ipsos remóvit, contrária eis disserens. Nam vos, inquit, de honóribus et corónis cogitátis; ego verò de luctámine atque sudóre díssero. Non præmiórum hoc tempus est, nec illa glória mea modò apparébit, sed bella, perícula, et necem præsens cóntinet vita.

℟. Exeámus ígitur ad Christum, * Impropérium ejus portántes. *Heb.* 13.

℣. Omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. 2. *Timot.* 3. * Impropérium.

Lectio viij.

HOc loco Christus crucem et mortem suam ... voluptáte illam adíbat; Baptísmum autem, quia per illam orbem terrárum expurgábat.... Vos quidem occidémini, et honórem martyrii obtinébitis; sed ut ómnium primi sitis, non est meum dare. Christus ita locútus est, ut indicáret non ipsíus esse solíus dare; sed eórum qui decértant, accípere: nam si solíus esset ipsíus, omnes hómines salvi fíerent, et ad agnitiónem veritátis veníren t..... Non est meum dare, sed quibus parátum est. Num ígitur quasi non poténtem id fácere condemnábimus? Nequáquam, sed ejus justítiam admirábimur; et quóniam non persónam, sed rem réspicit, laudábimus. Quemádmodùm ígitur editórem múnerum, et certáminis príncipem non dicémus corónam dare non posse, sed nolle luctatiónis tránsgredi leges, et justítiæ órdinem conturbáre: sic Christus illos compellébat in grátiâ Dei primùm,

℟. Ergò * Dùm tempus habémus, operémur bonum. *Gal.* 6.

℣. Sufficiéntia nostra ex Deo est. 2. *Cor.* 3. * Dùm tempus.

Lectio ix.

INdignáti sunt decem de duóbus frátribus: pérspicis quómodò imperfectióres adhuc omnes erant, et duo advérsùs decem primum erípere consésssum nitebántur, et decem duóbus invidéntes indignabántur. Verùm post advéntum Spíritûs sancti eos considera, et vidébis ómnibus his passiónibus superióres. Audies ígitur quómodò ipse ille Joánnes, qui modò hæc à Christo petébat, primis honóribus Petro cedat tùm concionánti, tùm mirabília faciénti. Jacóbus verò non longo témpore póstea vixit: nam statim ab inítio rerum tanto ardóre concáluit, ut, humánis omninò rebus negléctis, ad tantam sublimitátem ascénderet, ut à persecutóribus statim occísus sit.

℟. Quis ignórat quòd ómnia hæc manus Dómini fécerit, * In cujus manu ánima omnis viventis.

℣. Apud ipsum est sapiéntia et fortitúdo, qui immútat cor. *Job.* 12. * In cujus. Glória Patri. * In cujus.

Ad Laud. Cant. ut in Communi.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui Apostolórum tuórum primítias beáti Jacóbi sánguine consecrásti; da Ecclésiæ tuæ, quæsumus, et amáre quod crédidit, et prædicáre quod dócuit. Per Dóminum.

AD II. VESPERAS.

Comm. SS. Joachim et Annæ.

Ant. Dabis, Dómine, veritátem Jacob, misericórdiam Abraham, quæ jurásti pátribus nostris à diébus antiquis. *Mich.* 7.

℣. Ii sunt filii Abrahæ.

℟. Benedicéntur cum fidéli Abraham. *Gal.* 3.

Oratio ut infrà post Laudes.

Si alicubi fiat Officium alterutrius ex his

Sanctis sub ritu duplicis primæ vel secundæ Classis, habebit primas Vesperas, et tunc sumentur omnia de Communi in toto Officio; scilicet, de Communi Justorum pro S. Joachim, et de Communi SS. Mulierum pro S. Annâ, servatis iis quæ dicta sunt in extracto Rubricarum, fol. j. *item per Octavam, si habent. Et ad primas has Vesperas fiet Commemoratio S. Jacobi Apostoli. Deindè fiet Comm. S. Joachim, si Officium fiat de S. Annâ, vel vicissim; quæ Commem. fiet etiam ad Laud. et II. Vesp. per Antiph.* ℣℣. *et Orat. de Communi.*

DIE XXVI.

IN FESTO

SS. JOACH. ET ANNÆ.

Duplex tertiæ classis.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum factum

HYMNUS.

Regále Davídis genus,
Et cónjugum par nóbile,
Mundo datúri Vírginem,
Matrem futúram Núminis;
Qui sacra nectit víncula,
Vos jungit ínnocens amor,
Piósque sensus ápprobans
Divínus aspírat favor.
Virtúte solâ dívites,
Non vos opum fallax decus,
Sed corde fervens cháritas,
Et casta comméndat fides.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Psalm. et Ant. de Psalt.

IN I. NOCTURNO.

℣. Erant ambo incedéntes in ómnibus mandátis,
℟. Et justificatiónibus

IN II. NOCTURNO.

℣. Ex toto corde suo orábant Dóminum,

℟. Ut visitáret pópulum suum Israël. *Judith.* 4.

Sermo S. Joánnis Damascéni.

Orat. 1. *de Nat. Virg. Mariæ.*

Lectio iv.

QUóniam futúrum erat ut Dei Génitrix Virgo ex Annâ nascerétur, natúra grátiæ germen antevértere non ausa est; sed mansit fructûs expers, donec grátia fructum éderet. Nasci síquidem primogénitam oportébat, ex quâ nascitúrus esset omnis creatúræ primogénitus, in quo ómnia constant. O par beátum, Jóachim et Anna! vobis omnis creatúra obstricta est. Per vos enim donum ómnium donórum præstantíssimum Creatóri óbtulit, nempè castam Matrem quæ sola Creatóre digna erat.

℟. Laudémus gloriósos paréntes * In generatióne suâ. *Eccli.* 44.

℣. Semen benedictórum Dómini est. *Isa.* 65. * In generatióne.

Lectio v.

EXúlta, Jóachim, quóniam ex filiâ tuâ puer natus est nobis, et filius datus est nobis; et vocábitur nomen ejus magni consílii, hoc est, salútis univérsi mundi, Angelus, Deus, fortis. Nestórius erubéscat, et ori manum impónat. Puer iste Deus est: quî ergò puérperam Dei Genitrícem negas? Si quis sanctam Vírginem Dei Genitrícem non confitétur, aliénus est à Deitáte. Non meum hoc dictum est; etsi meus est sermo. Hanc enim diviníssimam hæreditátem à Theólogo Patre Gregório accépi: O beátum par, Jóachim et Anna, immaculatíssimum prorsùs! Ex fructu ventris vestri cognoscímini, velut alícubi Dóminus ait: Ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Uti Deo gratum erat, atque eâ dignum quæ ex vobis orta est, vitæ vestræ ratiónes instituístis. Castâ enim et sanctâ conversatióne ves-

trâ virginitátis moníle protulístis.

℟. Benedíctus Dóminus, qui * Non est passus ut defíceret famíliæ tuæ nomen in Israël. *Ruth.* 4.

℣. Ad faciéndiam misericórdiam, et memorári testaménti sui sancti. *Luc.* 1. * Non est.

Lectio vj.

O Castíssimum rationálium túrturum par Jóachim et Anna! Vos castitátem quam natúræ lex præscríbit conservántes, ea quæ natúram súperant, divínitùs estis consecúti: mundo quippè Dei Matrem viri nesciam peperístis. Vos piè et sanctè in humánâ natúrâ vitam agéntes, fíliam Angelis superiórem, nuncque Angelórum Dóminam edidístis. O speciosíssima, dulcissímaque puélla! O lílium inter spinas, ex generosíssimâ et máximè nobilíssimâ, ac máximè radíce Davídicâ progénitum! O rosa quæ ex spinis, Judæis scílicet, Adámi, et Dei Mater! Beátæ ulnæ quæ te gestavérunt, lábia item quibus castis ósculis tuis frui concéssum est.

℟. O quàm * Pulchra est casta generátio cum claritáte. *Sap.* 4.

℣. Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob. *Ps.* 23. * Pulchra. Glória Patri. * Pulchra.

IN III. NOCTURNO.

℣. Exaudítæ sunt preces ambórum,

℟. In conspéctu glóriæ summi Dei. *Tob.* 3.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo témpore, Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joseph, qui fuit Heli. Et réliqua.

Homilía Sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris.

L. 3. *Hæres. adv. c.* 33.

L Ucas genealógiam,

ad Adam, septuagínta duas generatiónes habére osténdit, finem conjúngens initio; et significans quóniam ipse est qui omnes gentes exíndè ab Adam dispérsas, et univérsas linguas, et generatiónes hóminum cum ipso Adam in semetípso recapitulátus est, undè et à Paulo typus futúri dictus est ipse Adam.

℟. Hic est lapis qui factus est in caput ánguli: * Non est in álio áliquo salus. *Act.* 4.

℣. Sic per unius justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. *Rom.* 5. * Non est.

Lectio viij.

PRophéta dicit: Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii. Primogénitus enim mortuórum natus Dóminus in sinum suum recípiens pristinos patres, regenerávit eos in vitam Dei; ipse inítium vivéntium factus, quóniam Adam inítium moriéntium factus est.

℟. In hoc appáruit cháritas Dei in nobis, * Quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus, ut vivámus per eum. 1. *Joan.* 4.

℣. Qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est. 2. *Cor.* 5. * Quóniam.

Lectio ix.

PRopter hoc et Lucas inítium generatiónis à Dómino ínchoans, in Adam rétulit, significans quóniam non illi hunc, sed hic illos in Evangélium vitæ regenerávit. Sic autem et Evæ inobediéntiæ nodus solutiónem accépit per obediéntiam Maríæ; quod enim alligávit virgo Eva per incredulitátem, hoc Virgo María solvit per fidem.

℟. Hæc récolens in corde meo, * Ideò sperábo. *Thren.* 3.

℣. Tibi, Dómine, misericórdia. *Psal.* 61. * Ideò sperábo. Glória Patri. * Ideò.

℣. *sac.* Qui timétis Dóminum, laudáte eum. *Ps.* 21.

℟. Misericórdiæ Dómini, quia non sumus consúmpti. *Thren.* 3.

AD LAUDES.

Psal. et Ant. ut in Psalt. Cant. Exultávit. *fol.* 143.

Capitulum. Eccli. 44.

EXcélsus jurejurándo dedit Abrahæ glóriam in gente suâ, et ut stellas exaltáre semen ejus.

HYMNUS.

PRomíssa mundo gáudia
Jam sperat humánum genus:
Adsunt beáti cónjuges,
Orbíque Christum præparant.

Hunc Anna votis ádvocans,
Summi paréntem Núminis,
Thori fidélis præmium,
Favénte cœlo, cóncipit.

* Fœcúnda radix púllulans,
Florem tenéllum próferet,
Qui lætus optáto dabit
Fructum salútis gérmine.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Dóminus fáciens misericórdiam Christo suo David,

℟. Et sémini ejus usque in sæculum. *Psal.* 17.

Ad Bened. *Ant.*

Hujus Deus ex sémine secúndùm promissiónem edúxit Israël Salvatórem Jesum. *Act.* 13.

Oratio.

DEus, qui per ómnium ora fidélium beátos Jóachim et Annam Vírginis Maríæ paréntes celebrári concédis; fac nos in ambórum solémniis promíssam in Christo salútem, eórum précibus, adipísci. Per eúmdem.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

PRomíssa mundo gáudia, etc. *ut suprà ad Laud. usque ad finem.*

Psal. de Feriâ.

℟. *parv.* Vos estis filii Prophetárum, et testaménti quod dispósuit Deus, dicens ad Abraham: Et in sémine tuo benedicéntur omnes famíliæ terræ. *Act.* 3.

AD ALIAS HORAS.

Hymnus.

* FŒcúnda radix, etc. *ut sup.*

℣. *ut suprà.*

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Antiph. de psalterio.

Allelúia, all. ℣. Semen hóminum honorábitur hoc quod timet Deum. Allel. *Eccli.* 10.

Prosa.

OPtáta jamdúdùm dies
Lucet tandem sperántibus:
Repromíssa progénies
Fert salútem mortálibus.
Virga Jesse florem tulit,
Donórum præstantissimum:
Quantum decus flos áttulit
Vobis, par beatíssimum!
Fœcúnda gaudent víscera
Proférre Matrem Dómini!
Quàm beáta sunt úbera
Natæ porrécta Vírgini!
Pietátis hæc præmium,
Quam peperístis, Fília;
Ortum ex vobis lílium,
Fidélis thori glória.
Per vos certa redémptio
Adstat humáni géneris;
Per vos, Deo propítio,
Christus fert opem míseris.
Vestris præstáte précibus
Firmum nobis præsídium;
Et detur in cœléstibus
Juge cónsequi gáudium.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 7. *d.*

Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, et veritátis suæ dómui Israël. *Psal.* 97.

Commem. de sequenti.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus.

* FŒcúnda radix, etc. *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 1. a.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum; univérsum semen Jacob, glorificáte eum. *Psal.* 21.

Die xxvii.

In Festo

S. DESIDERATI,

Ep. Bisont.

v. sæc.

Duplex.

Ut in Communi SS. Pontificum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DEsiderátus ad sedem Archiepiscopálem evéctus, omnes múneris sui partes exímiè implévit. Exercéndis charitátis ac misericórdiæ opéribus máximè inténtus, captívos redímere, egénis subveníre, víduis et órphanis opitulári sólitus erat.

℟. Beátus * Qui intélligit super egénum et páuperem. *Psal.* 40.

℣. Eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia. *Eccli.* 31. * Qui intélligit.

Lectio v.

OVes sibi commíssas sæpiùs invísens, verbo et crebris hortatiónibus, ad omnem morum honestátem ac pietátem formáre satagébat, labóri et itinéribus nullo modo parcens. Quo in múnere verisimíliter occupátus, cùm in Ledonénsi óppido substitísset, ibi vitâ functus est, et sepúltus.

℟. Qui misericórdiam habet, docet et * Erúdit quasi pastor gregem suum. *Eccli.* 18.

℣. Beátus ille servus quem Dóminus invénerit ita faciéntem. *Luc.* 12. * Erúdit quasi pastor gregem suum.

Lectio vj.

SUper túmulum ejus exstrúcta est Ecclésia, cui adjéctum fuit Monastérium, et constitúti Mónachi, qui dictæ Ecclésiæ deservírent. Pósteà corpus ejus è túmulo sublátum, in capsâ argénteâ dono et súmptibus Ledonénsium Incolárum conféctâ, collocátum est. Multæ Bisontínæ Dioecé-

sis Paróchiæ eum sibi Patrónum elegérunt.

℟. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, * Et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. *Eccli.* 44.

℣. Réddidit (Deus) justis mercédem labórum suórum. *Sapient.* 10. * Et nomen. Glória Patri. * Et nomen.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homília S. Joánnis Chrysóstomi. 78. *in Matth.* 23.

ET vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum quandò revertátur. Proptéreà hæc dicit Discípulis suis Dóminus, ut semper vígilent, ut semper sint paráti....... Nec generálem, nec singulárem advéntûs sui horam prædícit, ut semper expectándo semper vígilent... Quis ergò est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam?... Quem invénerit sic faciéntem....., fidélem appéllat, quóniam nihil ex rebus Dómini sibi attríbuit, nec incássùm quidquam expéndit; prudéntem verò, quia opportúnè dispensáre nóverit.

℟. In ómnibus * Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros. 2. *Cor.* 6.

℣. Quæritur inter dispensatóres ut fidélis quis inveniátur. 1. *Cor.* 4. * Exhibeámus.

Lectio viij.

AMen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum. Quid hoc honóre sublímius? Quæ orátio hanc dignitátem, hanc beatitúdinem dicéndo assequétur, cùm cœlórum Cónditor, cui ómnia sérviunt, hóminem super ómnia bona sua

constitúrus est? Proptéreà et prudéntem eum appellávit, quia novit magna pro parvis perdénda non esse, quia moderátè vitam hîc péragens, cœlos consecutúrus est.

℟. Merces * Magna nimis! *Genes.* 15.

℣. Admirábilis magnificéntia Dómini. *Eccli.* 43. * Magna nimis.

Lectio ix.

NEque verò soli Ecclesiárum Pastóres, dispensátores constitúti sunt, verùm étiam quotquot pecúnias habent, cùm utrisque Dóminus divítias suas credíderit: Pastóribus quidem máximas, locuplétibus tamen non parvas...... An forsan tua te credis habére? Res páuperum tibi crédita est, etiámsi labóribus justis, etiámsi hæreditáte patérnâ in te pervénerit... Hæc mútuo tibi concéssit Deus, ut probitátem indè quæreres... Quæ Dómini sunt, Dómino præbe. Præbeo, ínquies; quid præbes? An non plura in sumptus inútiles impéndis? Magnífica convívia excógitas; modò tu álios vocas, modò vocáris ab áliis: ita nunc tu consúmis, nunc álios consúmere cogis.

℟. Dómine, * Do paupéribus. *Luc.* 19.

℣. Custódiam legem tuam semper. *Ps.* 118. * Do paupéribus. Glória Patri. * Do paupéribus.

AD LAUDES.

Cant. de Communi.

Oratio.

DEus, qui beátum Desiderátum Epíscopum Ecclésiæ tuæ præficere dignátus es, ut eam verbo pásceret, et informáret exémplo; da ut tanti Pontíficis mémores, ejus intercessióne, te, præmium ætérnum, ássequi mereámur. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Fit Commem. de sequenti.

DIE XXVIII.

IN FESTO

S IMITHERII,

MONACHI.

c. vij. sæc.

Semiduplex.

Lectio iij.

IMithérius, Mónachus Jurénsis, sanctíssimè vixit in céllulâ intrà Comitátum Burgúndiæ sitâ, in quâ cùm obiísset, sepúltus est. Ad illíus céllulam constrúctus est Pagus sub nómine sancti Imithérii. In Ecclésiâ illíus Pagi ipsíus Relíquiæ pretiósè asservántur, et religiósè colúntur. Memorátur surdus ex annis decem, cùm ad ejus Ecclésiam ténderet, in itínere persanátus; et ália quamplúrima, eo invocáto, contíngere mirácula, constans est fama.

cum exíre, et éxiit, nésciens quò iret. *Heb.* 11. * Dóminus. Glória Patri. * Dóminus.

Oratio.

DEus, ómnia pro te deseréntium merces magna nimis; da nobis, interveniénte beáto Imithério, mundána ómnia despícere, et tibi soli adhærére. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Commem. de sequenti.

DIE XXIX.

IN FESTO

S. MARTHÆ,

HOSPITÆ CHRISTI.

j. sæc.

Simplex.

Ut in. Comm. SS. Virginum.

Sermo

Sancti Bernárdi Abbátis.

in domum suam... Occupátur hæc circà frequens ministérium.... Quidni ergà multa turbétur Martha, quæ sollícita est pro multis? Tibi verò cui necéssitas hæc non incúmbit, è duóbus unum est necessárium : aut non turbári pénitùs, sed delectári magis in Dómino; aut si id necdùm potes, turbári non ergà plúrima, sed (ut de se Prophéta lóquitur) ad teipsum...... sed ipsam quoque Martham admónitam esse necésse est, id máximè quæri inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Erit autem fidélis, si neque quæ sua sunt, quærat, sed quæ Jesu Christi, ut sit inténtio pura; nec suam fáciat, sed Dómini voluntátem, ut sit áctio ordináta.

℟. Fúgite de médio Babylónis, * Salvet unusquísque ánimam suam. *Jerem.* 51.

℣. Porrò unum est necessárium. *Luc.* 10. * Salvet. Glória Patri. * Salvet.

Oratio.

DEus, qui conversátus in terris, in domo beátæ Marthæ hospitári dignátus es; quæsumus, ut, ipsâ pro nobis intercedénte, in ætérna tabernácula récipi mereámur. Qui vivis.

Vesp. de sequenti.

DIE XXX.

IN FESTO

S. IGNATII,

Ann. 1556.

Semiduplex.

Omnia ut in Com. SS. Mon. præter ea quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS.

Ad Magn. *Ant.*

Omnia in glóriam Dei fácite; non quæréntes quod vobis útile est, sed quod multis, ut salvi fiant. 1. *Cor.* 10.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus;

℟. Et non respéxit in vanitátes et insánias falsas. *Ps.* 39.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Lectio iij.

IGnátius, in Diœcési Pompelonénsi nobílibus paréntibus natus est. Adoléscens à milítiâ sæculári ex lectióne piórum librórum ad Deum convérsus, factâ in monte Serráto ómnium delictórum exomologési, apud Manrésam inter egénos vitam ásperam egit. Anno ætátis tricésimo lítteris óperam dedit. Parísiis, adjúnctis sibi ex illíus Académiâ novem Sóciis, in Monte Mártyrum Societátis Jesu fundaménta jecit: quam pósteà, áddito ad tria religiónis vota de Missiónibus quarto, Ignátius instítuit; et à Paulo tértio confirmátam, in Præpósitum generálem eléctus, summâ cum prudéntiâ rexit. Præcípua illi cura erat, ut rudes et púeri doctrínam christiánam perdíscerent, carcéribus inclúsi levaréntur, Sacramentórum usus et frequéntior esset et sánctior. Ad Deum ómnia referébat, his verbis: ad majórem Dei glóriam, velut symbolo uti sólitus. Romæ obdormívit in Dómino; eúmque Gregórius décimus quintus Sanctis ascrípsit.

℟. Os Justi meditábitur sapiéntiam, et * Lingúa ejus loquétur judícium. *Ps.* 36.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. *Ps.* 36. * Lingua. Glória. * Lingua.

AD LAUDES.

Ad Bened. *Ant.*

Sapiéntia Justum dedúxit per vias rectas; honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. *Sap.* 10.

℣. Zelátus est pro Deo suo. *Num.* 25.

℟. Erit illi glória ætérna. *Eccli.* 31.

Oratio.

DEus, qui ad majórem Nóminis tui glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiam roborásti; concéde, ut ejus auxílio et imitatióne certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Vesp. de seq. Commem. de S. Ignatio.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. *Eccli.* 45.

℣. Símilem illum fecit in glóriâ Sanctórum.

℟. Magnificávit eum in timóre inimicórum. *Eccli.* 45.

Oratio ut suprà ad Laudes.

Die xxxi.

In Festo SANCTI GERMANI, Episcopi.

Ann. 448.

Semiduplex.

Lectio iij.

GErmánus nóbili génere Autissiodóri natus, Juris sciéntiam Romæ adéptus, causas egit, ibíque uxórem duxit. Ab Amatóre Autissiodorénsi Epíscopo, qui eum sibi sis capíllis, clericáli veste indúitur, pósteà creátus Epíscopus, in álterum virum mutátur. Cœpit enim sæculi pompam aspernári, vitam ásperam et bonis opéribus plenam dúcere. In Británniam majórem bis legátus, ibi pullulántem Pelagiánam hæresim compréssit. Gálliam insuper et Itáliam péragrans, apostólicis sermónibus, odóre suæ sanctitátis et miráculis illustrávit. Obiit Ravénnæ in Itáliâ.

℟. Lex veritátis fuit in ore ejus, et * Iníquitas non est invénta in lábiis ejus. *Malach.* 2.

℣. Dedit illi (Deus) contrà inimícos poténtiam. *Eccli.* 47. * Iníquitas. Glória Patri. * Iníquitas.

Oratio.

DA nobis, miséricors Deus, ut mérita sancti Epíscopi Germáni pietátem tuam pro nobis semper exórent, et delictórum nostrórum véniam

FESTA AUGUSTI.

DIE I.

IN FESTO

SANCTI PETRI

AD VINCULA.

An 44 *et* 65.

Duplex tertiæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 3. a. Ego ante te ibo, et gloriósos terræ humiliábo, portas æreas cónteram, et vectes férreos confríngam. *Isa.* 45.

Capitulum. Jerem. 1.

EGo dedi te hódiè in murum æreum Régibus Juda, Princípibus ejus, et Sacerdótibus, et pópulo terræ; et bellá-

℣. Qui hábitat in cœlis irridébit eos, et Dóminus subsannábit eos. *Psal.* 2. * Quarè pópuli meditáti sunt inánia? Glória Patri. * Quarè pópuli meditáti sunt inánia?

HYMNUS.

QUi Christiáno gloriántur nómine,
Ahéna frustrà vincla captívos tenent;
Frustrà satélles servat insómnis fores:
Inter caténas mente stant libérrimâ.
Ornant revínctos invidéndæ cómpedes;
Nec ponderósæ, quas amor leves facit;
Non densa tetri cárceris nox óbsidet,
Ætérna summo quos ma-

Vos sacra pluris æstimámus vincula.
Patri suprémo sit supréma glória;
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Ætérne Fili, splendor ætérni Patris;
Compar sit almo laus decúsque Flámini.
Amen.

℣. Dóminus Deus auxiliátor : *Isa.* 50.

℟. Ipse véniet et salvábit. *Isa.* 35.

Ad Magn. *Ant.* 7. a.

In die illâ, ait Dóminus exercituum, cónteram jugum de collo, et víncula ejus dirúmpam. *Jerem.* 30.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Commem. S. Germani.

Posteà SS. Machabæor. Martyr. c. ann. 167. ante Christi. natum.

Ant. Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Machab.* 7.

℣. Ecce beatificámus eos,

℟. Qui sustinuérunt. *Jac.* 5.

Oratio ut infrà post Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Feriâ.

HYMNUS.

* DUlces caténæ, etc. *ut sup. ad Vesp.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 4. E.

Dóminus judícium suum dabit in lucem, et non abscondétur. *Soph.* 3.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum qui solvit compeditos, * Venite, adorémus. *Psalm.* 145.

Psal. Venite.

HYMNUS.

QUi Christiáno gloriántur, etc. *ut suprà ad Vesperas, usque ad fin.*

Psal. et Ant. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

℣. Páveant Deum omnes habitántes in terrâ :

℟. Ipse est Salvátor, fáciens signa et mirabilia. *Dan.* 14.

Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟.

IN

IN II. NOCTURNO.

℣. Sciant quia manus tua hæc:

℟. Tu, Dómine, fecisti. *Psal.* 108.

Ex Greg. regist. lib. 11. *c.* 49. *et l.* 5. *Epist.* 6. *et l.* 3. *Epist.* 30.

Lectio iv.

CAténis duábus Hierosólymis vinctum in cárcere ab Agrippâ fuisse sanctum Petrum ex Actis díscimus. Illas autem, aut saltem illárum álteram, Romæ extitisse docet Arátor ejúsdem Ecclésiæ sexto sæculo Subdiáconus; dúbium quoque subolére némini potest, quin Romæ speciáli in veneratióne fúerint caténæ, quibus ibi à Neróne constríctus est. Auro quippè pretiósius habebátur per omnes Ecclésias ferrum illud pœnálium vinculórum, quæ reum suum usque ad Christi crucem, non tàm condemnatúra quàm consecratúra misérunt.

℟. Fílii hóminum, * Scitóte quia Dóminus Sanctum suum mirificávit. *Ps.* 4.

℣. Exultáte in conspéctu ejus, qui edúcit vinctos in fortitúdine. *Ps.* 67. * Scitóte quia Dóminus Sanctum suum mirificávit.

Lectio v.

CRucem párvulam in quâ de caténis sancti Petri et Pauli insérta erat benedíctio, mittens sanctus Gregórius magnus Eulógio Alexandríno Patriárchæ, multa per istam benedictiónem consuéta fíeri mirácula narrat. Idem Childebérto, Francórum Regi, claves sancti Petri, in quibus de limatúrâ catenárum ejus áliquid inclúsum erat, direxísse se dixit, ut collo ejus suspénsæ à malis illum ómnibus tueréntur. Summus autem ipse Póntifex istis è caténis áliquid quod crúcibus vel clávibus includerétur, limándo conabátur excútere; quod quidem aliquándò summâ facilitáte fiébat; nonnúnquàm è contrà nullâ ratióne póterat obtinéri.

℟. Signa Dei excélsi magna sunt, et * Mirabília ejus fórtia. *Dan.* 3.

℣. Est Dóminus vivus

ipse in cœlo potens. 2. *Mach.* 15. * Mirabília.

Sermo
S. Joánnis Chrysóstomi.
Homil. 8. *in Epist. ad Eph.* §. 1.
Lectio vj.

NIhil est æquè præclárum atque víncula propter Christum, atque caténæ sanctis mánibus impósitæ. Vinctum esse propter Christum est præclárius quàm esse Apóstolum, quàm esse Doctórem, quàm esse Evangelístam. Si quis amat Christum, novit quod dícitur; si quis in Dóminum insánit et ejus amóre úritur, novit vim vinculórum; malúerit esse vinctus propter Christum, quàm habitáre cœlos. Quovis auro (Petrus) splendidióres ostendébat manus, et quovis regáli diadémate. Non enim tàm spléndidum facit caput vitta ex gemmis compósita ei impósita, quàm caténa férrea propter Christum. Tunc erat régiis ædibus carcer præ-

Christi. Si quis Christum díligit, novit hanc dignitátem, novit hanc virtútem.

℟. Nunc * Gáudeo in passiónibus. *Coloss.* 1.

℣. Non solùm alligári, sed et mori parátus propter nomen Dómini Jesu. *Act.* 21. * Gáudeo in passiónibus. Glória Patri. * Gáudeo in passiónibus.

IN III. NOCTURNO.

℣. Dedit confessiónem Excélso:

℟. De omni corde suo diléxit Deum. *Eccli.* 47.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.
Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore, Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat Discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília
S. Joánnis Chrysóstomi.
In Matth. Hom. 55.

VOs verò quem me esse dícitis? Quid igi-

phæus, cùm omnes interrogáti essent, ipse respóndet. Et cùm de senténtiâ pópuli Christus sciscitarétur, omnes respondérunt; cùm autem de suâ eos erogáret, Petrus prósilit, et prævértit, aitque: Tu es Christus Filius Dei vivi. Quid ergò Christus? Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ inferi non prævalébunt advérsùs eam; et, quæcúnque sólveris super terram, erunt solúta et in cœlis.

℟. Beátus es, Simon Barjóna, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed * Pater qui est in cœlis. *Matth.* 16.

℣. Tibi enim dixit: Tu eris Princeps super pópulum meum Israël. 1. *Paralip.* 11. * Pater qui est in cœlis.

Lectio viij.

Vide quómodò ad sublimiórem de se opiniónem Petrum érigat, et seípsum revélet, ac per hasce duas promissiónes se Filium Dei esse osténdat? Nam quæ uni Deo sunt própria, nempè peccáta sólvere, Ecclésiam in tanto flúctuum concúrsu immótam réddere, hominémque piscatórem, toto impugnánte orbe, petrâ firmiórem réddere, hæc se illi datúrum pollicétur: sicut Pater Jeremíam álloquens dicébat se posuisse illum sicut colúmnam æream, et sicut murum; sed illum uni genti, hunc autem in univérso terrárum orbe.

℟. Et nos testificámur, quóniam * Jesus est Filius Dei. 1. *Joan.* 4.

℣. Omnia dedit Pater in manu ejus. *Joan.* 3. * Jesus est.

Lectio ix.

Pater revelatiónem Filii Petro dedit; Filius verò et Patris et suam revelatiónem per totum orbem disseminávit, ac mortáli hómini omnem in cœlo potestátem dedit, dùm claves illi trádidit, qui Ecclésiam per totum terrárum orbem exténdit, et cœlis firmiórem monstrávit. Nam ait: Cœlum et terra transíbunt, verba

autem mea non transibunt.

℟. Talem habémus Pontíficem, qui minister est tabernáculi veri, quod * Fixit Dóminus, et non homo. *Heb.* 8.

℣. Nequáquam transférri póterit, nec auferéntur clavi ejus in sempitérnum, et omnes funículi ejus non rumpéntur. *Isa.* 33. * Fixit Dóminus. Glória Patri. * Fixit Dóminus.

℣. *Sacerd.* Protéctor est (Dóminus) ómnium sperántium in se. *Psal.* 17.

℟. Laudábilem invocábo Dóminum. 2. *Regum.* 22.

AD LAUDES.

Psalmi et Antiph. ut in Psalterio. Cant. de Communi.

Capitulum. Sap. 10.

SApiéntia justum non derelíquit, sed à peccatóribus liberávit eum, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum.

Hymnus.

PEtrum, tyránne, quid caténis obruis,
Jubésque condi cárceris nigro specu?
Quid trux satélles ante limen éxcubat?
Carcer, satélles, vincla non Petrum tenent.

Fulgens ab alto venit Ales æthere;
Recédit horror, et fugat noctem dies:
Jubénte Christo, rupta vincla cóncidunt,
Pandúntur ultrò clausa ferro límina.

Cœléstis ille ductor osténdit viam;
It Petrus, atque sómnium quod sit, putat:
Verùm, recéptâ mente, victrícem Dei
Suæ salútis certus agnóscit manum.

Lux nostra, Christe, nostra libértas, vides
Quibus caténis vínciant nos crímina,
Et quanta nostris íncubet nox méntibus;
Cæcis diem fer, rumpe vinctis víncula.

Patri suprémo sit supréma glória,
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Ætérne Fili, splendor ætérni Patris;

Compar sit almo laus, decúsque Flámini. Amen.

℣. Dirupísti víncula, Dómine,

℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. *Psal.* 115.

Ad Bened. *Ant.*

Ecce Angelus Dómini ástitit, percussóque látere Petri, excitávit eum, et cecidérunt caténæ de mánibus ejus. *Act.* 12.

Oratio.

DEus, qui beátum Petrum Apóstolum, à vínculis absolútum, illæsum abíre fecísti; nostrórum, quæsumus, absólve víncula peccatórum; ut, ab eórum néxibus expedíti, viam mandatórum tuórum líberâ mente currámus. Per Dóminum.

Commem. SS. Machabæorum Mart.

Ant. Rex mundi defúnctos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit. 2. *Machabæor.* 7.

℣. Judicábit Dóminus pópulum suum.

Oratio.

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet, quæ et fidei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per.

AD HORAS.

Hymnus.

*DUlces caténæ, quæ reum non árguunt, etc. *ut sup. fol.* 607.

℟. *parv.* Dissolúta sunt víncula brachiórum et mánuum illíus per manus poténtis Jacob. *Gen.* 49.

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Ant. ut in Psalterio.

Allelúia, allel. ℣. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum, quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum. Allelúia. *Jerem.* 20.

Prosa.

EX quo parta mortáli-

Homo liber jam non timet
Lictórem, vincla, cárceres.

Quin Christi probris áffici,
Surgit ampla laudis seges;
Vinclísque pro vincto Deo
Invident ipsi cœlites.

Dire satélles, quid paras
Vinclis Petrum obrúere?
Quas amor leves éfficit,
Caténæ vinctum non gravant.

Quid hunc condis nigro specu,
Tyránne? lapsus æthere
Fulget Ales: cedit specûs
Horror; pellit lux ténebras.

Repéntè carcer pánditur,
Solúta vincla cóncidunt:
Prodi, Petre, rumpe moras,
Cœléstem séquere ducem.

Exit liber præco Dei,
Quò monstrat iter Angelus;
Tuam, Christe, non immemor
Victrícem prædicat manum.

Quæ mentes miserè premunt
Rumpe caténas críminum:
Tibi nos, Christe, dúlcibus
Amóris liga vínculis.

Cujus cólimus cómpedes
Fac nos et exémpla sequi:
Da pro te, da lubéntiùs
Quodcúnque durum pérpeti.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 4. E.

Narrávit Petrus quómodò Dóminus eduxísset eum de cárcere, dixítque: Nuntiáte Jacóbo et frátribus hæc; et egréssus ábiit in álium locum. *Act.* 12.

Commem. de sequenti.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 1. a.

Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. 2. *Pet.* 2. (1)

(1). Doxologia: Gregi tuo qui providens,
Petrum catenis eripis,
Sit laus tibi, Pastor bone,
Cum Patre, cumque Spiritu. Amen.

Die 11.
In Festo
SANCTI STEPHANI,
Papæ et Mart.

Ann. 257.

Simplex.

Ex S. Cypr. Usuard. et Adon.

Lectio iij.

STéphanus, post Lúcium successórem Cornélii, Románam rexit Ecclésiam. Grassabátur ejus tempóribus Novatianórum hæresis, quæ pœniténtibus lenitátis patérnæ solátia claudébat, sine spe pacis et communicatiónis. His cùm se Marciánus Arelaténsis adjunxísset, Stéphanus primùm à Faustíno Lugdunénsi, subíndè à sancto Cypriáno, eâ de re mónitus est. Revérsis ad unitátem discíssis Ecclésiis, et pace insperátò rédditâ, Dionysius Alexandrínus ipsi Stéphano per lítteras gratulátus est. Alia exórta est étiam controvérsia, utrùm baptizáti ab hæréticis ad Ecclésiam redeúntes, dénuò essent baptizándi; de quâ quid sentíret Stéphanus ad Cypriánum scripsit his verbis: Nihil innovétur nisi quod tráditum est. Móritur anno Christi ducentésimo quinquagésimo séptimo, imperánte Valeriáno, jamque in Christiános persecutiónem movénte, quâ Stéphanus glorióso martyrio coronátus esse fertur.

℟. Si quis peccáverit, * Advocátum habémus apud Patrem Jesum Christum. 1. *Joan.* 2.

℣. Teneámus spei nostræ confessiónem. *Heb.* 10. * Advocátum. Glória Patri. * Advocátum.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Stéphani Mártyris tui atque Pontíficis ánnuâ solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Officium et solemnitas Festi Inventionis Corp. S. Stephani transferuntur in I. Dom. post diem iij. Augusti, nisi hæc dies sit Dom.

DIE III.

IN FESTO

INV. CORP. S. STEPH.

PROTOMARTYRIS,

Totius Diœcesis patroni.

Ann. 415.

Duplex primæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 1. *D.* Ecce ego apériam (dicit Dóminus), túmulos, et edúcam vos de sepúlcris. *Ezech.* 37.

Ant. 5. C. Ego consolábor vos, et ossa vestra quasi herba germinábunt. *Isa.* 66.

Ant. 8. G. Cognoscétur manus Dómini servis suis. *Ibid.*

Ant. 4. E. Ignótus erit locus, donec Deus propitius fiat, et tunc Deus osténdet hæc, et apparébit majéstas Dómini. 2. *Mach.* 2.

Ant. 7. G. Fáciam propter servos, ut non dispérdam totum : adhuc illis loquéntibus, ego áudiam. *Isa.* 65.

Capitulum. Isa. 26.

ECce Dóminus egrediétur de loco suo, et revelábit terra sánguinem suum, et non opériet ultrà interféctos suos.

℟. Expergiscímini, et * Laudáte qui habitátis in púlvere, quia ros lucis, ros tuus. *Is.* 26.

℣. Et Altíssimus dedit vocem suam. *Psal.* 17. * Laudáte. Glória Patri. * Laudáte.

HYMNUS.

OBscúros ténebris, Christe, vetas premi,
Clarâ qui púgiles te nece prædicant;
Quæ sub nocte jacent, tempóribus suis
Hæc pleno rétegis die.
Quæ celáta diù pulvéreo situ,

Monstras ossa tui spléndida Mártyris :
Ad cujus cíneres cúrritur, et suus
Siccis est honor óssibus.

Flores è túmulo vim médicam trahunt,
Et cæco súbitum restítuunt diem :
Qui dux ipse suî, jam répetit domum,
Cœli múnere lætior.

* Ultor nempè Deus non méritæ necis
Sacris oppróbrium pensat honóribus :
Claros prodígiis ac venerábiles
Ipsos vel túmulos facit.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cujus præsídio prælia sústinent
Fuso sánguine Mártyres. Amen.

℣. Exultábunt Dómino ℟. Ossa humiliáta. *Ps.* 50.

Ad Magn. *Ant.* 8. F.

Ossa ipsíus visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt. *Eccli.* 49.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. de Dominicâ.

HYMNUS.

* Ultor nempè Deus, etc. *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. F.

Córpora (virórum misericórdiæ) in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. *Eccli.* 44.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum qui custódit ossa Sanctórum suórum, * Veníte, adorémus. *Psal.* 33.

Psal. Veníte.

HYMNUS.

O Qui tuo, dux Mártyrum,
Præfers corónam nómine,
Non de cadúcis flóribus
Tibi corónam néctimus.

Tuo cruénta sánguine
Quàm saxa fulgent púlchriùs
Aptáta sacro vértici!
Non sic micárent sídera.

Quot facta fronti vúlnera,

Tot tela lucis émicant ;
Et Angelo monstrat parem
Quod prodit è vultu jubar.

Tu prima Christo víctimæ
Vitam repéndis, víctima,
Primúsque testis, æmulo
Deum fatéris fúnere.

Tu primus osténsam tibi
Maris rubri sulcas viam ;
Quot te sequéntur Mártyrum,
Quibus præis, exércitus !

Jesu, coróna Mártyris,
Quem stans ab alto réspicis,
Fac nos poténti grátiâ
Illùc sequi quò dux præit.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Exáudi, Dómine, justítiam. *fol.* 193.

Ant. Sub umbrâ alárum tuárum prótege me à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Psal. Dóminus illuminátio. *fol.* 147.

Ant. Dóminus protéctor vitæ meæ, à quo trepidábo ?

Divis. Psal. Exáudi, Dómine. *fol.* 148.

Ant. Insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

℣. Beátus quem elegísti et assumpsísti,

℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Psal.* 64.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 6

IN diébus illis, Crescénte número Discipulórum, factum est murmur Græcórum advérsùs Hebræos, eò quòd despiceréntur in ministério quotidiáno viduæ eórum. Convocántes autem duódecim multitúdinem Discipulórum, dixérunt : Non est æquum nos derelínquere Verbum Dei, et ministráre mensis. Consideráte ergò, fratres, viros ex vobis boni testimónii septem, plenos Spíritu sancto et sapiéntiâ, quos constituámus super hoc opus. Nos verò oratióni, et ministério verbi instántes érimus. Et plácuit sermo coràm omni multitúdine. Et elegérunt Stéphanum virum plenum fide et Spíritu sancto, et Philíppum, et Prócho-

um, et Nicanórem, et Tímónem, et Pármenam, et Nicoláum ádvenam Antiochénum. Hos statuérunt ante conspéctum Apostolórum; et orántes imposuérunt eis manus.

℟. Tu ipse, Dómine Deus, elegísti et * Invenísti cor ejus fidéle coràm te. 2. *Esdr*. 9.

℣. Dispérsit, dedit páuperibus; justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Psal.* 111. * Invenísti.

Lectio ij.

STéphanus autem, plenus grátiâ et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de Synagógâ, quæ appellátur Libertinórum, et Cyrenénsium, et Alexandrinórum, et eórum qui erant à Cilíciâ et Asiâ, disputántes cum Stéphano, et non póterant resístere sapiéntiæ, et spirítui qui loquebátur. Tunc summisérunt viros qui dícerent se audivísse eum dicéntem verba blasphémiæ in Móysen et in Deum. Commovérunt ítaque plebem, et Senióres, et Scribas: et concurréntes rapuérunt eum, et adduxérunt in concílium, et statuérunt falsos testes, qui dícerent: Homo iste non cessat loqui verba advérsùs locum sanctum et legem: audívimus enim eum dicéntem, quóniam Jesus Nazarénus hic déstruet locum istum, et mutábit traditiónes quas trádidit nobis Móyses. Et intuéntes eum omnes qui sedébant in concílio, vidérunt fáciem ejus tanquam fáciem Angeli.

℟. Surréxit quasi ignis, et * Verbum ipsíus quasi fácula ardébat. *Eccli.* 48.

℣. Obstrúctum est os loquéntium iníqua. *Ps.* 62. * Verbum.

Lectio iij. Cap. 7.

CUm autem esset plenus Spíritu sancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem à dextris Dei, et ait: Ecce vídeo cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem à dextris Dei. Exclamántes autem voce magnâ, continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extrà civitátem lapidábant: et

testes deposuérunt vestiménta sua secùs pedes adolescéntis qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem: Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. Pósitis autem génibus, clamávit voce magnâ dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

℟. Felix qui non hábuit ánimi sui tristítiam, et * Non éxcidit à spe suâ. *Eccli.* 14.

℣. Si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. *Sap.* 4. * Non éxcidit. Glória Patri. * Non éxcidit.

IN II. NOCTURNO.

Psal. In te, Dómine. *fol.* 120.

Ant. Tu es protéctor meus, Dómine, in manus tuas comméndo spíritum meum.

Divis. Psalm. Miserére meî. *fol.* 120.

Ant. Dùm convenírent simul advérsùm me, accípere ánimam meam consiliáti sunt; ego autem in te sperávi, Dómine.

Altera Divis. Psalm. Quàm magna multitúdo. *fol.* 121.

Ant. Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, omnes qui sperátis in Dómino.

℣. Lábia dolósa loquúntur advérsùs justum iniquitátem,

℟. In supérbiâ et in abusióne. *Ps.* 30.

Ex Epistolâ Luciani, de Inventione S. Stephani.

Lectio iv.

SAncti Protomártyris Stéphani corpus, sanctorúmque Gamaliélis, Nicodémi, et Abibónis córpora, quæ diù latúerant, Theodósio junióre, et Honório imperántibus, Luciáno Presbytero divinitùs admónito invénta sunt propè Hierosólymam. Huic cùm apparuisset Gamáliel, gravi quâdam et præclárâ senis spécie, locum jacéntium córporum commonstrávit. Verùm véritus ne è cœlo non esset ista vísio, nec ei vellet acquiéscere, quin éadem iterùm, et tértiò audivisset; appáruit

i pro votis idem venerábilis senex, aspériùs monens, cœlum non priùs latúrum aquam, (tunc enim erat síccitas máxima, et tribulátio in toto mundo,) quin Stéphano et sóciis facta fuísset oratiónis domus, ut eórum intercessióne misererétur Dóminus pópulo suo.

℟. Oculi Dómini super justos, * Custódit Dóminus ómnia ossa eórum. *Ps.* 33.

℣. Ut sit memória illórum in benedictióne, et ossa eórum púllulent de loco suo. *Eccli.* 46. * Custódit.

Lectio v.

QUæ cùm rescìisset Hierosolymórum Antístes, ad locum pergit, et defóssos quátuor lóculos invenit, undè suavíssimus odor efflabátur. Cujus rei famâ magna hóminum multitúdo commóta eò convénit, plurésque váriis morbis affécti, sani et íntegri rediérunt. Sacræ Relíquiæ summâ celebritáte in sanctam Ecclésiam Sion illátæ sunt, ex quibus váriæ partículæ in Africam, Gálliam, aliásque orbis partes delátæ, multis claruérunt miráculis.

℟. Scitóte, quia * Dóminus mirificávit Sanctum suum. *Ps.* 4.

℣. Mórtuum prophetávit corpus ejus. *Eccli.* 48.* Dóminus.

Sermo
S. Augustíni Epíscopi.
De S. Stephano 25. *ex Sirmond.*

Lectio vj.

AUdístis, cùm passiónis Stéphani léctio legerétur de libro canónico Actuum Apostolórum, quemádmodùm lapidátus sit à Judæis, quemádmodùm Dómino commendáverit spíritum suum, quemádmodùm étiam in extrémo génibus fixis, oráverit pro lapidatóribus suis. Hujus corpus ex illo usque ad ista témpora látuit; nuper autem appáruit, sicut solent apparére sanctórum córpora Mártyrum revelatióne Dei, quandò plácuit Creatóri. Præcedéntibus enim signis locus demonstrátus est, et quómodò fúerat revelátum, sic et invéntum est. Multi indè Relí-

quias accepérunt, quia Deus vóluit, et hùc venérunt. Commendátur ergò charitáti vestræ, et locus et dies: utrúmque celebrándum in honórem Dei, quem conféssus est Stéphanus. Nos enim in isto loco non aram fécimus Stéphano, sed de Relíquiis Stéphani aram Deo.

℟. Mirábilis Deus * In Sanctis suis. *Ps.* 67.

℣. Magnam fecit ostensiónis suæ evidéntiam. 2. *Mach.* 3. * In Sanctis. Glória Patri. * In Sanctis.

IN III. NOCTURNO.

Ps. Expéctans. *fol.* 173.

Ant. Annuntiávi, et locútus sum, multiplicáti sunt super númerum.

Divis. Psalm. Annuntiávi justítiam. *fol.* 174.

Ant. (Dómine,) non abscóndi misericórdiam tuam, et veritátem tuam à concílio multo.

Psal. Nonne Deo subjécta. *fol.* 189.

Ant. Deo subjécta esto.

℣. Salvávit eum Dóminus. *Ps.* 33.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23.

IN illo témpore, Dicébat Jesus Scribis et Pharisæis: Ecce ego mitto ad vos Prophétas et Sapiéntes et Scribas, et ex illis occidétis et crucifigétis; et ex eis flagellábitis in Synagógis vestris, et persequémini de civitáte in civitátem. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Episcopi.

Sermone 317. §. 5. *de Protomart.*

DOminus amárè et acérbè árguit Judæos, sed amándo: Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypócritæ. Quandò dicébat ista, quis non díceret quia óderat illos? Venit ad crucem, et ait: Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt. Sic et Stéphanus in sermóne suo priùs árguit: Durâ cervíce, et non circumcísi

non circumcísi corde et áuribus; vos semper Spirítui sancto resístitis, sicut et Patres vestri: quem Prophetárum non occidérunt Patres vestri? Ista dicéndo, quasi odit, quasi sævit; lingua clamat, cor amat.

℟. Quis enim fílius, quem non * Córripit pater? *Heb.* 12.

℣. Omnia operátur, ut révocet ánimas à corruptióne, et illúminet luce viventium. *Job.* 33. * Córripit.

Lectio viij.

AUdívimus linguam clamántem, probémus ánimum diligéntem. Et cùm tanta esset in docéndo constántia, vidéte qualis extíterit in morte patiéntia. Hi enim íctibus lápidum corpus ipsíus quatiébant, et ille pro inimícis orábat: contundebátur homo extérior, et supplicábat intérior. Sed Dóminus qui cínxerat, qui probáverat, qui ei charactérem, non in manu, sed in fronte po- certántem, coronatúrus vincéntem.

℟. Ergò * Non ulciscámur nos pro his quæ pátimur. *Judith.* 8.

℣. Ecce enim in cœlo testis, et cónscius in excélsis. *Job.* 16. * Non ulciscámur.

Lectio ix.

DEnique osténdit se illi: Ecce enim, inquit, vídeo cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem ad dextram Dei. Solus vidébat, quia illi soli apparébat. Et quid ait pro se? Dómine Jesu, áccipe spíritum meum. Pro se rogans stetit, pro illis genu flectit; pro se eréctus, pro illis curvus; pro se celsus, pro illis húmilis; genu flexit et ait: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum: et hoc dicto, obdormívit. O somnus pacis! qui inter lápides inimicórum dormívit, quómodò in suis cinéribus vigilábit? Dormívit secúrus, quiétus in pace, quia spíritum suum Dómino commendávit.

℟. Nunc. * Dómine

℣. Iste quidem hoc modo vitâ decéssit, exémplum virtútis derelínquens. 2. *Mach.* 6. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

℣. *Sacerd.* Exémplum accípite, fratres, labóris et patiéntiæ :

℟. Ecce beatificámus eos qui sustinuérunt. *Jacob.* 5.

AD LAUDES.

Psalm. Inclina, Dómine. *fol.* 213.

Ant. In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, quia exaudísti me.

Divis. Psalm. Deduc me. *fol.* 214.

Ant. Misericórdia tua magna est super me, et eruísti ánimam meam.

Psal. Exáudi, Deus. *fol.* 190.

Ant. Protexísti me, Deus, à convéntu malignántium, à multitúdine operántium iniquitátem.

Canticum. Job. 16.

SUscitátur falsíloquus advérsùs fáciem meam * contradícens mihi.

Collégit furórem suum in me, * et cómminans mihi, infrémuit contrà déntibus suis.

Hostis meus terribílibus óculis * me intúitus est.

Aperuérunt super me ora sua, * et exprobrántes percussérunt maxillam meam, satiáti sunt pœnis meis.

Conclúsit me Deus apud iníquum, * et mánibus impiórum me trádidit.

Circúmdedit me lánceis suis, convulnerávit lumbos meos, * non pepércit, et effúdit in terrâ víscera mea.

Concídit me vúlnere super vulnus, * írruit in me quasi gigas.

Hæc passus sum absque iniquitáte manûs meæ, * cùm habérem mundas ad Deum preces.

Ecce enim in cœlo testis meus, * et cónscius meus in excélsis.

Glória Patri.

Ant. Passus sum absque iniquitáte manûs meæ.

Psal. Miserére. *fol.* 194.

Ant. Cantábo et psalmum dicam. Exúrge, glória

glória mea; exúrge, psaltérium et cíthara.

Capitulum. Act. 18.

POtens in scriptúris, erat edóctus viam Dómini, et fervens spíritu loquebátur, et docébat diligénter ea quæ sunt Jesu.

HYMNUS.

QUid, obstináta péctora,
Verbo Dei resístitis?
Qui vos Deo plenus docet,
Hunc destinátis fúneri!
Omnes in unum sæviunt,
Saxis gravant truces manus:
Hunc párticeps Saulus necis
Per ómnium dextras petit.
Non déseris dux mílitem,
Quem, Christe, spectans róboras;
Stas árbiter certáminis,
Futúrus ipse præmium.
Deo mori sub júdice,
Pugnántis est victória;
Dùm grando saxórum pluit,
Nil sentit affixus polo.
Jesu, coróna Mártyris,
Quem stans ab alto réspicis,
Fac nos poténti grátiâ,
Illùc sequi quò dux præit.
Amen.

℣. Confirmátum est cor ejus,

℟. Non commovébitur, donec despíciat inimícos suos. *Ps.* 111.

Ad Bened. *Ant.*

Símilem illum fecit Deus in glóriâ Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum. *Eccli.* 45.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani sánguine dedicásti; tríbue, quæsumus, ut pro nobis intercéssor exístat, qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

AD HORAS.

Psalmi de Dominicâ.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

MIris probat sese modis

Suos in hostes cháritas:
Et blándiens, et increpans,
Amica semper cháritas.
Qui stans perorábat sibi,
Cadens et expirans humi,
Linguâ disérti sánguinis,
Suis perórat hóstibus.
Jesu, coróna Mártyris,
etc. *ut suprà.*

℟. *parv.* Colligéntes ossa fecérunt quæ præcéperat, et repropitiátus est Deus terræ post hæc. 2. *Reg.* 21.

Oratio ut suprà ad Laudes.

AD TERTIAM.

Hymnus.

AUdivit è cœlo Deus
Supréma verba Mártyris:
Dux Saulus, et testis necis,
Necis fit ipse præmium.
Fractis jacens cervícibus,
Et sic períre lætior:
O Christe, dixit, súscipe
Quem pono pro te spíritum.
Jesu, coróna Mártyris,
etc. *ut suprà.*

Resp. et oratio ut sup.

AD SEXTAM.

Hymnus.

TUm blanda mors amábili
Sopóre clausit lúmina;
Ad lucis ætérnæ jubar,
Exútus artus, évolat.
Servíre mensis páuperum,
Id múneris quondam tui:
Conviva nunc dignus Deo,
Mensis supérnis ássides.
Jesu, coróna Mártyris,
etc. *ut suprà.*

AD NONAM.

Hymnus.

QUid non, Deus, si réspicis,
Humána possunt péctora?
Cujus triúmphum pángimus,
Fac nos et exémplum sequi.
(1) Jesu, coróna Mártyris
etc. *ut suprà.*

(1). Qui Martyris corpus tui
Fulgere das miraculis,
Tibi, perennis laus tibi
Cum Patre cumque Spiritu. Amen.

AD II. VESPERAS.

Psal. Crédidi. *fol.* 153.

Ant. 6. F. Pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus.

Psal. Laudáte, púeri, Dóminum. *fol.* 35.

Ant. 1. g. Quis sicut Dóminus Deus noster qui in altis hábitat, et humília réspicit in cœlo et in terrâ?

Psal. Confitébor. *fol.* 33.

Ant. 3. c. Magna ópera Dómini, exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Psal. Beátus vir. *fol.* 34.

Ant. 7. *d.* Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Psal. In converténdo Dóminus captivitátem, etc. *fol.* 73.

Ant. 2. D. Dicent inter gentes: Magnificávit Dóminus fácere cum eis. Allelúia, allel. ℣. Mendáces osténdit Dóminus qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam. Allelúia. *Sap.* 10.

Prosa ut in Festo Suscept. Brachii S. Stephani. fol. 559.

Ad Magn. *Ant.* 8. G.

Curavérunt Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum. *Act.* 8.

Fit Commem. de occur. si qua sit.

AD COMPLETORIUM.

Ut heri.

INTRA OCTAVAM.

AD MATUTINUM.

Invit. et Hymn. ut in die. Tres Psal. Ant. et ℣. unius Noct. diei sec. Fer. Lectiones de Script. cum suis ℟℟℟. ℣. Sacerd. ut in die.

AD LAUDES.

Psalmi et Cant. ut in die cum solâ primâ Ant. Cætera ut in die.

AD HORAS.

Omnia ut in Feriâ, exceptis quæ sequuntur.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 6.

STéphanus, plenus grátiâ et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo, et disputántes cum illo non póterant resístere sapiéntiæ et spirítui qui loquebátur.

℟. *br.* Dóminus, * Deus auxiliátor. Dóminus.

℣. Quis contradícet, quis est adversárius? *Is.* 50. * Deus. Glória Patri. Dóminus.

℣. Qui hábitat in adjutório Altíssimi,

℟. In protectióne Dei cœli commorábitur. *Ps.* 90.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 7.

LApidábant Stéphanum invocántem et dicéntem: Dómine Jesu, súscipe spíritum meum.

℟. *br.* Dómine, * Servus tuus exercebátur in justificatiónibus tuis. *Ps.* 118. Dómine.

℣. Príncipes Sacerdótum et pópulus prævaricáti sunt iníquè. 2. *Paral.* 36. * Servus. Glória Patri. Dómine.

℣. Incircumcísæ aures eórum.

℟. Verbum Dómini factum est eis in oppróbrium. *Jerem.* 6.

AD NONAM.

Capitulum. Joan. 14.

QUi credit in me, ópera quæ ego fácio, et ipse fáciet, et majóra horum fáciet.

℟. *br.* Mirábilis Deus in * Sanctis suis. Mirábilis.

℣. Ipse dabit virtútem et fortitúdinem. *Ps.* 67. * Sanctis. Glória Patri. Mirábilis Deus.

℣. Date glóriam Deo,

℟. Benedíctus Deus. *Ps.* 67.

AD VESPERAS.

Ps. et Ant. de Feriâ. Cap. Hymn. et ℣. de I. Vesp. Festi. Ant. ad Magn. *de II. Vesp.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Psalterio, omissis precibus.

IN DIE OCTAVA.

Semiduplex.

Ad I. Vesp. Ant. ad Magn. *de primis Vesp. Fest. Ad Matut. tertia Lectio ut sequitur.*

Sermo

S. Fulgéntii Epíscopi.

Serm. de S. Stephan.

Lectio iij.

NEcessárium nobis est, fratres charíssimi, agnóscere quibus armis præcinctus Stéphanus sævítiam Judæórum pótuit superáre, ut ita meruísset felíciter triumpháre... Stéphanus ergò, ut nóminis sui corónam meruísset accípere.... charitátem pro armis habébat, et per ipsam ubíque vincébat. Per charitátem Dei, sæviéntibus Judæis non cessit. Per charitátem próximi, pro lapidántibus intercéssit: per charitátem arguébat errántes ut corrigeréntur; per charitátem pro lapidántibus orábat ne puniréntur. Charitátis virtúte subníxus, vicit Saulum crudéliter sæviéntem: et quem habébat in terrâ persecutórem, in cœlo méruit habére consórtem.

℟. Nos * Ergò non ulciscámur nos pro his quæ pátimur. *Judith.* 8.

℣. Exaltábit Dóminus mansuétos in salútem. *Ps.* 149. * Ergò. Glória Patri. * Ergò.

AD LAUDES.

Psal. Cant. quinque Ant. etc. ut in die.

In II. Vesp. Ant. de II. Vesp. Festi. Cætera ut intrà Oct.

DIE IV.

IN SUSCEPT. RELIQ.

SS. EPIPHAN. ET ISID.

MARTYRUM.

Circà ann. 444.

Duplex tertiæ Classis.

Ut in Communi SS. Martyr. præter ea quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ, cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

THeodósio secúndo, Oriéntis Imperatóre, et Valentiniáno tértio in Occidénte impérium regénte, córpora sanctórum Mártyrum Epiphánii et Isidóri, quæ sancta Heléna, Constantíni Imperatóris mater, olim ab Hierosólymis retúlerat, ab eódem Theodósio, unà cum plúribus áliis insígnibus Relíquiis, máximè autem sancti Stéphani Protomártyris bráchio, missa sunt ad Gallam Placídiam, (quam álii Patríciam vocant,) Arcádii sorórem, et Valentiniáni matre, tértio nonas Augústi, anno Dómini quadringentésimo décimo quinto.

℟. Utraque * Sunt dona Dei. *Eccli.* 1.

℣. In nostram cedent possessiónem. *Judic.* 11. * Sunt dona Dei.

Lectio v.

EAdem verò sanctórum Martyrum ossa præ-

ad Celidónium felícis recordatiónis, Bisontínum Archipræsulem, détulit. Quæ quidem per eúmdem Archiepíscopum, summo cum honóre accépta sequénti die, seu quarto nonas Augústi, in Basílicâ sancti Stéphani, et nunc sancti Joánnis Evangelístæ, solémniter recóndita fuérunt. In cujus rei memóriam eorúmdem sanctórum Mártyrum festívitas prædictâ die háctenùs celebrári consuévit.

℟. Hoc honóre condígnus est, * Quemcúnque Rex volúerit honoráre. *Esth.* 6.

℣. Nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. * Quemcúnque.

Lectio vj.

POstmodùm autem anno Dómini millésimo trecentésimo vigésimo, Vitális secúndus piæ memóriæ, Bisontínus Antístes, quinto nonas Octóbris, eásdem Relíquias in capsâ argénteâ mirificè elaborátâ, magnâ cum solemnitáte repósuit. Hæc

nis Burgúndiæ Cómitis fíliâ, dono data est.

℟. Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, et * Nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37.

℣. Implébitur benedictiónibus. *Eccli.* 37. * Nomen illíus erit vivens in ætérnum. Glória Patri. * Nomen illíus erit vivens.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore, Accessérunt quidam Sadducæórum qui negant resurrectiónem. Et réliqua.

Homília S. Hierónymi Presbyteri, *Epist.* 75. *ad. Vigilant.*

DOlet Vigilántius Mártyrum Relíquias pretióso operíri velámine, et non vel pannis, vel cilício colligári, vel prójici in sterquilínium, ut solus Vigilántius ébrius et dórmiens adorétur. Ergò sacrílegi sumus, quandò Apostolórum Basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constántius Imperátor, qui sanctas Relíquias Andréæ, Lucæ, et Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, et inhabitatóres Vigilántii illórum se sentíre præséntiam confiténtur? Sacrílegus dicéndus est, et nunc Augústus Arcádius, qui ossa beáti Samuélis, longo pòst témpore de Judæâ tránstulit in Thráciam? Omnes Epíscopi non solùm sacrílegi, sed et fátui judicándi, qui rem vilíssimam, et cíneres dissolútos in sérico et in vase áureo portavérunt... Mórtuum suspicáris, et idcircò blasphémas. Lege Evangélium: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non est Deus mortuórum, sed vivórum.

℟. Non derelínques, (Dómine,) ánimam meam in inférno, * Notas mihi fecísti vias vitæ. *Psal.* 15.

℣. Ibit homo in domum æternitátis suæ, pulvis in terram suam undè erat, et spíritus ad Deum qui dedit illum. *Eccle.* 12. * Notas.

Lectio viij.

DIcis in libéllo tuo, quòd, dùm vívimus, mútuò pro nobis oráre póssumus; postquàm autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudiénda orátio, præsértim cùm Mártyres, ultiónem sui sánguinis obsecrántes, impetráre non quíverint. Si Apóstoli et Mártyres, adhuc in córpore constitúti, possunt oráre pro cæteris, quandò pro se adhuc debent esse sollíciti; quantò magis post corónas, victórias et triúmphos? Unus homo Móyses sexcéntis míllibus armatórum ímpetrat à Deo véniam; et Stéphanus imitátor Dómini sui, et primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur; et postquàm cum Christo esse cœperint, minùs valébunt? Paulus Apóstolus ducéntas septuaginta sex sibi dicit in navi ánimas condonátas; et postquàm resolútus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausúrus est, et pro his qui in toto orbe ad suum Evangélium credidérunt, mutíre non póterit?

℞. Longè est ab ímpiis * Dóminus; oratiónes justórum exáudiet. *Prov.* 15.

℣. Multùm enim valet deprecátio justi assídua. *Jacobi.* 5. * Dóminus.

Lectio ix.

MAléfacit ergò Románus Epíscopus, qui super mortuórum hóminum Petri et Pauli, secúndùm nos ossa veneránda, secúndùm te vilem pulvísculum, offert Dómino sacrifícia, et túmulos eórum Christi arbitrátur altária? Et non solùm uníus urbis, sed totíus orbis errant Epíscopi, qui caupónem Vigilántium contemnéntes, ingrediúntur Basílicas mortuórum, in quibus pulvis vilíssimus, et favilla, néscio quæ, jacet linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat; et quasi sepúlcra pharisáica foris dealbáta sint, cùm intùs immúndo cínere juxtà te immúnda ómnia óleant, atque sórdeant?... O porténtum in terras últimas deportándum!

℟. Oculi Dómini super justos; * Custódit Dóminus ómnia ossa eórum. *Ps.* 33.

℣. Ut sit memória illórum in benedictióne, et ossa eórum púllulent de loco suo. *Eccli.* 46. * Custódit. Glória Patri. * Custódit.

Oratio.

Deus, qui hunc diem honorábilem nobis in beatórum Epiphánii et Isidóri Reliquiárum susceptióne tribuísti; da, quæsumus, Ecclésiæ tuæ in hâc celebritáte lætitiam; ut quorum membra pio amóre venerátur in terris, eórum intercessióne sublevétur in cœlis. Per Dóminum.

Commem. seq.

Die v.

In Festo

S. DOMINICI.

Ann. 1221.

Semiduplex.

Ut in Communi SS. Monachorum.

IN NOCTURNO.

Lectio iij.

Dominicus Calarógæ in Hispániâ ex nóbili Gusmannórum famíliâ natus est. Inter Canónicos reguláres Oxoménsis Ecclésiæ cooptátus máxima ingénii ac virtútis specimina dedit, tùm in impietáte Mahumetanórum expugnándâ, tùm præcípuè in everténdis Albigénsibus hæréticis, qui Tolosátes pervértere conabántur: cui óperi, non sine crebro vitæ discrímine, per annos novem, verbo, précibus et miráculis incúbuit. Pósteà Romam venit ad Lateranénse Concílium, cum Epíscopo Tolosáno, ut Ordo, quem instituerat, ab Innocéntio tértio confirmarétur. Quæ res dùm in deliberatióne versátur, Domínicus hortátu Pontíficis ad suos revértitur, ut sibi régulam delígeret. Romam rédiens, ab Honório tértio, qui próximus Innocéntio succésserat, confirmatiónem

impetrat Ordinis Prædicatórum, qui tunc miríficè propagári cœpit. Bonóniæ, anno Christi ducentésimo vigésimo primo suprà millésimum, febre corréptus, charitátem, humilitátem, paupertátem frátribus testaménto relínquens, obdormívit in Dómino, octávo Idus Augústi: quem miráculis clarum pósteà Gregórius nonus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Multitúdinis erat cor unum et ánima una..... * Erant illis ómnia commúnia. *Act.* 4.

℣. Ecce quàm bonum et quàm jucúndum habitáre fratres in unum! * Erant. Glória. * Erant.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Domíníci illumináre dignátus es méritis et doctrínis; concéde, ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper profíciat increméntis. Per Dóminum.

Vesp. de sequenti.

Die VI.

In Festo

TRANSFIGURAT.

D. N. Jesu Christi.

Ann. 32.

Duplex tertiæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. unic. 1. D. Confundétur sol, cùm regnáverit Dóminus exercítuum in monte Sion, et in conspéctu senum suórum fúerit glorificátus. *Isa.* 24.

Capitulum. Isa. 4.

In die illâ erit germen Dómini in magnificéntiâ et glóriâ, et fructus terræ sublímis, et exultátio his qui salváti fúerint de Israël.

℟. Ecce * Osténdit Dóminus Deus noster majestátem et magnitúdinem suam. *Deut.* 5.

℣. Candor est enim lucis ætérnæ, et spéculum sine máculâ Dei majestátis, et imágo boni-

tátis illíus. *Sap.* 7. * Osténdit. Glória Patri. * Osténdit.

HYMNUS.

HOc, jussa quondam rúmpimus,
Festo die, siléntia:
Celáta dudùm jam decet
Vulgáre nos mystéria.
Montis sub alto vértice,
Tribus vocátis téstibus,
O Christe! visus háctenùs
Terris Homo, pates Deus.
Tuæ latens lucis jubar
Sacros in artus éfluit:
Vestis tuo te Númine,
Tibíque totus rédderis.
Cœlo tonánte, prótinùs
Audíta summi vox Patris:
Te, nube ruptâ, Fílium,
Quo gloriátur, ásserit.
Hic est Magíster ómnium,
Quem pronus orbis áudiat:
Siléte, mortáles; Deus
Qui nos docet, fatur Deus.
Qui, nube ruptâ, te palàm
Natum vocávit, laus Patri;
Tibíque Nato; nec minor
Laus utriúsque Flámini.
Amen.

℣. Apud te, Dómine, est fons vitæ,
℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. *Ps.* 35.

Ad Magn. *Ant.* 5. ç.
Magnália sapiéntiæ suæ decorávit qui est ante sæculum; quis satiábitur videns glóriam ejus? *Eccli.* 42.

Oratio ut infrà ad Laudes. Comm. S. Dominici.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Feriâ.

HYMNUS.

QUicúnque Christum quæritis,
Oculos in altum tóllite;
Illic licébit vísere
Signum perénnis glóriæ.
Hic ille Rex est Géntium,
Gentisque Rex Judáicæ,
Promíssus Abrahæ Patri,
Ejúsque in ævum sémini.
Qui, nube ruptâ, te palàm, etc. *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 7. ç.
Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparásti expectántibus te. *Is.* 64.

AD MATUTINUM.

Invitat. Splendórem glóriæ Dei Christum, *Venite, adorémus. *Heb.* 1.

Psal. Venite.

HYMNUS.

FOns lucis ætérnæ, Deus,
Qui nube nostri córporis
Das temperáti Núminis
Blandâ frui præséntiâ.

Cessánte jam miráculo,
Quo te premébas háctenùs,
Mortále quidquid súmpseras,
Splendóre circumfúnditur.

Rei geréndæ cónscius
Fidos sodáles éligis;
Ut qui tuæ testes necis,
Testes tuæ sint glóriæ.

Ad astra curru flámmeo
Qui raptus olim tránsiit;
Sub mole lucis óbrutus,
Vix te tuéndo sústinet.

E fronte qui lucem vibrat,
Cedit tuis fulgóribus:
Vetústa lex jam se pa-

Qui, nube ruptâ, te palàm, etc. *ut suprà.*

Psalm. et Ant. de Feriâ.

IN I. NOCTURNO.

℣. Dóminus ortus est nobis,

℟. Appáruit de monte. *Deut.* 33.

Lectiones de Scripturâ cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

℣. Quis in núbibus æquábitur Dómino?

℟. Glorificátur in concílio Sanctórum. *Psalm.* 88.

Sermo
Sancti Leónis Papæ.

94. *de Transfigur. Dom. cap.* 3.

Lectio iv.

APerit Dóminus coràm eléctis téstibus glóriam suam, et commúnem illam cum cæteris córporis formam tanto splendóre clarificat, ut et fácies ejus solis fulgóri símilis, et vestítus candóri

quidem principáliter agebátur, ut de córdibus Discipulórum crucis scándalum tollerétur; nec conturbáret eórum fidem voluntáriæ humílitas passiónis, quibus reveláta esset abscónditæ excelléntia dignitátis. Sed non minóre providéntiâ spes sanctæ Ecclésiæ fundabátur, ut totum Corpus Christi agnósceret, quali esset commutatióne donándum; ut ejus sibi honóris consórtium membra promítterent, qui in cápite præfulsísset.

℟. Ergò * Evacuátum est scándalum crucis. *Gal.* 5.

℣. Vocávit nos Deus vocatióne suâ sanctâ secúndùm grátiam, quæ manifestáta est per illuminatiónem Salvatóris nostri. 2. *Timot.* 1. * Evacuátum est.

Lectio v.

CONfirmándis verò Apóstolis, et ad omnem sciéntiam provehéndis, ália quoque in illo miráculo accéssit instrúctio. Moses enim et Elías, lex scílicet et Prophétæ, apparuérunt cum Dómino loquéntes, ut veríssimè in illâ quinque virórum præséntiâ complerétur, quod dictum est: In duóbus vel tribus téstibus stat omne verbum. Quid hoc stabílius, quid fírmius verbo, in cujus prædicatióne véteris et novi testaménti cóncinit tuba, et cum evangélicâ doctrínâ antiquárum protestatiónum instruménta concúrrunt? Adstipulántur enim sibi ínvicem utriúsque fœderis páginæ; et quem sub velámine mysteriórum præcedéntia signa promíserant, maniféstum atque perspícuum præséntis glóriæ splendor osténdit.

℟. Dómine, * Testimónia tua credibília facta snnt nimis. *Ps.* 92.

℣. Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est. 1. *Joan.* 5. * Testimónia tua.

Lectio vj.

HIs ergò sacramentórum revelatiónibus Petrus Apóstolus incitátus, mundána spernens, et terréna fastídiens, in æternórum desidérium

quodam mentis rapiebátur excéssu; et gáudio totíus visiónis implétus, ibi cum Jesu optábat habitáre, ubi manifestátâ ejus glóriâ lætabátur. Undè et ait : Dómine, bonum est nos hîc esse; si vis, faciámus hîc tria tabernácula : tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Sed huic suggestióni Dóminus non respóndit; signíficans non quidem ímprobum sed inordinátum esse quod cúperet. Cùm salvári mundus, nisi Christi morte, non posset, et exémplo Dómini in hoc vocarétur credéntium fides, ut, licèt non oportéret de beatitúdinis promissiónibus dubitári, intelligerémus tamen inter tentatiónes hujus vitæ priùs nobis toleràntiam postulándam esse, quàm glóriam, quia témpora patiéndi non potest felícitas prævenire regnándi.

℟. Quàm * Magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te! *Ps.* cùm apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sícuti est. 1. *Joan.* 3. * Magna. Glória. * Magna.

IN III. NOCTURNO.

℣. Hic est verus Deus,

℟. Et vita ætérna. 1. *Joan.* 5.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo témpore, Assúmit Jesus Petrum et Jacóbum et Joánnem fratrem ejus, et ducit illos in montem excélsum seórsùm, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilia

Sancti Leónis Papæ.

Serm. 94. *de Transfig. cap.* 7.

NUbes lúcida obumbrávit eos, et ecce vox de nube, dicens : Hic est Fílius meus in quo mihi benè complácui... Qui eam quam mecum habet æqualitátem non rapinà appétiit, nec usurpatióne præsúmpsit, sed manens in formâ glóriæ meæ, ut

múné consilium, usque ad formam servilem inclinávit incommutábilem deitátem.

℟. Veníte, * Audíte, omnes..... quanta fecit (Deus) ánimæ meæ. *Ps.* 65.

℣. Quid est homo, (Dómine,) quóniam visitas eum? *Ps.* 8. * Audíte, omnes.

Lectio viij.

HUnc ergò in quo mihi benè per ómnia pláceo, et cujus prædicatióne maniféstor, cujus humilitáte clarífico, incunctánter audíte; quia ipse est véritas et vita, ipse virtus mea, atque sapiéntia. Ipsum audíte, quem legis mystéria præenuntiavérunt, quem prophetárum ora cecinérunt. Ipsum audíte, qui sánguine suo mundum rédimit, qui diábolum ligat, et vasa ejus rapit, qui peccáti chirógraphum et prævaricatiónis pacta dirúmpit. Ipsum audíte, qui viam áperit ad cœlum, et per crucis supplícium gradus vobis ascensiónis parat ad regnum. Quid trepidátis rédimi? Quid pavétis, sáucii, liberári? Fiat quod, me volénte, vult Christus: abjícite carnálem formídinem, et fidéli vos armáte constántiâ: indígnum est enim ut in Salvatóris passióne timeátis, quod ipsíus múnere nec in vestro fine metuétis.

℟. Libénter * Exequémur servi tui. 2. *Reg.* 15.

℣. Appáruit enim grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus erúdiens nos. *Tit.* 2. * Exequémur.

Lectio ix. Cap. 8.

HÆc, dilectíssimi, non ad illórum tantùm utilitátem dicta sunt, qui ea própriis áuribus audiérunt, sed in illis tribus Apóstolis univérsa Ecclésia dídicit, quidquid eórum et aspéctus vidit et audítus accépit. Confirmétur ergò secùndùm prædicatiónem sacratíssimi Evangélii ómnium fides, et nemo de Christi cruce per quam mundus redémptus est erubéscat. Nec ídeò quis-

quam aut pati pro justítiâ tímeat, aut de promissórum retributióne diffídat, quia per labórem ad réquiem, et per mortem transítur ad vitam : cùm omnem humilitátis nostræ infirmitátem ille suscéperit, in quo, si in confessióne et in dilectióne ipsíus permaneámus, et quod vicit víncimus, et quod promísit accípimus; quia sive ad faciénda mandáta, sive ad toleránda advérsa, præmíssa Patris vox debet semper áuribus nostris intonáre dicéntis : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi benè complácui; ipsum audíte.

℟. Ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, Jesus passus est : * Exeámus, impropérium ejus portántes. *Hebr.* 13.

℣. Sit quoque cor nostrum perféctum, ut ambulémus in decrétis ejus, et custodiámus mandáta ejus. 3. *Reg.* 8. * Exeámus. Glória. * Exeámus.

℣. *Sacerd.* Veníte, et adoráte Dóminum in decóre sancto. 1. *Paralip.* 16.

℟. Dignus est Agnus accípere honórem et glóriam. *Apoc.* 5.

AD LAUDES.

Psal. et Ant. ut in Psalt. Cant. Benedíctus es. *fol.* 144.

Capitulum. Heb. 12.

VIdéte, ne recusétis loquéntem : si enim illi non effugérunt, recusántes eum qui super terram loquebátur, multò magis nos qui de cœlis loquéntem nobis avértimus.

HYMNUS.

JEsu, dulcédo córdium,
Fons vivus, lumen méntium,
Excédens ómne gáudium
Et omne desidérium;
Mane nobíscum, Dómine,
Et nos illústra lúmine,
Pulsâ mentis calígine,
Mundum replens dulcédine.
Quandò cor nostrum vísitas,
Tunc lucet ei véritas :
Mundi viléscit vánitas,
Et intùs fervet cháritas.

Jesu

Jesu mi bone, séntiam
Amóris tui cópiam:
Da mihi per præséntiam
Tuam vidére glóriam.

Quem tuus amor é-
briat,
Novit quid Jesus sápiat:
Quàm felix est quem sá-
tiat!
Non est ultrà quod cú-
piat.

Tu fons misericórdiæ,
Tu veræ lumen pátriæ,
Pelle nubem tristítiæ,
Dans nobis lucem glóriæ.
Amen.

℣. Audiam quid loquá-
tur in me Deus,

℟. Quóniam loquétur
pacem in plebem suam.
Psal. 84.

Ad Bened. *Ant.*

Deus qui dixit de té-
nebris lucem splendésce-
re, ipse illúxit in córdi-
bus nostris ad illumina-
tiónem sciéntiæ claritátis
Dei in fácie Christi Jesu.
2. *Cor.* 4.

Oratio.

FAc nos, quæsumus,
Dómine, ad illam tuæ
claritátis visiónem pertín-
gere, quam tuis hódiè
Discípulis in monte trans-
figurátus ostendísti. Qui
vivis, etc.

AD PRIMAM.

Psal. de Psalt.

HYMNUS.

QUàm nos poténter ál-
licis,
Te, Christe, quandò dé-
tegis!
Te quandò celas, pró-
vidus
Nobis peræquè cónsulis.

Hîc nos adóptat fílios
Qui te vocávit Fílium:
Sponsor futúræ glóriæ
Dat certa nobis pígnora.

E nube quid, Pater,
probas?
De monte, Fili, quid
doces?
Umbris procul cedénti-
bus
Restábat una véritas.

Ut jussa Patris ím-
pleas,
Mactánda mundo vícti-
ma,
Formam resúmens prísti-
nam
Mortalitáti rédderis.

* Fac, Christe, qui no-
bis lates,
Obscúra dùm regit fides,
Fracto solútos córpore
Nos te vidére, te frui.

Qui, nube ruptâ, etc.
ut suprà ad Vesp.

℟. *parv.* Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter, decórem induísti, amíctus lúmine sicut vestiménto. *Psalm.* 103.

AD ALIAS HORAS.

Hymnus.

* FAc, Christe, qui nobis lates, etc. *ut suprà.*

℣. *ut suprà.*

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Antiph. de Psalterio.

Allelúia, allel. ℣. Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. Allelúia. *Philip.* 3.

Prosa.

CElàta jamdúdùm terris
Reserántur mystéria;
Missi nobis Salvatóris
Revelátur et glória.
In alto vértice montis
Christus ut sol resplénduit;
Téstibus coràm eléctis
Verus Deus appáruit.
Christum in carne passúrum,
Fidéles, Deum crédite;
Divínâ luce decórum
Et mortálem agnóscite.
Ecce Moses adstat præsens,
Elías ecce cérnitur;
Lex vetústa jam recédens
Legi novæ compónitur.
Stupéte, mortáles! Deus
Nube ruptâ persónuit:
Fílius hic est diléctus,
In quo sibi complácuit.
Incunctánter hunc audíre
Jubes, Pater, mortálibus,
Qui dignátur aperíre
Viam cœli credéntibus.
Summe Deus, qui nos doces,
Mentes tibi fac dóciles;
Qui præcipis, da quod jubes,
Et nos róbora débiles.
Tu, Christe, qui redemísti
Mundum profúso sánguine,
Tuo, quo te vestiísti,
Da nos beári lúmine.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 4. f. Quandò véniam, et apparébo ante fáciem Dei? *Psal.* 41.

Commem. de sequenti et sancti Donati Martyr. et Episc. iv. sæc.

AD COMPLETORIUM.

Ut heri.

DIE VII.

IN FESTO

SANCTI DONATI,

EP. BISONT.

Ann. 660.

Duplex.

Ut in Communi, præter ea quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ occurrente cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CUm Jurénsis Burgúndiæ Dux Wandalénus, ejúsque conjux Flávia dudùm prole caruíssent, beátum Columbánum Luxoviénsem Abbátem enixè rogárunt, ut sibi à Deo sóbolem áliquam impetrárent. Itaque haud multo pòst témpore, Flávia másculum eníxa, eum ex voto ad Columbánum détulit, à quo de sacro fonte levátus, Donáti nomen accépit.

℟. Multùm * Valet deprecátio justi assídua. *Jacob.* 5.

℣. Nubes penetrábit, et Dóminus non elongábit. *Eccli.* 35. * Valet.

Lectio v.

CUm ígitur è curâ nutrícum Donátus excessísset, Monastério Luxoviénsi restitúitur, et post óbitum Protbádii Archiepíscopi Bisontíni, dignus succéssor elígitur. Ad Cathédram ergò Bisontínam evéctus, ex eâdem Columbáni régulâ Monastérium virórum in civitáte suâ constítuit, et Apóstoli Pauli nómine dedicávit.

℟. Erudítus es in juventúte tuâ, * Implétus es quasi flumen sapiéntiâ. *Eccli.* 47.

℣. Elégit te Dóminus ut ædificáres domum sanctuárii. 1. *Paral.* 28. * Implétus es.

Lectio vj.

IN eàdem civitáte sacrárum vírginum fundávit Cœnóbium, quibus præscrípsit singulári prudéntiâ régulam quæ étiamnum extat in códice regulárum ab Holsténio collectárum. Illud Cœnóbium vulgò Jussánum Monastérium appellátur. Ibi Flávia mater túmulum hábuit, et Sirúdis Donáti soror Abbatíssa éxtitit. Dénique Donátus pastoráli múnere multis annis egrégiè perfúnctus, excédens séptimo idus Augústi, corpus suum ad sancti Pauli, quam fundáverat, Ecclésiam, juxtà patrem Wandalénum appóni jussit.

℟. Hic * Mundus óbiit per ómnia in Dómino confídens. 2. *Mach.* 7.

℣. Pavit (hæreditátem Dei) in innocéntiâ cordis sui. *Ps.* 77. * Mundus. Glória Patri. * Mundus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ. 13. *in Evang.*

SAncti Evangélii, fratres charíssimi, apérta vobis est léctio recitáta; sed ne alíquibus ipsa ejus planíties alta fortássè videátur, eam sub brevitáte transcúrrimus, quátenùs ejus expositio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen sciéntibus non sit onerósa. Dóminus dicit: Sint lumbi vestri præcíncti; lumbos enim præcíngimus, cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus.

℟. Ergò * Debitóres sumus non carni, ut secúndùm carnem vivámus. *Rom.* 8.

℣. Non enim vocávit nos Deus in immundi-

tiam, sed in sanctificatiónem. 1. *Thess.* 4. * Debitóres.

Lectio viij.

SEd quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinùs ádditur : Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippè ardéntes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera, próximis nostris lucis exémpla monstrámus. De quibus profécto opéribus Dóminus dicit : Lúceat lux vestra coràm homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum qui in cœlis est.

℟. Quæ pacis sunt, sectémur; * Quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus. *Rom.* 14.

℣. Mandávit Deus unicuíque de próximo suo. *Eccli.* 17. * Quæ.

Lectio ix.

DUo autem sunt quæ jubéntur, et lumbos restríngere, et lucérnas tenére; ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen veritátis in operatióne... Redemptóri ætenim nostro, unum sine áltero placére nequáquam potest : si aut qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non déserit; aut is qui castitáte præéminet, necdùm se per bona ópera exércet. Nec cástitas ergò magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte.

℟. Habéntes promissiónes, * Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis et spíritûs, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei. 2. *Cor.* 7.

℣. Abundántes in ópere Dómini semper, sciéntes quòd labor... non est inánis in Dómino. 1. *Cor.* 15. * Mundémus. Glória Patri. * Mundémus.

Ad Laudes, Cant. de Comm.

Oratio.

DEus, qui beátum Donátum piis paréntibus miraculósè concessísti; fac ut quem bonum Pastórem habúimus, perpétuum apud te patrónum sentiámus. Per Dóminum.

Commem. S. Donati Mart. et Episc.

DIE VIII.

AD VESP. *fit Comm. S. Romani Martyris, ann.* 258.

DIE IX.

VIGILIA

SANCTI LAURENTII,

MART.

Ut in Feriâ occurrente, exceptis quæ sequuntur.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 16.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília Sancti Bernárdi Abbátis.

In Vigil. S. Andr.

S Anctiíssima ... niénda jejúniis : utíliter planè ; multa siquidem quotídiè peccáta contráhimus, et in multis offéndimus omnes; nec tutum omninò est celebrándas suscípere festivitátes sacras, nisi priùs abstinéntiæ purificatióne præmíssâ, quò et digniores et capacióres inveniámur spirituálium gaudiórum. Planè si rénuis affligere ánimam in vigíliâ, indígnus jure censéris réquie et exultatióne festívâ.

℟. Fílii diéi, non noctis, non dormiámus, sed * Vigilémus et sóbrii simus. 1. *Thess.* 5.

℣. Beáti servi quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. *Luc.* 12. * Vigilémus. Glória Patri. * Vigilémus.

Ad Bened. *Ant. de Psalterio, deindè Preces flexis genibus.*

Oratio.

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris; et intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus

córdiam benignus impénde. Per Dóminum.

Comm. sancti Romani Martyris. Oratio Grátiâ tuâ, etc. *fol.* xxvj.
Deindè suffragia.

Ad Horas, *ut in Psalterio, cum Precibus, flexis genibus.*

Oratio ut suprà.
Quandò hæc Vigil. incidit in Domin. anticipatur in Sab. et recitantur Evang. et Homil. Vigil. pro tertiâ Lect. Noct.

Die x.

In Festo

SANCTI LAURENTII,

Martyris.

Ann. 258.

Duplex tertiæ classis.

De Communi, præter ea quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ cum suis ℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Sermo
Sancti Leónis Papæ.

83. *in Nat. S. Laurent.*
Lectio iv.

CUm furor Gentílium Potestátum in electíssima quæque Christi membra sæviret, ac præcípuè eos qui órdinis erant Sacerdotális impéteret; in Levítam Lauréntium, qui non solùm in ministério Sacramentórum, sed étiam dispensatióne ecclesiásticæ substántiæ præeminébat, ímpius persecútor effèrbuit, dúplicem sibi prædam de uníus viri comprehensióne promíttens, quem si fecísset sacræ pecúniæ traditórem, fáceret étiam veræ Religiónis exórtem. Armátur ítaque gemínâ face homo pecúniæ cúpidus, et veritátis inimícus: avarítiâ, ut rápiat aurum; impietáte, ut áuferat Christum. Póstulat sibi ab immaculáto sacrárii Præsule opes ecclesiásticas, quibus avidíssimus inhiábat, inférri. Cui Levíta castíssimus, ubi

eas repósitas habéret ostténdens, numerosissimos sanctórum páuperum óbtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissíbiles condíderat facultátes; quæ tantò intégriùs erant salvæ, quantò sánctiùs probabántur expénsæ.

℟. Justus ab auditióne malâ non timébit; * Non commovébitur, donec despíciat inimícos suos. *Psal.* 111.

℣. Novit causam páuperum. *Prov.* 29. * Non commovébitur.

Lectio v.

FRemit ergò prædo frustrátus; et in ódium Religiónis quæ talem divitiárum usum instituisset, ardéscens, direptiónem thesáuri potióris aggréditur, apud quem nullam denariórum substántiam reperísset, ut illud depósitum, quo sacrátiùs erat dives, auférret. Renuntiáre Christo Lauréntium jubet, et solidíssimam illam Levítici ánimi fortitúdinem diris parat urgére suppliciis; quorum ubi prima nihil óbtinent,

Láceros artus, et multâ vérberum sectióne conscissos, subjécto præcipit igne torréri, ut per cratem férream, quæ jam de fervóre continuo vim in se habéret uréndi, conversórum altérnâ mutatióne membrórum, fíeret cruciátus veheméntior, et pœna prodúctior.

℟. Desidérium justórum omne bonum est; * Præstolátio impiórum furor. *Prov.* 11.

℣. Verba eórum insidiántur sánguini, víscera eórum crudélia. *Prov.* 12. * Præstolátio.

Lectio vj.

NIhil óbtines, nihil próficis, sæva crudélitas. Subtráhitur invéntis tuis matéria mortális; et Lauréntio in cœlos abeúnte, tu déficis. Flammis tuis superári charitátis Christi flamma non pótuit, et ségnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intùs accéndit. Sævísti, persecútor, in Mártyrem; sævísti, et auxísti palmam, dùm ággeras pœnam. Nam quid non ad victóriæ glóriam ingénium tuum ré-

transiérunt triúmphi, étiam instruménta supplícii? Gaudeámus igitur, dilectíssimi, gáudio spirituáli; et de felicíssimo ínclyti viri fine gloriémur in Dómino, qui est mirábilis in Sanctis suis, in quibus nobis et præsidium constítuit et exémplum, atque ita per univérsum mundum clarificávit glóriam suam, ut à solis ortu usque ad occásum, Leviticórum lúminum coruscánte fulgóre, quàm clarificáta est Hierosólyma Stéphano, tàm illústris fíeret Roma Lauréntio. (Notábilis pars ossis scápulæ sancti Mártyris ab Illustríssimo ac Reverendíssimo Dómino Indico de Avalos, Cardináli de Aragóniâ nuncupáto, titulári Ecclésiæ sancti Lauréntii in Lucínâ, dono data est Illustríssimo ac Reverendíssimo Cardináli António Granvelláno, qui Ornaco oriúndus, istud Oppidum pretióso hoc pignore decorávit, ubi summâ cum veneratióne asservátur.)

℟. Benedíctum * Nomen glóriæ tuæ sanctum, Dómine Deus, et laudábile, et superexaltátum in ómnibus sæculis. *Dan.* 3. ℣. Factus es fortitúdo páuperi, spes à túrbine. *Isaiæ.* 25. * Nomen. Glória Patri. * Nomen.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Et réliqua.

Homília
S. Augustíni Epíscopi.
Serm. 305. *in solemn. S. Laur. iv.* §. 1.

AGnóscit fides vestra granum quod in terram cécidit, et mórtuum multiplicátum est. Agnóscit, inquam, hoc granum fides vestra, quia ipsum hábitat in mente vestrâ. Hoc enim quòd de seipso dixerit Christus, nullus ámbigit Christiánus; sed planè illo mór-

tuo grano et multiplicáto, multa grana sunt sparsa in terram, ex quibus est et beátus Lauréntius, cujus seminatiónem hódiè celebrámus.

℟. Christus * Est primogénitus ex mórtuis, ut sit in ómnibus ipse primátum tenens. *Colos.* 1.

℣. Vivémus cum eo. 2. *Cor.* 13. * Est primogénitus.

Lectio viij.

DE illis autem granis sparsis toto orbe terrárum, quanta pulluláverit seges vidémus, gaudémus, sumus; si tamen et nos per illíus grátiam ad hórreum pertinémus. Neque enim ad hórreum pértinet quidquid in ségete est. Eadem quippè plúvia, útilis et nutritória, et tríticum pascit et páleam. Absit, ut simul utrúmque in hórreo recondátur, quamvis simul utrúmque in agro nutriátur, et simul utrúmque in áreâ triturétur.

℟. Et nobis nuntiátum est: * Ingrediémur enim in réquiem qui credídimus. *Heb.* 4.

℣. Si tamen in fide fundáti et stábiles, et immóbiles à spe Evangélii. *Coloss.* 1. * Ingrediémur.

Lectio ix.

NUnc tempus eligéndi est. Antequàm véniat ventilátio, fiat morum separátio: sicut in áreâ granum adhuc mundatióne discérnitur, nondùm ventilabro último separátur. Audite me, grana sancta; imò, audite primum granum per me. Nen amétis in hoc sæculo ánimas vestras. Nolíte amáre, si amátis, ut, non amándo, servétis; quia non amándo, plus amátis. Qui amat in hoc sæculo ánimam suam, perdet eam. Granum lóquitur; granum, quod in terram cécidit, et mortificátum est ut multiplicarétur; lóquitur: audiátur, quia non mentítur. Quod admónuit, ipse fecit; instrúxit præcépto, præcéssit exémplo.

℟. Si appropiávit tempus nostrum, * Moriámur in virtúte. 1. *Mach.* 9.

℣. Quia et Christus passus est pro nobis, relinquens exémplum. 1. *Pet*

℟.* Moriámur. Glória Patri. * Moriámur.

Ad Laudes. Cant. de Comm.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiórum nostrórum flammas extínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

DIE XI.

IN FESTO

S. CORONÆ SPINEÆ.

Ann. 1239.

Duplex tertiæ Classis, et trium Lectionum.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 5. a. Fília Jerúsalem, ecce Rex tuus véniet tibi justus et Salvátor, ipse pauper. *Zach.* 9.

Capitulum. Isa. 52.

INglórius erit inter vi-

℟. Non est spécies ei neque decor: * Vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum.

℣. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. *Isa.* 53. * Vídimus. Glória Patri. * Vídimus.

HYMNUS.

QUò forma cessit par Deo?
Non vultus idem, non decor:
Atro fluéntem sánguine,
Et ora fœdum vídimus.
Frons pro corónâ régiâ
Horret sub aspris vépribus:
Hæc illa, crudélis Sion,
Quæ serta nectis Príncipi?
Arúndo pro sceptro datur,
Durúsque pro throno lapis;
Quem vestit ætérnum jubar,
Ridénda vestit púrpura.
Qui sceptra Regum dívidit,
Ut scénicus rex lúditur:

* Orbi piándo qui parem
Offers Patri te víctimam,
O Christe, ne cassum tuæ
Sit Passiónis præmium.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus qui redémit, Fílio;
Qui nos fovet, laus Flámini:
Uni Deo sit glória. Amen.

℣. Verè languóres nostros ipse tulit,
℟. Et dolóres nostros ipse portávit. *Isa.* 53.

Ad Magn. *Ant.* 7. d. Mílites Præsidis suscipiéntes Jesum, et plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus, et arúndinem in déxterâ ejus. *Matth.* 27.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Commem. S. Laurentii.

AD COMPLETORIUM.

Psal. de Feriâ.

HYMNUS.

* ORbi piándo qui parem, *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 4. j. Pro eo quòd laborávit ánima ejus, vidébit, et saturábitur, in sciéntiâ suâ justificábit ipse multos. *Isa.* 53.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum spinis coronátum, * Venite, adorémus. *Matth.* 27.

Psal. Venite.

HYMNUS.

EXite, filiæ Sion,
Regis pudicæ vírgines;
Christi corónam cérnite,
Quam mater ipsa téxuit.
Horret, revulsis crínibus,
Spinis cruentátum caput;
Et vultus ille décolor
Mortem propinquam præcinit.
Quæ terra sulcis invia,
Dumis rigens et séntibus,
Lugúbre munus prótulit?
Quæ sæva méssuit manus?
Christi rubéscens sánguine,
Acúleos mutat rosis,
Palmámque vincens frúctibus,

Spina est triúmphis áptior.

Culpis satæ mortálium,
Te, Christe, spinæ vúlnerant:
Evélle nostras, córdibus
Tuásque nostris ínsere.

Olim Corónâ Spíneâ,
Sed jam Corónâ glóriæ
Cincto tibi, Jesu, decus,
Cum Patre et almo Flámine. Amen.

Quandò hoc Festum incidit in Domin. tres Psalmi cujuslibet Noct. Domin. dicuntur cum unico Glória Patri, *et Antiph. tertii Psalmi.*

In aliis verò diebus dicuntur Psal. de Psalterio secundùm Fer. cum tribus Glória Patri *et trib. Ant. quæ positæ sunt pro Officio trium Lection.*

℣. Exivit Jesus portans corónam spíneam,

℟. Et purpúreum vestiméntum. *Joan.* 19.

Lectio iij.

GRæcis Constantinópolim obsidéntibus, ad eam penúriam redácti sunt cives, ut de vendéndâ aut oppignerándâ Corónâ Spíneâ Dómini cogitárent. Nuntiávit hoc Balduínus Constantinopolitanórum Imperátor, in Gálliâ tunc agens, sancto Ludovíco Regi, enixè rogans illum, ut eam dono accíperet, non ausus eam ipsi prétio eméndam propónere. Ludovícus, grátiis Balduino actis, misit duos ex Ordine Prædicatórum, Andréam et Jacóbum, cum lítteris Balduíni præcipiéntis Barónibus ut Corónam Spíneam tráderent iis qui missi erant à Rege. Antequàm Constantinópolim advenírent, Corónam Venétis nómine pignoris obligáverant cives, eâ lege ut intrà certum tempus pecúniam tráditam rédderent, alióqui Venétis Coróna céderet. Corónam, lóculo sigíllis prócerum obsignáto, inclúsam déferunt Venétias, comitántibus Andréâ et Jacóbo, necnon Imperatóris núntiis, et depónunt eam in thesáuro Basílicæ sancti Marci. Relícto ibi Andréâ custóde, venit ad Regem Jacóbus cum núntiis, et factum expónit. Confèstìm núntios remísit Ludovícus, qui sacrum pignus prétio

redémptum in Gálliam asportárent. Trecas adventántibus occúrrit Rex cum matre et procéribus, reclúso lóculo, Corónam cum lácrymis cónspicit, et in eódem lóculo repósitam sigíllo suo obsígnat. Progréditur indè Sénonas in cujus urbis áditu Rex nudis pédibus, solâ indútus túnicâ, suis húmeris infert Corónam ad Seniórem sancti Stéphani Basílicam. Hinc Parísios conténdit; et, extrúcto juxtà Basílicam sancti Antónii in campis tabuláto, fidélium óculis venerándum pignus expónit. Pósteà in Sacéllo Régio sancti Nicólai ipsam cóllocat. Ac demùm ædificátâ in eódem loco magnificentíssimâ Capéllâ, sacram ibi depónit Corónam, institútis ibídem Canónicis et Capellánis. Mirum id áccidit, ut in tàm longo itínere, quamvis sæpè noctu plúeret, intérdiù tamen ne mínimum quidem plúviæ ceciderit. Habebátur in Ecclésiâ Metropolitánâ Bisontínâ una è Spinis hujus sanctíssimæ Corónæ.

℟. Eum, qui módicò quàm Angeli minorátus est, * Vidémus Jesum propter passiónem mortis glóriâ et honóre coronátum. *Heb.* 2.

℣. Magnificéntia tua, Deus, in diadémate cápitis illíus sculpta. *Sap.* 18. * Vidémus. Glória Patri. * Vidémus.

℣. *Sac.* Opórtet Christum regnáre, donec ponat Deus inimícos sub pédibus ejus. 1. *Cor.* 15.

℟. Regnum tuum, Dómine, regnum ómnium sæculórum. *Psal.* 144.

AD LAUDES.

Psalm. et Ant. de Psaltério. Cant. Confitébor. *fol.* 117.

Capitulum. Coloss. 2.

CHristus expólians principátus et potestátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphans illos in semetípso.

HYMNUS.

CHristi cruéntæ spléndida príncipum
Non certet unquàm púrpura púrpuræ:
Junco palústri sceptra cedant,

Textílibus diadéma spinis.
His fretus armis, victor ahéneos
Postes revúlsit, cláustraque tártari;
Cœtúsque captívos piórum
In pátrias revocávit arces.
Quin et premébat quos fera sérvitus,
Tristi geméntes erípuit jugo;
Et nocte damnátos profúndâ,
Ad súperas dedit ire sedes.
Hæc tincta cæsi sánguine prædicat
Dei supéllex: hinc áliam nefas
Ambíre gazam Christiánis,
Morte quibus rediménda vita.
Qui nos creávit, máxima laus Patri;
Qui nos redémit, máxima Fílio;
Qui consecrándo nos inúngis,
Par tibi laus, utriúsque nexus. Amen.

℣. Data est ei coróna,
℟. Exívit vincens ut vínceret. *Apoc.* 6.

Ad Bened. *Ant.*
Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga æquitátis, virga regni tui. *Heb.* 1.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi, Corónam ejus Spíneam venerámur in terris, ab ipso glóriâ et honóre coronári mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

LEgis figúris píngitur
Christi Coróna nóbilis:
Impléxa spinis víctima,
Ardénsque testátur rubus.
Arcam coróna cínxerat,
Mensæque sacræ círculum;
Arámque thure fúmidam
Coróna nectit ámbiens.
* Christi dolórum cónscia
Salve, Coróna glóriæ,

Gemmis et auro púl-
chrior,
Vincens corónas síderum.
Olim Corónâ spineâ,
Sed jam Corónâ glóriæ
Cincto tibi, Jesu, decus,
Cum Patre, et álmo Flá-
mine.
Amen.

℟. *parv.* Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, Regem in diadémate quo coronávit illum mater sua. *Cant.* 3.

AD ALIAS HORAS.

Hymnus.

* CHristi dolórum cónscia, *ut suprà.*

℟. *parv. ut suprà.*

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Ant. ut in Psalterio.

Allelúia, allel. ℣. Glóriâ et honóre coronásti eum, Dómine; ómnia subjecísti sub pédibus ejus. Allelúia. *Ps.* 8.

Prosa.

IMperans Christe Régi-
bus,
Quæ te manent ludíbria?
Horret sub aspris vépri-
bus
Frons, pro corónâ régiâ.
Olim Pater credéntium
In figúris te víctimam
Víderat, sertis véprium
In arâ crucis híspidam.
Ah! Christe, quarè
plécteris?
Miser ego delíqueram:
Cur séntibus compúnge-
ris?
Ego spinas collégeram.
Quæ nobis foret glória
His vulnerári spículis!
Fodi, quæ foret grátia,
Qui te compúngunt sti-
mulis!
O Jesu! quæ nos vúl-
nerant
Spinas evélle córdibus;
Spinæ quæ te dilácerant
Nos ábluant à sórdibus.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 1. g.

Ecce venit cum núbibus, et vidébit eum omnis óculus, et qui eum pupugérunt. *Apoc.* 1.

Commem. de sequenti.

AD COMPLETORIUM.

Ut heri.

Du

DIE XII.

IN FESTO

SANCTÆ CLARÆ,

VIRGINIS.

Ann. 1253.

Simplex.

IN NOCTURNO.

Lectio iij.

CLara nóbili génere Assísii in Umbriâ nata, facultátibus in páuperes erogátis, sæculo renúncians, arctissimam vitæ ratiónem cum plúribus áliis sociábus ampléxa est. Ita paupertátis amans fuit, ut nullas omninò habére possessiónes Monastérium volúerit, oblatósque à Gregório nono réditus recusáverit. Saracénis Assísium obsidéntibus, Clara etsi infirma ad portam duci vóluit, et præférri cápsulam in quâ sanctíssima Euchanístia servabátur. Coràm Christo prostráta et orans obtínuit, ut Saracéni divínitùs térriti per ipsos quos conscénderant muros fúgerint. Tandem cùm annis ferè quadraginta duóbus Monastérium rexísset, óbiit in Dómino.

℟. Majóres divítias æstimans thesáuro Ægyptiórum, impropérium Christi, * Fide relíquit Ægyptum. *Heb.* 11.

℣. Flétibus et lúctui apta induménta suscépit, corpus suum humiliávit jejúniis. *Esth.* 14. * Fide. Glória Patri. * Fide.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui mundi contémptum te diligéntibus inspirásti; da nobis in festivitáte beátæ Claræ Vírginis, ejus intercessióne terréna despícere, et tibi soli firmiter adhærére. Per Dóminum.

DIE XIII

IN FESTO

SS. HIPPOLYTI ET SOC.

MARTYRUM.

Ann. 258.

Semiduplex.

IN NOCTURNO.

Ex Mart. Bed. et Usuar.

Lectio iij.

BEátus Hippólytus Martyr, pro confessiónis

glóriâ, jubénte Valeriáno præside, alligátus indómitis equis, per loca spinis et cárduis cónsita raptátus, emísit spíritum. Passa est étiam Concórdia nutrix ejus, quæ ante ipsum plumbátis cæsa, Martyrio coronáta est. Alii decem et novem de domo ejus simul decolláti sunt.

℟. Si coràm homínibus torménta passi sunt, * Spes illórum immortalitáte plena est.

℣. In paucis vexáti, in multis benè disponéntur. *Sap.* 3. * Spes illórum. Glória Patri. * Spes illórum.

Oratio.

EXáudi nos, Dómine, Mártyrum tuórum, Hippólyti et Sociórum victórias celebrántes; ut córdibus ex eórum passióne succénsis, in lege tuâ fidéliter ambulémus. Per Dóminum.

DIE XIV.
IN VIGILIA
ASSUMPTIONIS.

Ut in Feriâ, præter ea quæ sequuntur.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 11.

IN illo témpore, Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turbâ, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília
Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. Cap. 49. in Luc. 11.

EXtollámus vocem cum Ecclésiâ cathólicâ, cujus hæc múlier typum gessit; extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri: (Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti.) Verè enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait: Eníxa est puérpera Regem, qui cœlum terrámque regit per sæcula. (Quinimò beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.) Pulchrè Salvátor attestatióni mulíeris ánnuit, non eam tantúmmodò, quæ Verbum Dei corporáliter generáre meruerat, sed et omnes, qui idem Verbum spirituáliter audítu fidei

concípere, et boni óperis custódiâ, vel in suo, vel in proximórum corde párere, et quasi álere studúerint, assevérans esse beátos; quia et éadem Génitrix, et indè quidem beáta, quia Verbi incarnándi minístra facta est temporális; sed indè multò beátior, quia ejúsdem semper amándi custos manébat ætérna.

℟. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus, * Quóniam loquétur pacem in plebem suam. *Ps.* 84.

℣. Fons sapiéntiæ, verbum Dei. *Eccli.* 1. * Quóniam. Glória Patri. * Quóniam.

Dicuntur Preces, flexis genibus.

Oratio.

DEus, qui virginálem úterum beátæ Maríæ in quo requiésceres, elígere dignátus es; da nobis Assumptiónis ejus solémnia præveniéntibus, dignum in córdibus nostris habitáculum tuæ præparáre Majestáti. Qui vivis et regnas.

Si hæc Vigilia venerit in Dominicâ, fit ejus Commemoratio ad Laudes, in Sabb. præced. per Hom. sup. positam; non dic. ℟. *sed sumitur Ant. et* ℣. *de Fer. cum Orat. ut sup.*



DIE XV.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRG.

1. *Sæc.*

DUPLEX I. CLASSIS.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum cæteris. fol.* iij.

Ant. 6. F. In plenitúdine sanctâ admirábitur, et in multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur. *Eccli.* 24.

Ant. 4. E. Erit quasi olíva glória ejus, et odor ejus ut Líbani. *Osee.* 14.

Ant. 7. G. Glória Dómini cólliget te, et Dóminus implébit splendóribus ánimam tuam. *Isa.* 58.

Ant. 3. a. Circúmdabit te Deus diplóide justítiæ,

Ant. 5. C. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, diadéma regni in manu Dei tui, quia complácuit Dómino in te. *Isa.* 62.

Capitulum. Apoc. 11. *et* 12.

APértum est templum Dei, et signum magnum appáruit in cœlo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Ecce * Repléta erat glóriâ Dómini domus. *Ezech.* 43.

℣. Visa est arca testa-

Hymnus.

O Vos æthérei, pláudite, cives :
Hæc est illa dies clara triúmpho,
Quâ Matrem plácidâ morte solútam
Natus sidéreâ súscipit aulâ.
Quæ non, Virgo, tibi dona repéndit!
Cœli divítias éxplicat omnes :
Verbum vestíeras carne; vicíssim
Te Verbum próprio lúmine vestit.
Qui velo látuit carnis, apérti
Pleno te sátiat Núminis haustu;
Et quem virgíneo lacte cibásti,
In jugem tibi dat se Deus escam
* O concéssa tibi quanta potéstas!
Per te quanta venit grátia terris!
Cunctis cœlítibus célsior una,
Solo facta minor, Virgo, Tonánte.
Quæ Regina sedes próxima Christo,
Alto de sólio vota tuórum
Audi: namque potes fléctere Natum,
Virgo mater; amas nos quoque natos.
Divínæ Sóboli, qui dare Matrem
In terris vóluit, glória Patri;
Cujus Virgo parens, glória Nato;
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen.
Amen.

℣. Glória Líbani data est ei,
℟. Decor Carméli et Saron. *Isa.* 35.

Ad Magn. *Ant.* 5. F.

Cláritas Dei illumináyit eam, et lucérna ejus est Agnus. *Apoc.* 21.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

* O Concéssa tibi quanta potéstas! etc. *ut sup. usque ad fin.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. F.

Nominábitur tibi nomen tuum à Deo in sempitérnum, pax justítiæ, et honor pietátis. *Baruc.* 5.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem surgéntem in occúrsum Matris, * Veníte, adorémus. 3. *Reg.* 2.

Psal. Veníte.

Hymnus.

PAráta cùm te póscerent,
O Virgo, cœli præmia,
Purum sacrátis ártubus
Amor resólvit spíritum.

Sed victa partu mors tuo
Te labis expértem nequit,
Suis nec audet stringere
Vitæ paréntem néxibus.

* O qualis inter óbvios
Regína scandit cœlites!
Quàm pulchra, celsæ próxima
Sedi Tonántis ássidet!

Amícta sole fémina,
Lunámque subjéctam premens,
Bisséna cui cingunt caput
Fulgóre miro sídera.

O tu, cliéntûm cui preces,
Patróna, placátum velis.

Sit nostra per te laus Patri,
Tuóque grata Fílio,
Et utriúsque Flámini,
In sæculórum sæcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psalm. Dómine, quis habitábit. *fol.* 80.

Ant. Quis requiéscet in monte sancto tuo, Dómine? Qui ingréditur sine máculâ.

Psal. Dómini est terra. *fol.* 87.

Ant. Quis ascéndet in montem Dómini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus et mundo corde.

Psal. Benedixísti. *fol.* 87.

Ant. Propè timéntes eum salutáre ipsius:

℣. Misericórdia Dómini timéntibus eum,

℟. Fecit poténtiam, et exaltávit húmiles. *Luc.* 1.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 24.

IN ómnibus réquiem

mihi Creátor ómnium, et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

℟. Plácuit (Regi), et * Invénit grátiam in conspéctu illíus.

℣. Pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre. *Esth.* 2. * Invénit.

Lectio ij.

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificátâ simíliter requiévi; et in Jerúsalem potéstas mea, et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. Multæ * Fíliæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31.

℣. Sit Dóminus benedíctus, cui complacuísti, et pósuit te super thronum. 3. *Reg.* 10. * Fíliæ.

Lectio iij.

QUasi cedrus exaltáta

Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxtà aquam in pláteis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. Factus est in pace locus ejus, et * Habitátio ejus in Sion. *Ps.* 75.

℣. Astitit Regína à dextris tuis, (Deus,) in vestítu deauráto circúmdata varietáte. *Ps.* 44. * Habitátio. Glória Patri. * Habitátio.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Deus noster. *fol.* 204.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus, Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ps. Fundaménta. *fol.* 206.

Ant. Homo natus est in eâ, et ipse fundávit eam Altíssimus.

Ant. Adducéntur Virgines post eam, próximæ ejus afferéntur in lætitiâ et exultatióne.

℣. Rex pósuit thronum ejus

℟. Super thronum Regum. 4. *Reg.* 25.

Sermo

Sancti Bernárdi Abbátis.

In Assumpt. B. M. V. § 1.

Lectio iv.

VIrgo hódiè gloriósa cœlos ascéndens, supernórum gáudia cívium copiósis sine dúbio cumulávit augméntis. Hæc est enim, cujus salutatiónis vox et ipsos exultáre facit in gáudio, quos matérna adhuc víscera claudunt. Quòd si párvuli necdùm nati ánima liquefácta est, ut María locúta est; quid putámus quænam illa fúerit cœléstium exultátio, cùm et vocem audíre, et vidére fáciem, et beátâ ejus frui præséntiâ meruérunt? Nobis verò, charíssimi, quæ in ejus Assumptióne solemnitátis occásio, quæ causa lætítiæ, quæ matéria gaudiórum! Maríæ præséntiâ totus illustrátur orbis; ádeò ut et ipsa jam cœléstis pátria clàriùs rútilet virgíneæ lámpadis irradiáta fulgóre. Méritò proindè résonat in excélsis gratiárum áctio et vox laudis, sed plangéndum nobis quàm plaudéndum magis esse vidétur.

℟. Vidérunt eam, et * Beatíssimam prædicavérunt, et laudavérunt eam. *Cant.* 6.

℣. Cóntulit illi Dóminus splendórem, ut incomparábili decóre ómnium óculis apparéret. *Judith.* 10. * Beatíssimam.

Lectio v.

QUantùm enim de ejus præséntiâ cœlum exúltat, numquid non cónsequens est, ut tantùm lúgeat hic noster inférior mundus ejus abséntiam? Cesset tamen queréla nostra, quia nec nobis hîc est manens cívitas, sed eam inquírimus, ad quam hódiè María benedícta pervénit. In quâ si conscrípti cives sumus, dignum profécto est étiam in exílio, étiam super flúmina Babylónis, ejus nos recordári, ejus nos communicáre gáudiis,

ejus participáre lætítiam, maximèque eam quæ tàm copióso ímpetu lætíficat hódiè civitátem Dei, ut sentiámus et ipsi stillicídia stillántia super terram. Præcéssit nos Regína nostra; præcéssit, et tàm gloriósè suscépta est, ut fiduciáliter sequántur Dóminam sérvuli clamántes : Trahe nos; post te in odórem unguentórum tuórum currémus.

℟. Memoráre diérum humilitátis tuæ, et * Tu ínvoca Dóminum, et lóquere Regi pro nobis. *Esth.* 15.

℣. In hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes. 2. *Cor.* 5. * Tu ínvoca.

Lectio vj.

ADvocátam præmísit peregrinátio nostra, quæ tanquam Júdicis Mater, et Mater misericórdiæ, supplíciter et efficáciter salútis nostræ negótia pertractábit. Pretiósum hódiè munus terra nostra diréxit in cœlum, ut dando et accipiéndo, felíci amicitiárum fœdere copuléntur humána divínis, terréna cœléstibus, ima summis. Illò enim ascéndit fructus terræ sublímis, undè data óptima et dona perfécta descéndunt. Ascéndens ergò in altum Virgo beáta, dabit ipsa quoque dona homínibus: quidni daret? síquidem nec facúltas ei deésse póterit, nec volúntas. Regína cœlórum est, miséricors est, dénique Mater est unigéniti Fílii Dei : nihil enim sic potest potestátis ejus, seu pietátis magnitúdinem commendáre, nisi fortè, aut non créditur Dei Fílius honoráre Matrem, aut dubitáre quis potest omninò in afféctum charitátis transísse Maríæ víscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, cháritas, novem ménsibus corporáliter requiévit.

℟. Ergò * Adeámus cum fidúciâ ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur. *Heb.* 4.

℣. Dixit Rex : Pete, Mater mea, neque enim fas est ut avértam fáciem tuam. 3. *Reg.* 2. * Adeámus. Glória Patri. * Adeámus.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Dóminus regit me. *fol.* 149.

Ant. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: in loco páscuæ ibi me collocávit.

Psal. Inclína, Dómine. *fol.* 213.

Ant. Magnus es tu, et fáciens mirabília; tu es Deus solus.

Divis. Psalm. Deduc me. *fol.* 214.

Ant. Glorificábo nomen tuum in ætérnum, quia misericórdia tua magna est super me.

℣. Dóminus non deséruit sperántes in se:

℟. In ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam. *Judith.* 13.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore, Intrávit Jesus in quoddam

Homília
Sancti Bernárdi Abbátis.
In Assumpt. B. M. V. serm. 1. §. 3.

QUem in castéllum mundi hujus intrántem priùs María suscéperat, ab eo suscípitur hódiè sanctam ingrédiens civitátem. Sed cum quanto putas honóre, cum quantâ putas exultatióne, cum quantâ glóriâ? Nec in terris locus dígnior úteri virginális templo, in quo Fílium Dei María suscépit; nec in cœlis regáli sólio, in quo Maríam hódiè Maríæ Fílius sublimávit. Felix nimirùm útraque suscéptio, ineffábilis útraque, quia útraque inexcogitábilis est. Ut quid enim ea hódiè in Ecclésiis Christi evangélica léctio recitátur, in quâ múlier benedícta in muliéribus excepísse intellígitur Salvatórem? Credo, ut hæc quam celebrámus ex illâ susceptióne aliquátenùs æstimétur, imò ut juxtà illius inæs-

lem, * Tu, honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

℣. Surréxit Rex in occúrsum ejus, positúsque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad déxteram ejus. 3. *Reg.* 2. * Tu, honorificéntia.

Lectio viij.

QUis enim, etiámsi linguis hóminum Angelorúmque loquátur, explicáre queat, quemádmodùm superveniénte Spíritu, obumbránte virtúte Altíssimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia; et Dóminus majestátis, quem non capit univérsitas creatúræ, intrà virgínea sese cláuserit víscera factus homo? Sed et illud quis vel cogitáre suffíciat, quàm gloriósa hódiè mundi Regína procésserit, et quanto devotiónis afféctu tota in ejus occúrsum cœléstium legiónum prodíerit multitúdo, quibus ad thronum glóriæ cánticis sit dedúcta! Quàm plácido vultu, quàm serénâ fácie, quàm lætis ampléxibus suscépta à Fílio, et super omnem exaltáta creatúram! cum eo honóre quo tanta Mater digna fuit, cum eâ glóriâ quæ tantum décuit Fílium!

℟. Posuísti, (Dómine,) in cápite ejus corónam de lápide pretióso; * Magna est glória ejus. *Psal.* 20.

℣. Quis súfficit enarráre? *Eccli.* 18. * Magna est.

Lectio ix.

FElícia prorsùs óscula lábiis impréssa lacténtis, cui virgíneo Mater applaudébat in grémio. Verùm numquid non felicióra censébimus, quæ ab ore sedéntis in dexterâ Patris hódiè in beátâ salutatióne suscépit, cùm ascénderet ad thronum glóriæ, epithalámium canens, et dicens: Osculétur me ósculo oris sui. Christi generatiónem, et Maríæ Assumptiónem quis enarrábit? Quantùm enim grátiæ in terris adépta est præ cæteris, tantùm et in cœlis óbtinet glóriæ singuláris. Quòd si óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus diligén-

tibus se; quod præparávit gignénti se, et (quod ómnibus est certum,) diligénti præ ómnibus, quis loquátur? Felix planè María, et multiplíciter felix, sive cùm éxcipit Salvatórem, sive cùm à Salvatóre suscípitur. Utrobíque miránda dígnitas Vírginis Matris, utrobíque amplectánda dignátio majestátis.

℟. Ave, grátiâ plena, * Dóminus tecum. *Luc.* 1.

℣. Benedíctus Dóminus, quia hódiè nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. * Dóminus. Glória Patri. * Dóminus.

℣. *Sacerd.* Magnificáte Dóminum mecum. *Psal.* 33.

℟. Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam. *Tob.* 13.

AD LAUDES.

in sæcula sæculórum laudábunt te.

Ps. Exaltábo te. *fol.* 10.

Ant. Psállite Dómino, Sancti ejus, et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Psalm. Jubiláte. *fol.* 11.

Ant. Introíbo in domum tuam in holocáustis; reddam tibi vota mea quæ distinxérunt lábia mea.

Canticum. Judith. 13.

BEnedíxit te Dóminus in virtúte suâ, * quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

Benedícta es tu, fília, à Dómino Deo excélso, * præ ómnibus muliéribus super terram.

Benedíctus Dóminus, * qui creávit cœlum et terram;

Qui te diréxit * in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum:

Quia hódiè nomen tuum ita magnificávit, *

filia, à Dómino Deo excélso.

Psal. Laudáte Dóminum de cœlis. *fol.* 16.

Ant. Hymnus ómnibus Sanctis ejus, fíliis Israël; pópulo appropinquánti sibi.

Capitulum. Cant. 6.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol?

HYMNUS.

QUæ cœlo nova nunc ádditur hospes?
Sese tota poli régia pandit:
Ruptis Virgo parens libera vinclis,
Charo se próperat réddere Nato.
Quantùm delítuit páupere tecto,
Tantùm spléndida nunc fulget in astris:
Se veláre quibus Mater amábat,
Densas Natus amat rúmpere nubes.
Cum Matris títulis integra Virgo.
Ancíllæ tribuit quæ sibi nomen,
Cœlésti dóminans regnat in aulâ;
Quæ tot passa neces prolis amóre,
Jam secúra, suâ prole triúmphat.
Nostras, tu nova lux, díscute noctes;
Tu, Regína, graves solve caténas;
Cæcos, Stella maris, dirige cursus;
Da, quo tu frúeris, cérnere Natum.
Divínæ Sóboli, qui dare Matrem
In terris vóluit, glória Patri;
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Tota pulchra es;
℟. Mácula non est in te. *Cant.* 4.

Ad Bened. *Ant.*

Deus, ad beátæ Maríæ semper Vírginis gáudia ætérna pertíngere, de cujus venerándâ Assumptióne tríbuis ánnuâ solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

AD HORAS.

Hymnus.

*O Qualis, etc. *ut suprà ad Matut.*

Psalmi de Dominicâ.

℟. *parv.* Dóminus dedit illi testaméntum regni, et sedem glóriæ. *Eccli.* 47.

Oratio ut suprà.

AD II. VESPERAS.

Psal. Laudáte, púeri, Dóminum. *fol.* 35.

Ant. 1. g. Quis sicut Dóminus, qui in altis hábitat, et humília réspicit in cœlo et in terrâ?

Psalm. Lætátus. *fol.* 101.

Ant. 5. a. Illùc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini.

Ant. 7. d. Ad te levávi óculos meos, qui hábitas in cœlis.

Psalm. Crédidi. *fol.* 153.

Ant. 4. A. O Dómine! ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Psal. Confitébor... quóniam audísti. *fol.* 154.

Ant. 3. a. Cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini, quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit.

Alleluia, allel. ℣. Effúlsit in templo Dei, quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis. Allelúia. *Eccli.* 50.

Prosa.

PLaudámus cum superis:
Arca novi fœderis
Templo sedet glóriæ.
Alto regnat sólio
Juncta Mater Fílio,
Párticeps victóriæ.
Quos est passa pécto-re,
Quanto Natus fœnore

Solo minor Númine,
Quot bonis exúberat!
Ipsa fit fons grátiæ,
Quæ fontem justítiæ
Sinu suo prótulit.
Quis per Matrem Filium
Rogávit auxílium,
Et dona non rétulit?
Virgo cœlo célsior,
Angelísque púrior,
Nobis sis propítia.
Regnet in pectóribus,
Regnet in opéribus,
Quâ dives es, grátia.
Te tota gens óbsecrat,
Tibi se Rex cónsecrat,
Et suum impérium.
~~Salva Regem~~ Gálliæ,
Ama dici pátriæ
Tutum patrocínium.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 2. A.

María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab eâ. *Luc.* 10.

AD COMPLETORIUM.

Ut heri, præter ea quæ sequuntur.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. F.

INTRA OCTAVAM.

AD MATUTINUM.

Invit. et Hymn. ut in die; Ant. Psal. et ℣. ut in uno ex Noct. Festi sec. Fer. Lectiones de Script. occur. ℣. Sacerd. ut in die.

AD LAUDES.

Psalmi et Cant. ut in die, cum primâ Ant. Laud. Cap. Hymn. ℣. Ant. ad Benedict. *et Orat. ut in die.*

AD HORAS.

Hymn. et Ps. de Feriâ. In fine Hymn. Qui natus es, etc.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Mariâ Vírgine.

AD TERTIAM.

Capitulum. Cant. 8.

Quæ est ista quæ ascéndit de desérto delíciis áffluens, innixa super diléctum suum?

℣. Ascéndit sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris. *Cant.* 3. * Arca. Glória Patri. Ecce.

℣. Glória filiæ Regis ab intùs,

℣. In fímbriis áureis circumamicta varietátibus. *Psal.* 44.

AD SEXTAM.

Capitulum. 3. *Reg.* 10.

REgína ingréssa Jerúsalem multo cum comitátu et divítiis, venit ad Regem.

℟. *br.* Lætáta est Sion, et * Exultavérunt filiæ Judæ. *Psal.* 96. Lætáta.

℣. Benedixérunt eam omnes. *Judith.* 15. * Exultavérunt. Glória. Lætáta.

℣. Omnium óculis amábilis videbátur,

℟. Rex pósuit diadéma regni in cápite ejus. *Esth.* 2.

AD NONAM.

℟. *br.* Memoráre diérum humilitátis tuæ, et * Invoca Dóminum. Memoráre.

℣. Lóquere Regi pro nobis. *Esth.* 15. * Invoca. Glória Patri. Memoráre.

℣. Vultum tuum deprecabúntur

℟. Omnes dívites plebis. *Psal.* 44.

AD VESPERAS.

Ant. et Psalm. ut in Psalt. secund. Feriam. Cap. Hymn. et ℣. ut in I. Vesp. Ant. ad Magn. *de II.*

AD COMPLETORIUM.

Ut in Psalt. omissis Precib. In fine Hymn. Qui natus.

DIE XVI.

IN FESTO

SANCTI ROCHI.

IN NOCTURNO.

Lectio iij.

ROchus, in civitáte Montispéssuli equéstri génere natus, mórtuis patre et matre, facultátes suas magnâ ex parte paupéribus erogávit. Romam aliásque Itáliæ urbes péragrans, miram laborántibus peste, quæ tunc grassabátur, óperam exhibuit; multos étiam crucis impressióne sanávit. Revérsus in pátriam, tanquam explorátor in cárcerem conjícitur, in quo per quinquénnium acerbíssima quæque patiénter perpéssus, óbiit eâ sanctitátis opinióne, ut pópulus ad eum confúgeret pro obtinéndâ sanitáte peste laborántibus. Quod item fecérunt Patres Concílii Constantiénsis: cùm enim pestis in eâ urbe sæviret, elátâ in solémni supplicatióne Rochi imágine, státim quiévit. Hinc ubíque ejus imágines expósitæ, aræ sub ejus invocatióne eréctæ, et templa sub ejus nómine dicáta, eúmque méritò ut Beátum plebs Christiána venerátur. Corpus ejus Venétias translátum est anno millésimo quadragintésimo octogésimo quinto.

℟. Stans inter mórtuos ac vivéntes, pro pópulo * Deprecátus est, et plaga cessávit. *Num.* 16.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctum suum. *Psalm.* 4. * Deprecátus est, et plaga cessávit. Glória Patri. * Deprecátus est, et plaga cessávit.

Oratio.

POpulum tuum, quæsumus, Dómine, ad te confugiéntem patérnâ récipe pietáte; ut qui tuæ iracúndiæ flagélla formídat, intercedénte beáto Rocho, tuâ mereátur misericórdiâ liberári. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. Octavæ.

Vesperæ de sequenti.

Commem. S. Rochi, Oct, et S. Mammetis, Mart. ann. 274.

DIE XVII.

IN FESTO

S. THEODULI,

iv. sæc.

Semiduplex.

Ex Martyr. Gallicano.

Lectio iij.

SAnctus Theódulus, quem álii Theodórum vel Theodéricum vocant, sui sæculi clarum lumen, cùm apud Octodúrum Veragrórum, Cáthedram Episcopálem, (quæ demùm Sedúnum Vallénsium transláta fuit) tenéret, ad Concílium Aquileïénse, quod, Damáso Papâ et Gratiáno Augústo jubéntibus, celebrátum est advérsùs Palládium et Secundiánum Epíscopos, Ariána dógmata renovántes, unus scílicet ex própriis Gálliæ Epíscopis, invitátus accéssit, sanctíque Ambrósii, illic majestátem Unigéniti ætérni Patris advérsùs horum impiórum scelerátam perfídiam strénuè propugnántis, suffragátor, damnatiónis senténtiæ quæ contrà illos lata est, sacros inter Próceres conspicuus subscrípsit. Dehinc ad Sedem revérsus cum triúmpho, orthodóxam fidem sédulò excóluit. Verbo autem et exémplo cùm gregem suum Pastor bonus sustentásset, locupletátus fœnóribus grátiæ, ad corónam justítiæ, lætus de bonæ milítiæ felíci succéssu, properávit.

℟. In lege Dómini judicávit, et * In fide sua probátus est;

℣. Cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 46. * In fide. Glória Patri. * In fide.

Oratio. Fac nos, Deus, etc. *de Comm. fol.* liij.

Deindè Commem. Oct. et S. Mammet. Mart.

Oratio. Grátiâ tuâ, *fol.* xxvj.

DIE XVIII.

IN FESTO

SANCTI AGAPITI,

MARTYRIS.

iij. sæc.

Duplex tertiæ Classis.

AD I. VESPERAS.

Psal. Laudáte, *cum primâ Ant. de Comm. Mart.*

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ, cum suis ℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Mart. Usuard.

APud Prænestínam civitátem milliário ab urbe tricésimo tértio, natális sancti Agápiti Mártyris; qui cùm esset annórum quíndecim, et amóre Christi Martyrio fervéret, jussu Aureliáni Imperatóris tentus est, ac primò nervis crudis diutíssimè cæsus, deindè à Præside Antíocho grávia pátitur supplícia. Exindè cùm ex præcépto Imperatóris leónibus objicerétur, et minimè esset læsus, gládio ministrórum coronándus percútitur. Cultum ejus omni témpore célebrem fuisse testántur sacramentária Gelásii et sancti Gregórii, ac vetustíssimum calendárium, in quibus præscríptum légitur ejus offícium. Diem festum illíus notátum habémus in Martyrológio Bedæ, et in iis Martyrológiis quæ nómine sancti Hierónymi circumferúntur.

℟. Vivens inter peccatóres translátus est, * Consummátus in brevi explévit témpora multa. *Sap.* 4.

℣. Hoc modo vitâ decéssit, juvénibus et univérsæ genti exémplum virtútis et fortitúdinis derelínquens. 2. *Mach.* 6. * Consummátus.

Lectio v.

CApat sancti Agápiti Vesontiónem allátum, Celidónius Archiepíscopus Bisontínus in médio choro Basílicæ sancti Stéphani altè defóderat, supérque illud quátuor argénteis colúmnis suffúltum altáre eréxerat, ad quod post omnem memóriam pópulus Agápitum precatúrus accedébat; atque præséntiam Mártyris crebra miráculà comprobábant. In

cæteris Valtérius Archiepíscopus febre péssimè affèctus, humánis remédiis incássùm adhíbitis, ad sancti Agápiti altáre se deférri jussit: cui ibídem supplicánti oblátus est per visum cándidâ veste et spécie pereleganti adoléscens, qui sibi facto signo crucis manu benedícens; jubet ut certus de suâ valetúdine surgat; et reípsà ad vocem púeri sanus evásit.

℟. Mirábilis Deus * In Sanctis suis. *Ps.* 67.

℣. Magnam fecit ostensiónis suæ evidéntiam. 2. *Mach.* 3. * In Sanctis suis.

Lectio vj.

CUm verò antíquam sancti Stéphani ædem Hugo primus Valtérii succéssor novâ comprehénsam, dirui mandásset; altáre sancti Agápiti ruínis attrítum et comminútum amovéri jubet, eruitísque magno conátu ingéntium saxórum mólibus prædícto Altári substrátis, summâ ómnium lætítiâ sacrum thesáurum invénit, die vigésimâ Aprílis. Sacrum illud caput in capsâ argénteâ, figúram cápitis referénte, diù asservátum in Ecclésiâ sancti Joánnis Evangelistæ, à fidélibus summâ devotióne colebátur.

℟. Hoc * Honóre condígnus est quemcúnque Rex volúerit honoráre. *Esth.* 6.

℣. Nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. * Honóre. Glória Patri. * Honóre.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

32. *in Evang.*

QUia Dóminus ac Redémptor noster, novus homo venit in mundum, nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vitiis

enutrítæ contrarietátem oppósuit novitátis suæ: quid enim vetus, quid carnális homo nóverit? Nisi sua retinére; aliéna rápere, si possit; concupíscere, si non possit. Sed cœléstis médicus singulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta.

℟. Scio quia * Non hábitat in carne meâ bonum.

℣. Video legem in membris meis captivántem me in lege peccáti. *Rom.* 7. * Non hábitat.

Lectio viij.

NAm sicut arte medicínæ, cálida frígidis, frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præciperet humilitátem. Certè cùm se sequéntibus nova mandáta propóneret, dixit: Nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest esse meus discípulus; ac si apértè dicat: Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novæ conversatiónis stúdium et vestra largímini.

℟. Scimus quóniam Fílius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut * Cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5.

℣. Expoliántes véterem hóminem cum áctibus suis, et induéntes novum. *Coloss.* 3. * Cognoscámus.

Lectio ix.

QUid ergò in hâc lectióne dicat audiámus: Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra; hîc dícitur, ut abnegémus nos. Et fortássè laboriósum non est hómini relínquere sua, sed valdè laboriósum est relínquere semetípsum. Minùs quippè est abnegáre quod habet; valdè autem est abnegáre quod est.

℟. Vetus homo noster crucifíxus est, * Mórtuì sumus cum Christo. *Rom.* 6.

℣. Ut, peccátis mórtui, justítiæ vivámus. 1. *Pet.*

2. * Mórtui. Glória Patri. * Mórtui.

Ad Laudes, Cant. de Comm.

Oratio.

DEus, cujus grátiâ, sanctus Martyr Agápitus, mundi nec blandítiis nec terróribus devictus est: da nobis, ut te solum diligéntes, próspera mundi simul et advérsa despiciámus. Per Dóminum.

Ad Laud. et ad II. Vesp. Comm. Oct.

DIE XIX.

DE OCTAVA

ASSUMPTIONIS.

Vesperæ de seq. Com. Octavæ.

DIE XX.

IN FESTO

SANCTI BERNARDI,

ABBAT. ET DOCT.

Ann. 1153.

Semiduplex.

Ut in Communi SS. Doctorum.

IN NOCTURNO.

Lectio iij.

BErnárdus, Fontánis in Burgúndiâ illústri génere natus, Monastérium Cisterciénse ingréssus, triginta sócios exémplo suo ad illud attráxit. Arctióris observántiæ studiosíssimus, ne fervor tepésceret, hoc sæpiùs in ore habébat: Bernárde, ad quid venísti? Factus Abbas Claravallénsis ómnium virtútum exémplar fuit. Multis in locis Monastéria ædificávit, in quibus præclára Bernárdi institútio ac disciplína diù viguit. Innocéntium secúndum, Pontíficem máximum, in confutándo Petri Leónis schísmate, tùm apud Imperatórem et Hénricum Angliæ Regem, tùm in Concílio Pisáno egrégiè adjúvit, Abailárdum confutávit in Senonénsi Concílio, in Rheménsi Gilbértum Porretánum erróris convícit. Scripta ejus doctrinâ pótiùs divinitùs tráditâ quàm labóre comparátâ eum instrúctum fuisse testántur. Miráculis illústris,

Claraválle obdormívit in Dómino.

℟. Vena vitæ os justi, * Argéntum eléctum lingua ejus. *Prov.* 10.

℣. Implévit eum Dóminus sapiéntiâ, et intelligéntiâ, et sciéntiâ, et omni doctrínâ. *Exod.* 35. * Argéntum. Glória Patri. * Argéntum.

Oratio.

DEus qui beátum Bernárdum Abbátem, charitátis tuæ igne succénsum, in Ecclésiâ tuâ lucére simul et ardére fecísti; ejus intercessióne concéde, eódem nos charitátis spíritu fervéntes, coràm te semper ut filios lucis ambuláre. Per Dóminum..... In unitáte ejúsdem Spíritûs.

Comm. Oct. tàm ad Laud. quàm ad Vesp.

Die xxi.

De Octava

ASSUMPTIONIS.

AD VESPERAS.

Ant. ad Magníficat *de primis Vesp.*

Comm. S. Timothei, iv. sæc. et S. Symphoriani, an. 179. Mart.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Die xxii.

OCTAVA ASSUMPT.

Beatæ Mariæ Virg.

Semiduplex.

IN NOCTURNO.

Sermo

Sancti Bernárdi Abbátis.

In Assumpt. B. M. V. 10. §. 5.

Lectio iij.

ECce jam quibus potúimus votis ascendéntem te ad Fílium dedúximus, et prosecúti sumus, saltem à longè, Virgo benedícta. Sit deinceps pietátis tuæ, ipsam quam apud Deum grátiam invenísti, notam fácere mundo, reis véniam, medélam ægris, pusíllis corde robur, afflíctis consolatiónem, periclitántibus adjutórium et liberatiónem tuis précibus obtinéndo. In hâc quoque die solemnitátis et læti-

tiæ, dulcissimum Mariæ nomen cum laude invocántibus sérvulis, per te, Regina clemens, grátiæ suæ múnera largiátur Jesus Christus Filius tuus, Dóminus noster, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula. Amen.

℟. Lóquere Regi pro nobis, et * Líbera nos de morte. *Esth.* 15.

℣. Invocábis, et Dóminus exáudiet. *Is.* 58. * Líbera nos. Glória Patri. * Líbera nos.

AD LAUDES.

Commem. SS. Timoth. et Symph. Mart.

Oratio.

SAnctórum Mártyrum Symphoriáni et Timóthei mérita nos, Dómine, tueántur; in quibus ópera tua prædicántes. et exémplis eórum accéndi, et præmiis sociári mereámur. Per Dóminum.

AD HORAS.

Ut infrà Oct.

AD VESPERAS.

Commemor. sequentis.

Die XXIII.

Ult. Commemor.

S. STEPHANI.

Simplex,

IN NOCTURNO.

Lectio iij.

QUidam è Provinciâ Catalaunórum, ad merces comparándas, superióris Burgúndiæ partes adíre consuéverat, et Vesontiónem divértere sólitus, ad Basílicam sancti Stéphani supplicátum semper ascendébat. Cùm quâdam die sub véspe-rum in urbem pervenisset, sóciis in eâ pernoctáre renuéntibus, máluit ipse solus remanére, quàm pietátis offícium prætermíttere. Advolat ad montem, et offício ex more perfúnctus, è summâ rupe audit se magno clamóre compellári à sóciis, qui jam inierant viam quæ inter Dubim et mon-

tis radíces média intérjacet, et súbitò translátus inter cómites illæsus appáruit, à néscio quo se capíllis suspénsum séntiens. Aliud quoque hâc die miráculum legi solébat de Lambérto Lingonénsi primùm Præpósito, deindè Epíscopo, qui cùm Romam adíret, et Vesontióne iter habéret, tumóre manûs atque acerbíssimo dolóre labórans, implorátâ sancti Mártyris ope, liberátus est.

℟. Scitóte quóniam * Mirificávit Dóminus Sanctum suum. *Psal.* 4.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. *Psal.* 138. * Mirificávit. Glória Patri. * Mirificávit.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere, quia ejus commemoratiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit, etc.

DIE XXIV.

IN FESTO

S. BARTHOLOMÆI,

APOSTOLI.

j. sæc.

Duplex tertiæ classis.

AD I. VESPERAS.

Ps. Laudáte *cum primâ Ant. de Com. Apost.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ cum suis ℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BArtholomæus, unus ex duódecim quos elégit Jesus, et Apóstolos nominávit; post ejus Ascensiónem, accépto Spíritu sancto, in Indiam proféctus, Christi fidem, ut scribit Eusébius in História ecclesiásticâ, fertur illis Géntibus prædicásse, et Evangélium Matthæi hebráicis conscríptum lítteris reliquísse, quod quidem ad Panthæni témpora servátum esse memorátur. Idem refert in libro de Scriptóribus ecclesiás-

ticis Hierónymus. Postquàm enim Panthænum in Indiam à Demétrio Alexándriæ Episcopo, rogántibus illius Gentis Legátis, missum rétulit, subdit eúmdem inter gentes illas comperísse, olim advéntum Dómini Jesu juxtà Matthæi Evangélium à Bartholomæo, qui inter duódecim Apóstolos numerátur, illic fuisse prædicátum. In cujus rei fidem ipsum Matthæi exémplar hebráicis litteris scriptum secum Alexándriam revértens detúlerat. Fide Gentílibus prædicátâ, Bartholomæus vitam martyrio consummávit.

℟. Surréxit, et * Abiit juxtà verbum Dómini. *Jon.* 3.

℣. Propter opus Christi usque ad montem accéssit, tradens ánimam suam. *Philipp.* 2. * Abiit.

De Sermóne S. Joánnis Chrysóstomi. *Hom.* 33. *in cap.* 9. *Matth.*

Lectio v.

Viden' ministérii mag-

dicere, nec sicut Móyses et Prophétæ prióres, sed nova quædam et inexpectáta. Neque enim tália ipsi prædicábant, sed terram, et terréna bona: hi autem regnum cœlórum et quæ sibi sunt ómnia. Neque indè solùm hi majóres sunt, sed étiam ex obediéntiâ. Neque enim recúsant, neque cunctántur sicut véteres illi; sed etiámsi perícula, bella, et intolerabília mala áudiant, cum obsequéntiâ multâ imperáta suscípiunt, utpotè, qui regni sint præcónes. Et quid mirum, inquies, si nihil durum et ásperum prædicatúri, súbitò paruérunt? Quid dicis? Nihil durum prædicáre jussi sunt? Non audis cárceres, abductiónes ad mortem, bella civília, universórum ódium? Quæ ómnia ipsis paulò pòst eventúra esse dicébat.

℟. Vocabúntur * Fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. *Isa.* 61.

Lectio vj.

DIábolo cum orbe toto et turbâ dæmonum innúmerâ contrà duódecim illos irruénte, non brevi témpore, sed per totum vitæ spátium, vicérunt illi et superárunt, quodque mirum est, non cæsis hóstibus, sed mutátis et convérsis. Illud enim máximè ubíque observándum est, ipsos nec occidísse, nec delevísse insidiatóres suos; sed, cùm illos dæmónibus pares cepissent, Angelis æquáles fecísse, humánam natúram hâc improbâ tyránnide liberántes; illos autem sceléstos dæmonas, qui ómnia conturbábant, à médio foro, et à dómibus, imò étiam à desérto expulérunt. Quodque mirabílius est, non instrúctâ ácie hoc faciébant, sed malè hábiti implébant ómnia. Habébant enim in médio pósitos illos ínfimæ conditiónis viros, quos ligáre non póterant ipsórum linguam alligáre. Cujus rei causa erat, non illi quidem qui loquebántur, sed Spíritûs virtus.

℟. Deo autem grátias * Qui semper triúmphat, et odórem notítiæ suæ manifésta in omni loco. 2. *Cor.* 2.

℣. Ibant prompti de cœlo habéntes adjutórem Dóminum. 2. *Machab.* 11. * Qui semper. Glória Patri. * Qui semper.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore, Exiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei. Et cùm dies factus esset, vocávit Discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit. Et réliqua.

Homilia

S. Ambrósii E...

benè orat, à terrénis ad superióra progrédiens, vérticem cúriæ sublímis ascéndit... Omnes magni, omnes sublímes montem ascéndunt...... non vestígiis multis corporálibus, sed factis sublimióribus in hunc montem ascéndas. Séquere Christum... orat Dóminus, non ut pro se óbsecret, sed ut pro me ímpetret: nam, etsi ómnia posúerit Pater in potestáte Fílii, Fílius tamen, ut hóminis formam impléret, obsecrándum Patrem putat esse pro nobis, quia advocátus est noster.

℟. Dómine, in die clamávi, et nocte coràm te; * Intret in conspéctu tuo orátio mea.

℣. Inclína aurem tuam ad precem meam. *Ps.* 87. * Intret.

Lectio viij.

ERat, inquit, pernóctans in oratióne Dei. Spécies tibi datur, forma præscríbitur quam débeas æmulári. Quid enim te pro salúte tuâ fácere opórtet, quandò pro te Christus in oratióne pernóctat? Quid te fácere cónvenit, cùm vis áliquod pietátis offícium adoriri, quandò Christus missúrus Apóstolos, orávit priùs, et solus orávit?

℟. In loco peregrinatiónis meæ, * Memor fui nocte nóminis tui. *Psal.* 118.

℣. Clamávi ad te totâ die, expándi ad te manus meas. *Psal.* 87. * Memor fui.

Lectio ix.

VOcávit Discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos ad propagándum auxílium salútis humánæ per terrárum orbem, satóres fídei destináret. Simul advérte cœléste consílium: non sapiéntes áliquos, non dívites, non nóbiles, sed piscatóres et publicános, quos dirígeret, elégit; ne traduxísse prudéntiâ, ne redemísse divítiis, ne poténtiæ nobilitatísque auctoritáte traxísse áliquos ad suam grátiam viderétur; ut veritátis rátio, non disputatiónis grátia prævaléret. Elígitur et Judas, non per imprudéntiam, sed per providéntiam.

℟. Dómine, * Nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ. *Psal.* 91.

℣. Cognóscant inimíci tui, quia tu solus Altíssimus in omni terrâ. *Ps.* 82. * Nimis. Glória Patri. * Nimis.

Ad Laudes. Cant. de Comm.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætítiam in beáti Apóstoli tui Bartholomæi festivitáte tribuísti, da Ecclésiæ tuæ, quæsumus, et amáre quod sperávit, et prædicáre quod dócuit. Per Dóminum.

Ad Vesp. Comm. S. Ludovici.

Ant. Percússit fœdus coràm Dómino, ut ambuláret post eum et custodíret præcépta ejus; et fecit omnes servíre Dómino Deo suo. 2. *Paral.* 34.

℣. Diléxi mandáta tua

DIE XV.

IN FESTO

SANCTI LUDOVICI,

REGIS.

Ann. 1270.

Duplex tertiæ Classis.

Ut in Communi Justorum, præter ea quæ sequuntur. (1)

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 6.

Psal. Veníte.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ, cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ludovícus, hujus nóminis nonus, patri

instítuit, illi dícere sólita: Mallem te, fili, regno et vitâ privári, quàm lethá-li áliquo peccáto tuum offéndere Creatórem. Ab ipso regni exórdio invícta ánimi virtus contínuis bellis enítuit, quibus adolescéntia ejus exércita est. Rebus tandem cum suis, cumque finítimis Princípibus compósitis, totum se divíno cúltui promovéndo dedit. Duéllo et blasphémiis pénitùs extirpándis incúbuit; histriónes et joculatóres regno éxpulit. Adeò justítiæ studiósus fuit, ut quacúnquè transíret, illáta si quæ forent à comitátu damna, per plures notæ æquitátis viros inquíri juberet ac resarcíri. Viros spectátæ virtútis et prudéntiæ, tùm è cléricis, tùm è láicis in consílium adhibuit. Atque ita se gessit, ut illum plebs paréntem, nóbiles príncipem ac legum conservatórem, Fráncia verum Regem, Ecclésia protectórem prædicáret.

℟. Ipse est diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis. * Tulit abominatiónes impietátis. *Eccli.* 49.

℣. Dei minister in bonum, vindex in iram ei qui malum agit. *Rom.* 13. * Tulit abominatiónes.

Lectio v.

TRicésimo ætátis suæ anno gravi morbo labórans, ad recuperándam Hierosólymam ánimum adjécit; quamóbrem ubi convaluit, coáctis cópiis, regni curam matri commísit, et vexíllo ab Epíscopo Parisiénsi accépto, cum exércitu mare trajécit; atque ubi primùm Saracénos in líttore adstántes conspéxit, è navi in mare ense distrícto congressúrus insíliit; fugatísque hóstibus, Damiétam victor intrávit. Sed debilitáto póstmodùm ex lue exércitu, victus ipse captus est. Ibi de sui suorúmque redemptióne et libertáte cùm ágeret, Saracéni ultrò se Mahumétem, nisi pacta ómnia serváreut, ejuratúros pollíciti, à Ludovico vicíssim postulábant, ut, nisi convéntis staret, Chri-

um quoque negatúrum e spondéret: sed, Absit, nquit pius Princeps, ut ıoc unquàm tàm ímpium rerbum ex ore meo éx:idat. Cùmque cruces ei ntentárent, nisi in hunc nodum juráret, promptus ıd martyrium respóndit: Etsi corpus occiderétis, inimam tamen meam ıon habébitis, et eam à anto scélere puram serrábo. Pacto pósteà fœdere, Rex cum exércitu iber dimíttitur; cùmque n pecúniâ numerándâ, Saracénis non adverténtibus, errátum esset, íntegrum pecúniæ pondus solvi vóluit, violáti pacti alióquin reis. Annos quinque in Syriâ commorátus plures Christiános à Barbarórum servitúte redémit; multos étiam convértit Infidéles, Christianórum áliquot urbes et castra suis súmptibus restaurávit.

℟. Cívitas sancta in mánibus inimicórum, * Sancta in manu extraneórum facta sunt; vidit et dóluit. 1. *Mach.* 2.

℣. Indútus est vestiméntis ultiónis, opértus est quasi pállio zeli. *Is.* 59. * Sancta in manu.

Lectio vj.

MOrtuâ matre, in Gálliam redíre coáctus, multa ædificávit Monastéria, et páuperum hospítia. Frequens invisébat ægrótos, quibus non súmptibus modò, sed et mánibus ipsis necessária subministrábat. Vestítu vulgári utebátur, statísque diébus cilício et jejúnio corpus affligébat. Cùm in Africam trajecísset, bellum dénuò Saracénis illatúrus, jamque captâ Carthágine, castra propè Tunétum in eórum conspéctu posuísset, mortem imminére séntiens, salutária documénta Rege digna Christianíssimo suâ manu conscrípta, Philíppo primogénito et successóri suo trádidit. Deíndè super stratum in modum crucis cínere respérsum récubans, dùm hæc verba pronuntiáret: Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine; ánimam Deo réddidit apud Carthágenem, anno

ætátis suæ quinquagésimo quinto. Eum miráculis illústrem Bonifácius octávus Sanctórum albo inséruit.

℟. Desidérium cordis ejus tribuísti ei, * Dómine, voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. *Psal.* 20.

℣. Spíritu magno vidit última. *Eccli.* 48. * Dómine. Glória Patri. * Dómine.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi.

De Civit. Dei, Lib. 5. *cap.* 14.

CHristiános quosdam te plácidâ reliquérunt, vel hostes Reipúblicæ domuérunt, vel inimícos cives advérsùs se insurgéntes, et cavére, et opprímere potuérunt. Hæc enim et ália vitæ hujus ærumnósæ, vel múnera, vel solátia, quidam étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei quò pértinent isti. Et hoc ipsíus misericórdiâ factum est, ne ab illo ista, qui in eo créderent, velut summa bona desiderárent.

℟. Vani sunt omnes hómines, * In quibus non subest sciéntia Dei. *Sap.* 13.

℣. Périit memória eórum cum sónitu. *Psal.* 9. * In quibus.

Lectio viij.

SEd felíces eos dícimus, si justè imperant, si inter linguas sublímiter honorántium, et obséquia nimis humíliter salutántium non extollúntur, sed se hómines esse

ciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum ubi non timent habére consórtes.

℟. Reges, intellígite; * Erudímini, qui judicátis terram. *Psal.* 2.

℣. Per sapiéntiam Príncipes imperant, et poténtes decérnunt justítiam. *Prov.* 8. * Erudímini.

Lectio ix.

FElíces, inquam, dícimus, si tárdiùs víndicant, fácilè ignóscunt; si eámdem vindíctam pro necessitáte regéndæ tuendæque Reipúblicæ, non pro saturándis inimicitiárum ódiis éxerunt; si eámdem véniam, non ad impunitátem iniquitátis, sed ad spem correctiónis indúlgent; si quod ásperè cogúntur plerúmque decérnere, misericórdiæ lenitáte et beneficiórum largitáte compénsant; si luxúria tantò eis est castigátior, quantò posset esse libérior; si malunt cupiditátibus pravis quàm quibuslibet géntibus imperáre; et si ómnia fáciunt, non propter ardórem inánis glóriæ, sed propter charitátem felicitátis ætérnæ; si pro suis peccátis humilitátis, et miseratiónis, et oratiónis sacrifícium Deo suo vero immoláre non négligunt. Tales Christiános Imperatóres dícimus esse felíces, interim spe, pósteà reipsà futúros, cùm id quod expectámus, advénerit.

℟. Deus, * Judícium tuum Regi da, et justítiam tuam fílio Regis. *Ps.* 71.

℣. Discat custodíre cæremónias, nec elevétur cor ejus in supérbiam, neque declínet in partem déxteram vel sinístram. *Deut.* 17. * Judícium. Glória Patri, etc. * Judícium.

Ad Laudes, Cant. de Communi. (1)

Ad Bened. *Ant.*

Fortis in bello, máximus in salútem electórum Dei expugnáre in-

rem tuum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti; ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis Regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

AD II. VESPERAS.

Ad Magn. *Ant.*

Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit: sancta glorificávit, et multiplicávit vasa sanctórum. 1. *Mach.* 14.

Commem. seq.

Die XXVI.

In Festo SS. GENESIORUM, Martyrum.

Circ. ann. 303.

Simplex.

IN NOCTURNO.

Lectio iij.

COlúntur hâc die duo Genésii Mártyres, ambo grátiæ, quæ cunctos et salváre vult et potest, testes felicíssimi. Alter Arelaténsis, qui nondùm Christiánus persecutiónis jussa exhorréscens, et scríbere recúsans, fugit. At repértus à persecutóre in Rhódani ripâ, gládio percússus est, et sic suscépto baptísmate sánguinis, ánimam réddidit. Genésius alter, theatrális hístrio, baptísmum irrídens in scenâ ágere vóluit; verùm ubi aqua illum tétigit, ita mutátus est, ut verè ac sério Christiánum se prófitens, nullis, vel fústium, vel ungulárum, vel lámpadum torméntis ab hâc confessióne dimovéri potúerit. Tandem, jubénte Diocletiáno, martyrii corónam cápitis obtruncatióne proméruit.

℟. Æstimáta est afflíctio éxitus illórum, et quod à nobis est iter, extermínium; illi autem * Sunt in pace.

℣. Deus tentávit eos, et invénit eos dignos se. *Sap.* 3. * Sunt in pace. Glória Patri. * Sunt in pace.

Oratio.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut sanctórum Mártyrum tuórum, quorum celebrámus victórias, præmiórum partícipes esse mereámur. Per Dóminum.

DIE XXVII.

IN FESTO

SANCTI AGILI,

MONACHI.

C. ann. 650.

Semiduplex.

IN NOCTURNO.

Lectio iij.

SAnctus Agilus paréntes hábuit pietáte non minùs quàm nobilitáte, magnísque ópibus illústres. Fuit pater ejus Agnoáldus, Childebérto secúndo Austrásiæ et Burgúndiæ Regi à consíliis, primariúsque Regni adminíster, cujus erat castrum Honorisiáci * in Comitátu Porténsi ** Provínciæ Sequanórum. Mater erat Deutéria, ex præclárâ Burgundiónum prosápiâ originem ducens. Púerum Mónachis Luxoviénsibus lítteris ac bonis móribus erudiéndum tradidérunt. Brevì Monastérium, quod jure tunc dici póterat sanctórum seminárium, suis virtútibus illustrávit; sacrórum librórum lectióni et oratióni assíduè inténtus, corpúsque suum castígans jejúniis ásperis, diuturnísque vigíliis. Agilum, unà cum sancto Eustásio Luxoviénsi Abbáte, assumpsérunt Epíscopi in opus conversiónis Varascórum et Bavarórum, quod quidem cum máximo fructu perfecérunt. Extrúcto à sancto Odoëno Rébaci Monastério præfuit Agilus, ejúsque óperâ ac curis fuit istud Monastérium domus oratiónis, veritátis schola, pœniténtiæ gymnásium, cunctis paupéribus hospítium.

---

* *Noroy.* ** *Port-sur-Saône.*

Unius, è váriis quæ per eum operátus est Deus miráculis, fidem facit tanquam testis oculátus, sanctus Donátus, dein factus Archiepíscopus Bisontínus, illúdque narrávit auctóri eoævo sancti Agili. Obiit vir sanctus anno ætátis suæ sexagésimo sexto.

℟. Fulgébunt qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ * In perpétuas æternitátes. *Dan.* 12.

℣. Beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. *Matth.* 5. * In perpétuas Glória Patri. * In perpétuas.

Oratio.

DEus, qui nos ádmones exémplo beáti Agili temporália despícere, et ad ætérna festináre; da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognóvimus, ipso pro nobis intercedénte, implére valeámus. Per Dóminum.

Vesp. de seq. Commem. S. Agili.

DIE XXVIII.

IN FESTO

SANCTI AUGUSTINI,

EP. ET DOCT. ECCL.

Duplex.

Ann. 430.

Ut in Communi Doctorum.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

AUgustínus, Tagástæ in Africâ honéstis paréntibus natus, ac puer docilitáte ingénii æquáles longè súperans brevì ómnibus doctrínâ antecélluit. Adoléscens, dùm esset Carthágine, in Manichæórum hæresim incídit. Póstea Romam proféctus, indè Mediolánum missus ut Rhetóricam docéret, cùm ibi frequens Ambrósii Epis-

copi esset audítor, ejus óperâ incénsus stúdio cathólicæ fídei, annos natus triginta tres, ab ipso baptizátur.

℟. Vox exultatiónis et salútis, * Déxtera Dómini fecit virtútem. *Psal.* 117.

℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ. *Eph.* 2. * Déxtera.

Lectio v.

Revérsus in Africam, Hipponémque revocátus, ut amícum quemdam Deo lucrarétur, raptus à pópulo invítus, atque ubértìm flens, dùm vim sibi fíeri mérito peccatórum suórum arbitrátur, Présbyter ordinátus est à Valério Epíscopo, qui póstmodùm véritus, ne sibi Augustínus ab áliis Ecclésiis præriperétur, à Primáte obtínuit, ut sibi adhuc vivénti darétur Co-Epíscopus. In Episcopátu commúnem vitæ ratiónem cum Cléricis instituit; Cathólicæ veritátis contrà hærétícos, unitátis contrà Schismáticos acérrimus vindex; Manichæos, Donatistas, Ariános, Pelagiános proflígávit, Semipelagiános morti jam próximus représsit.

℟. Perféctio tua et * Doctrína tua viro sancto tuo, (Dómine.) *Deut.* 33.

℣. Nemo vicit illum, nec superávit illum verbum áliquod. *Eccli.* 48. * Doctrína.

Lectio vj.

Tam multa piè, subtíliter et copiósè scripsit, ut Christiánam doctrínam máximè illustrárit. Vándalis tértium jam mensem Hippónem obsidéntibus, in extrémum morbum incidit, atque ubi lecto decúbuit, Psalmos de pœniténtiâ paríeti jussit affígi, quos profúsis lácrymis júgiter meditátus, et per decem últimos dies soli inténtus oratióni, obdormivit in Dómino, anno ætátis septuagésimo sexto, Episcopátûs trigésimo sexto, quinto Kaléndas Septémbris. Pro commendándâ córporis ejus depositióne, sacrifícium Deo oblátum est. Testaméntum nullum

fecit; quia undè fáceret, ait Possídius, Christi pauper non hábuit. Corpus ejus primùm in Sardíniam delátum, deindè à Luitprándo Longobardórum Rege magno prétio redémptum, Ticínum translátum est, ibíque honorificè cónditum.

℟. Ad ínsulas longè divulgátum est nomen tuum: * In interpretatiónibus mirátæ sunt terræ. *Eccli.* 47.

℣. Tu sápiens, sicut habet sapiéntiam Angelus Dei. 2. *Reg.* 14. * In interpretatiónibus. Glória Patri. * In.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Vos estis sal terræ; quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília S. Augustini Epíscopi.

Lib. 1. *de serm. Domini in mont. cap.* 6.

qui temporálium bonórum vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amíttunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cœlórum; qui erunt hómines per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus, per quos errórem áuferat cæterórum?

℟. Spíritu principáli confírma me, Dómine; * Docébo iníquos vias tuas. *Psal.* 50.

℣. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 117. * Docébo.

Lectio viij.

ERgò ad nihilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foràs, et conculcétur ab homínibus. Non itaque calcátur ab homínibus qui pátitur persecutiónem, sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári

est ; qui, quamvis córpore multa in terrâ sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

℟. Narrábo nomen tuum, (Dómine,) frátribus meis, * In médio Ecclésiæ laudábo te. *Ps.* 21.

℣. Etiámsi oportúerit me mori. *Matth.* 26. * In médio.

Lectio ix.

VOs estis lumen mundi: quómodò supériùs dixit sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supériùs ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus: sed hómines qui in terrâ hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis et extinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum; et hîc mundum, non cœlum et terram, sed hómines qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illumínándis Apóstoli missi sunt.

℟. Pronuntiábo mirabília tua, * Usque in senéctam et sénium, Deus, ne derelínquas me. *Psal.* 70.

℣. Sapiéntibus et insipiéntibus débitor sum: *Rom.* 1. * Usque. Glória Patri. * Usque.

Ad Laudes, Cant. de Communi.

Oratio.

DEus, qui ad asseréndа grátiæ tuæ jura, beátum Augustínum Doctórem in Ecclésiâ suscitásti; concéde, ut quæ, te docénte, faciénda cognóvimus, eádem, te adjuvánte, éxequi valeámus. Per Dóminum.

DIE XXIX.

IN FESTO

DECOLLATIONIS

S. JOANNIS BAPT.

Ann. 32.

Duplex.

AD I. VESPERAS.

Capitulum. Malach. 4.

DIcit Dóminus exercítuum: Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini.

℟. Jam * Elías venit, et non cognovérunt eum,

sed fecérunt in eo quæcúnque voluérunt. *Matth.* 17.

℣. Surréxit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. *Eccli.* 48. * Elías venit. Glória Patri. * Elías venit.

HYMNUS.

QUis ille silvis è penetrálibus
Egréssus, ad se tot pópulos trahit?
Ab ore pendéntes loquéntis
Quâ súbitò tenet arte turbas?
An ille fastu regífico tumens,
Molli solútus diffluit ótio?
Levísne arúndo ventilátur
Arbítrio populáris auræ?
Atqui ter annos jam décies trahit
Vitam in profúndis sáltibus ásperam,
Virtútis Elíæ futúrus
Atque ánimi generósus hæres.
Ergò sevéram Núminis ómnibus
Assértor acer veritátis,
In próceres tonat, inque plebem.
* Aulâ recéptum non rétinet timor,
Non blanda flectit grátia Príncipis,
Contamináti quin reprén-dat
Flagítium opprobriúmque lecti.
Sit summa Patri súmmaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini;
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

℣. Testimónium perhíbuit veritáti;

℟. Ille erat lucérna ardens et lucens. *Joan.* 5.

Ad Magn. *Ant.*

Dicébat Joánnes Heródi: Non licet tibi habére uxórem fratris tui. *Marc.* 6.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

HYMNUS.

* AUlâ recéptum, etc. *ut suprà.*

Ad Nunc dim. *Ant.* Fortitúdo simplicis via Dómini, et pavor his qui operántur malum. *Prov.* 10.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum, qui dat voci suæ vocem virtútis, * Venite, adorémus. *Psal.* 67.

Psal. Venite.

HYMNUS.

IMpúnè Vati non erit : impotens
Totum furórem fémina cólligit;
Iræque causas aggerándo
Exstímulat fera corda Regis.

Quid non libído cogis adúltera?
Dantur caténis innócuæ manus;
At alligári veritátis
Néscia vox sua jura servat.

Christum vel atro cárceris in specu
Præco fidélis núntiat, et suos
Divína patránti Magistro
Discípulos jubet ire testes.

Vinctus triúmphat; tu pávitans fremis,
Tyránne, cæcum mens malè cónscia
Quatit flagéllum : stricta Vatem
Impávidum fériet secúris.

Sit summa Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini;
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu. Amen.

IN I. NOCTURNO.

℣. Venit Joánnes in omnem regiónem Jordánis,

℟. Prædicans baptísmum pœniténtiæ. *Luc.* 3.

Lectiones de Scripturâ, cum suis ℟℟℟.

IN II. NOCTURNO.

℣. Non récipit stultus verba prudéntiæ,

℟. Cùm in profúndùm vénerit peccatórum, contémnit. *Prov.* 18.

Ex libro
S. Ambrósii Epíscopi.
De Virginibus, lib. 3.

Lectio iv.

QUóniam Joánnis præ-núntii Christi non strictìm prætereúnda est recordátio, interest ut quis, et à quibus, et quam ob causam, quómodò et quo témpore sit occísus advértere debeámus. Ab adúlteris justus occíditur, et à reis in Júdicem capitális scéleris pœna convértitur. Deindè præmium saltatrícis mors est Prophétæ. Postrémò, quod étiam omnes Bárbari horrére consuevérunt, inter épulas atque convívia consummándæ crudelitátis profértur edíctum; et à convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium, ferális flagítii circumfértur obséquium. Quanta in uno sunt fácinore crímina!

℟. Omnis malítia * Nequítia mulíeris. *Eccli.* 25.

℣. Si invénerit tempus, non satiábitur sánguine. *Eccli.* 12. * Nequítia.

Lectio v.

QUis non, cùm è convívio ad cárcerem cursári vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimítti? Quis, inquam, cùm audísset natálem esse Heródis, solémne convívium, puéllæ optiónem eligéndi quod vellet datam, missum ad Joánnem ob solutiónem non arbitrarétur? Quid crudelitái cum delíciis? Quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad pœnam Prophéta, convivâli témpore, convivâli præcépto, quo non cúperet vel absólvi; perímitur gládio, caput ejus affértur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo insatiáta épulis féritas vescerétur.

℟. Non dórmiunt mali, nisi malè fécerint; et * Rápitur somnus ab eis, nisi supplantáverint.

℣. Cómedunt panem impietátis, et vinum iniquitátis bibunt. *Prov.* 4. * Rápitur.

Lectio vj.

INtúere, Rex acerbíssime, tuo spectácula

digna convivio. Pórrige déxteram, ne quid tuæ sævítiæ desit, ut inter dígitos tuos rivi défluant sacri cruóris. Et quóniam non exsaturári épulis fames, non restíngui póculis pótuit inaudítæ sævítiæ sitis, bibe sánguinem scaturiéntibus adhuc venis exsécti cápitis profluéntem, cerne óculos in ipsâ morte scéleris tui testes, aversántes conspéctum deliciárum. Claudúntur lúmina, non tàm mortis necessitáte, quàm horróre luxúriæ. Os áureum illud exsángue, cujus senténtiam ferre non póteras, conticéscit, et adhuc timétur....... Quid dícitis vos, sanctæ féminæ? Vidétis quid docére, quid étiam dedocére fílias debeátis? Saltat, sed adúlteræ fília. Quæ verò pudíca, quæ casta est, fílias suas religiónem dóceat, non saltatiónem. Vos autem, graves et prudéntes viri, díscite detestabílium hóminum épulas vitáre.

℟. Vinum multum potátum ruínas multas facit; * Quæ vita est ei qui minúitur vino? *Eccli.* 31.

℣. Bibit quasi aquam iniquitátem. *Job.* 15. * Quæ vita. Glória Patri. * Quæ vita.

IN III. NOCTURNO.

℣. Regnum cœlórum vim pátitur,

℟. A diébus Joánnis Baptístæ usque nunc. *Matth.* 11.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore, Heródes misit ac ténuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere, propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam. Et réliqua.

Homilia
Sancti Petri Chrysólogi.
De Decoll. S. Joannis Bapt. Serm. 174.

HOdiérnæ cœnæ cruéntas épulas tunc terra, tunc cœlum, hódiè mecum vester hórruit et expávit audítus. Heródes natális sui cœnam fecit. Benè cœnam, quia non luci, sed ténebris addictus hic natális,

in quo noctis filius natus est, non diéi. Natális sui cœnam fecit Princípibus, Tribúnis et primis Galilææ. Quid egit incáuta et cæca semper impietas? Omnes évocat potestátes, ut non tàm multos convívii sui sócios, quàm innúmeros críminis sibi testes assúmat; et tot hábeat facínoris sui árbitros, quot hábuit præsides disciplínæ. Cùmque intrásset fília ipsíus Herodíadis, et saltásset, et placuísset Heródi.... suam crédidit tunc Heródes, cùm talem vidit: nam putásset aliénam, si pudícam vel aliquántulùm pervidísset. Serpens tùm latébat in féminâ, quæ reptans gréssibus flexuósis lethále toto córpore virus effúdit; ut discumbéntium mentes furor, venénum córpora sauciáret, hominésque nec vino jam tales, sed sánguine potaréntur.

℟. Propter spéciem mulíeris multi periérunt, * Ex hoc concupiscéntia quasi ignis exardéscit. *Eccli.* 9.

℣. Pépigi fœdus cum óculis meis, ut ne cogitárem quidem de vírgine. *Job.* 31. * Ex hoc.

Lectio viij.

ECce quid páriunt totis nóctibus protrácta convívia; ecce quid génerat, quod cum mensúrâ émitur, et sine mensúrâ bíbitur vinum; eccè quò præcipitátur caro, cùm ad luxúriæ fácinus voluptátis inflammátur incéndiis... Pete à me quod vis, et dabo tibi; et jurávit illi. Jurat miser, dùm quidquid est honestátis et virtútis abjúrat. Pete à me quod vis: quid péteret luxúria, nisi castitátis intéritum, pudicítiæ necem, mortem sibi semper contráriæ sanctitátis? Sicut vox Abel in suo jam effúso sánguine magis sonat, magis pénetrat, magis perténdit ad cœlum: sic nunc Joánnes toto orbe clamat totis sæculis fácinus vestrum, cunctis refert et osténtat in Géntibus... Ecce eo die quo tu finísti tuum, ille sibi natálem cœlitùs conquisívit. Justus enim tunc inchoat vívere, cùm pro Christo merétur occídi:

transfértur istâ morte vita Mártyris, non aufértur. Morte magis cláruit, qui ob hoc mórtuus est, ut víveret in ætérnum.

℟. Non sic ímpii, non sic; sed * Tanquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ. *Psal.* 1.

℣. Erunt decidéntes sine honóre et in contuméliâ inter mórtuos in perpétuum. *Sap.* 4. * Tanquam.

Lectio ix.

Vestiméntum Joseph, cùm adúlteram fúgeret, derelíquit; Joánnes, ne vidéret adúlteram, ipsum projécit et corpus: Joseph, ne adultérium fáceret, libens cárcerem suscépit; Joánnes, ut argúeret adultérium, erémum cárcere commutávit: Joseph, sómnia dùm revélat, evásit ex morte; Joánnes, ut Dei Filium reveláret, suscépit et mortem: Joseph, dùm panem præparat temporálem, ex auro torquem méruit et honórem; Joánnes, ut osténderet cœléstem credéntibus panem, martyrii torquem méruit ex cruóre. Méritò in natis mulíerum cunctis major est hic Joánnes, qui non solùm adúlteras árguit, sed et lícita mulíerum consórtia virginitátis amóre calcávit. Et si Joánnes tantus, Joánnes talis, tantâ erémo separátus à fémínis, feminárum perícula non evásit, quis est qui inter féminas vivens, evasúrum se sine labóre máximo, máximâ sine cautióne confídit?

℟. Sicut Angelus Dei, * Sic est, ut nec benedictióne nec maledictióne moveátur. 2. *Reg.* 14.

℣. Non pertímuit Príncipem, nec superávit illum verbum áliquod. *Eccli.* 48. * Sic est. Glória Patri. * Sic est.

℣. *Sacerd.* A fácie malítiæ colléctus est justus. *Isa.* 57.

℟. Vivens inter peccatóres, translátus est. *Sap.* 4.

AD LAUDES.

Cant. Confitébor. *fol.* xxv.

Capitulum. Eccli. 49.

MAlè tractavérunt illum qui à ventre matris consecrátus est Prophéta, evértere et erúere, et pérdere, et íterùm ædificáre et renováre.

HYMNUS.

ECce, saltántis prétium puéllæ,
Fertur in disco caput amputátum!
Hæc cruentátis nova proferúntur
Fércula mensis.

Quæ rudes silvis pópulos docébat,
Quæ suâ Reges tremeføcit aulâ,
Illa vox, eheu! gládio resécta,
Muta silébit.

Occidit Vates, et adhuc timétur:
Vox silet verbi, cruor ille clamat,
Atque fratérni temeráta damnat
Fœdera lecti.

Nube sub densâ jubar involútum
Vénerat cæcis aperíre terris:
Sole matúro, ...bat umbra

(1) Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque nexus
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Condémnat justus mórtuus vivos ímpios;
℟. Tradúcent illos iniquitátes ipsórum. *Sap. 4.*

Ad Bened. *Ant.*

Væ qui poténtes estis ad bibéndum, qui justificátis ímpium pro munéribus, et justítiam justi aufértis ab eo. Propter hoc, sicut dévorat stípulam lingua ignis, sic radix eórum quasi favílla erit. *Is. 5.*

Oratio.

DEus, qui beátum Joánnem Baptístam, et nascéntis et moriéntis Fílii tui Præcursórem esse voluísti; concéde, ut sicut ille veritátis et justítiæ Martyr occúbuit, ita nos pro veritáte et justítiâ ad mortem usque certémus. Per eúmdem.

AD PRIMAM.

Hinc sitim longam sátia, tyránne,
Et cibos inter paterásque puro
Sánguine liba.
Ut caput vidit dápibus sub ipsis
Tristè fumánti fluitáre tabo;
Hæsit, impástis fremuítque mensis
Fúneris auctor.
Pálluit cœlum, trepidávit aula,
Ipsa sese horret féritas tyránni;
Sola saltátrix ovat, execrándi
Cónscia facti.
Non tamen frontis grávitas veréndæ
Cessit immíti violáta ferro:
Dura mitéscit plácido sub ore
Mortis imágo.
Qui suo nascens Dómino præíbat,
Morte crudéli prior immolátus
Ille, mox diro notat immolándum
Fúnere Christum.
Summa laus *ut suprà.*

caput ejus in disco, et datum est puéllæ, et áttulit matri suæ. *Matth.* 14.

AD ALIAS HORAS.

Hymnus.

Omnibus manat, etc.
Qui suo, etc. *ut suprà usque ad fin.*
℟. *parv. ut suprà.*

AD II. VESPERAS.

Allelúia, allel. ℣. Nequáquam ut mori solent ignávi, mórtuus est; sed sicut solent cádere coràm filiis iniquitátis. Allelúia. 2. *Reg.* 3.

Prosa.

Vincto teste líbera,
Et occíso próspera,
Vincit Reges véritas.
E Joánnis cárcere,
In Joánnis fúnere
Frángitur iníquitas.
Damnat justus mórtuus,
Quos præsénti fátuus
Furor effert scélere.
Non mors claudit lúmina.

Inconcússa véritas
Ovat fuso sánguine.
Vitæ Christi prævius,
Mortis fit prænúntius,
Qui privátur lúmine.
Christe, fac ut lúceat,
Et in nobis árdeat
Ignis tuus, cháritas.
Per hanc pura páteat,
Et invícta pródeat,
Quæ te monstrat, véritas.
Amen.

Ad Magn. *Ant.*

Accedéntes Discípuli Joánnis, tulérunt corpus ejus, et sepeliérunt illud, et veniéntes nuntiavérunt Jesu. *Matth.* 14.

Fit Comm. SS. Martyrum Felicis et Adaucti. iv. sæc.

AD COMPLETORIUM.

Ut heri. (1)

DIE XXX.

Commem. SS. Felicis et Adaucti, Mart.

Oratio.

MAjestátem tuam, Dómine, súpplices exorámus; ut sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

DIE XXXI.

De Feriâ.



(1). Doxologia:
Sit laus Patri ... Filio:
Par sit tibi ... Spiritui,
Afflante ... sacro

EXTRACTUM

E RUBRICIS GENERALIBUS

PRO COMMUNI SANCTORUM.

AD Primas Vesperas : In Duplicibus 1 et 2 Classis, dicuntur quinque Psalmi *Laudate* cum quinque Antiphonis de Communi, nisi adsint prop.

In Duplicibus 3 Classis, dicuntur quinque *Laudate* cum primâ duntaxat Antiphonâ.

In omnibus aliis Officiis, dicuntur Psalmi et Antiphonæ de Feriâ.

Ad utrumque Completorium : In Duplicibus 1 et 2 Classis, Psalmi de Dominicâ, in aliis de Feriâ.

In Dupl. 1 et 2 et 3 Classis, *Hymni* de Prop. vel Comm. In Dupl. autem per annum et infrà, *Hymni* de Psalt. nisi aliter notetur.

Ad Matutinum : In Duplicibus 1 et 2 Classis, Psalmi et Antiphonæ ut notatur in quolibet Communi, nisi adsint prop.

In aliis dicuntur Psalmi et Antiphonæ de Feriâ, præterquàm in Octavis.

In omnibus Officiis novem Lectionum (præterquàm in Duplicibus 1 Classis), Lectiones primi Nocturni de Scripturâ occurrente cum suis Responsoriis; in Duplicibus verò 1 Classis, vel sunt propriæ vel sumuntur de Communi : si neque propriæ neque Comm. adsint, tunc sumuntur de Script. occurr.

Ad Laudes : In Duplicibus 1 et 2 Classis, Psalmi

In Dupl. 3 Classis et in Dupl. per annum, Psalm. et Ant. de Feriâ cum Cantico de Comm. nisi aliter notetur.

In aliis Offic. Psalm. et Ant. de Feriâ; sed in Semid. et Simpl. dicitur *Canticum* iis assignat. in Psalt. secund. Feriam.

Si fiat Offic. de Festo quod Commune non habeat, tunc sumitur *Canticum* de Psalt. pro Semidupl. assignatum, secundùm Feriam occurrent. nisi aliter notetur.

Ad Horas: In Duplicibus 1 et 2 Classis, Psalmi de Dominicâ; in aliis, de Feriâ.

Hymni erunt in Dupl. 1 et 2 et 3 Classis de Propr. vel Comm. In Dupl. per ann. et infrà, Hymn. de Psalt. nisi aliter notetur.

Ad secundas Vesperas: In Duplicibus 1 et 2 Classis, Psalmi et Antiphonæ prop. vel ut notatur in Communi; in aliis, Psalmi et Antiphonæ de Feriâ.

A Septuagesimâ ad Pascha, loco *Allel.* et *Prosæ*, dicuntur in omnibus Duplicibus Capitulum, Hymnus et Versus, ut in primis Vesperis.

INTRA OCTAVAS.

Ad Matutinum: Invit. et Hymnus ut in die Festo, tres Psalmi et tres Antiphonæ et ℣. ut in die secundùm Feriam; Lectiones de Scripturâ cum suis Responsoriis.

Ad Laudes: Psalmi ut in die cum unicâ Antiphonâ quæ est prima. Cætera ut in die.

In die Octav. Si sit Semid. dicunt. quinq. Antiph.

Ad Horas: Hymni et Psalmi de Feriâ, Capitula et Responsoria de Proprio vel de Communi, vel de Fer. occurr. si nec de Propr. nec de Comm. sumi possint.

Ad Primam: Ut in Psalt. Non dic. preces.

Ad Vesperas, Psalmi et Antiphonæ de Feriâ, Capitulum, Hymnus, et ℣. ut in primis Vesperis. An-

tiphona ad *Magnificat* ut in secundis, exceptâ die septimâ Octavæ in quâ dicitur Antiphona de primis Vesperis.

Ad Completorium : Psalmi et cætera de Feriâ; non dicuntur preces.

Nota. Si Festum fuerit Duplex 1 Classis, dies Octava erit Semiduplex, et tunc Lectio tertia sumitur vel de Proprio, si adsit; alioqui de Communi, ut habetur in quolibet Communi. Prima et 2 Lect. de Scripturâ.

Et si Offic. nec Prop. nec Comm. habeat, sumitur hæc 3 Lect. de Domin. præced. scilicet 3 secund. Noct. cum suo ℟.

Quinque Psalmi sequentes dicuntur ad primas Vesperas Duplicium 1, 2 et 3 Classis, juxtà Rubricam suprà positam.

Psalmus 112.

Laudáte, púeri, Dóminum;* laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum,* ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum,* laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus,* et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat,* et humília réspicit in cœlo et in terrâ?

Súscitans à terrâ inopem,* et de stércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus,* cum princípibus pópuli sui,

Qui habitáre facit stérilem in domo,* matrem filiórum lætántem.

Glória Patri, etc.

Psalmus 116.

Laudáte Dóminum, omnes gentes;* laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus,* et véritas

Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, et Fílio,* et Spirítui sancto, etc.

PSALMUS 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum; laudábo Dóminum in vitâ meâ; * psallam Deo meo, quándiù fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in fíliis hóminum, in quibus non est salus:

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam; * in illâ die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum et terram, mare et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos; * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos; * Dóminus díligit justos.

duam suscípiet; * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Glória Patri, etc.

PSALMUS 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus; * Deo nostro sit jucúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus, * dispersiónes Israélis congregábit;

Qui sanat contrítos corde, * et álligat contritiónes eórum;

Qui númerat multitúdinem stellárum, * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus; * et sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne; * psállite Deo

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * et herbam servitúti hóminum;

Qui dat juméntis escam ipsórum, * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum, * et in eis qui sperant super misericórdiâ ejus.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto, etc.

PSALMUS 147.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * et ádipe fruménti sátiat te;

Qui emíttit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit;

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, et liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni, * et judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto, etc.



COMMUNE SANCTORUM.

Quæ desunt in Proprio Sanctorum, sumuntur de Communi, servatis Rubricis quæ suprà fol. j. ponuntur pro diversitate graduum cujuslibet Officii.

COMMUNE APOSTOLORUM.

AD I. VESPERAS.

Psalm. Laudáte. *fol. iij. sub seq. Ant.*

Ant. 1. D. Mittam piscatóres multos, dicit Dóminus, et piscabúntur (Fílios Israël), et venatóres, et venabúntur eos de omni monte, et de omni colle. *Jerem.* 16.

Ant. 3. a. Sanctificábunt sanctum Jacob, et Deum Israël prædicábunt. *Is.* 29.

Ant. 6. F. Annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres de cunctis géntibus donum Dómino. *Is.* 66.

Ant. 5. a. Dabo opus eórum in veritáte, et fœdus perpétuum fériam eis. *Is.* 61.

Ant. 8. G. Lætítia sempitérna erit eis: omnes qui víderint eos, cognóscent illos, quasi isti sunt semen cui benedíxit Dóminus. *Is.* 61.

Capitul. Eph. 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, álios verò Evangelístas, álios autem Pastóres et Doctóres, ad con-

summatiónem Sanctórum, in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

℟. Deo grátias.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum: * Non sunt loquélæ, neque sermónes quorum non audiántur voces eórum. *Ps.* 18.

℣. Vox Dómini in virtúte, vox Dómini in magnificéntiâ. *Ps.* 28. * Non sunt. Glória Patri. * Non.

HYMNUS.

SUpréme, quales, árbiter,
Tibi Minístros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas commíttere!

Hæc nempè plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis:
Lux indè magna rúmpitur,
Ceu nube scissâ fúlgura.

Totum per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant,
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, corúscant, pér-

Arces supérbæ dæmonum:
Circùm tubis clangéntibus
Sic versa quondam mœnia.

* Fac, Christe, cœléstes tubæ
Somno graves nos éxcitent;
Accénsa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.

Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Elégit Jesus duódecim ex (discípulis,)

℟. Quos et Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

Ad Magn. *Ant.* 7. G.

Dedit illis potestátem curándi infirmitátes, et ejiciéndi dæmónia. *Marc.* 3.

Oratio ut in Prop.

AD COMPLETORIUM.

HYMNUS.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.
Hos misit Jesus præcipiens eis, eúntes prædicáte, dicéntes : Quia appropinquávit regnum cœlórum. *Matt.* 10.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Apostolórum magistrum et Dóminum, * Venite, adorémus. *Joan.* 13.
Psal. Veníte, *fol.* 2.

HYMNUS.

* CŒléstis aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs,
Bisséna mundi lúmina,
Olim futúri júdices,
* Mersis gravi calígine
Per vos dies renáscitur;
Quos vanus error lúserat,
Illústrat alma véritas.
Non vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus;
Verbo sed irrísæ crucis,
Christo rebélles súbditis.
Quibus gemébat súbditus
Rumpúntur orbis víncula :
Jam gaudet excússo jugo
Liber Dei sub légibus.
Vulgáta terris ómnibus
Per vos Dei mystéria :
Sic vestra terris ómnibus
Præclára facta pérsonant.
* Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Exúrgat Deus. *fol.* 136.
Ant. Exúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus ; et fúgiant, qui odérunt eum, à fácie ejus.
Divis. Psal. Dóminus dabit verbum. *fol.* 136.
Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ.
Alia divis. Psalm. In Ecclésiis benedícite. *fol.* 137.
Ant. Ecce dabit voci suæ vocem virtútis; date glóriam Deo super Israël.
℣. Infírma mundi elégit Deus,
℟. Ut confúndat fórtia. 1. *Cor.* 1.

De Epistolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysterióruum Dei. Hîc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die; sed neque meipsum júdico; nihil enim mihi cónscius sum; sed non in hoc justificátus sum. Qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium: et tunc laus erit unicuíque à Deo.

℟. Pósuit in nobis (Deus) verbum reconciliatiónis, * Pro Christo legatióne fúngimur tanquam Deo exhortánte per nos. 2. *Cor.* 5.

℣. Proptéreà non timébimus. *Ps.* 45. * Pro Christo.

Lectio ij.

HÆc autem, fratres, transfigurávi in me, et Apóllo, propter vos, ut in nobis discátis ne suprà quàm scriptum est, unus advérsùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit? Quid autem habes, quod non accepísti? Si autem accepísti, quid gloriáris, quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis. Sine nobis regnátis; et útinàm regnétis, ut et nos vobíscum regnémus. Puto enim quòd Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit tanquam morti destinátos: quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus.

℟. Tribulatiónes me manent, * Sed nihil horum véreor. *Act.* 20.

℣. Qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. 2. *Tim.* 3. * Sed nihil horum.

Lectio iij.

NOs stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo; nos infírmi, vos autem for-

tes; vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris. Maledícimur, et benedícimus; persecutiónem pátimur, et sustinémus; blasphemámur, et obsecrámus. Tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc.

℟. Inclúsos custodiébant filios tuos, (Dómine,) * Per quos † Incipiébat incorrúptum legis lumen sæculo dari. *Sap.* 18.

℣. Injecérunt in (Apóstolos) manus, et posuérunt eos in custódiam. *Act.* 4. * Per quos. Glória Patri. † Incipiébat.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Exáudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor. *fol.* 190.

Psal. Confitébimur tibi. *fol.* 190.

Ant. Invocábimus nomen tuum, narrábimus mirabília tua.

Psal. Dóminus regnávit, exúltet terra. *fol.* 88.

Ant. Confundántur omnes qui adórant sculptília, et qui gloriántur in simulácris suis.

℣. Egréssi circuíbant per castélla evangelizántes,

℟. Et curántes ubíque. *Luc.* 9.

Lectiones et ℟℟℟. *ut in Prop.*

IN III. NOCTURNO.

Psal. Deus, áuribus nostris. *fol.* 172.

Ant. Nec enim in gládio suo possedérunt terram, et bráchium eórum non salvávit eos, sed déxtera tua.

Divis. Psalm. In Deo laudábimur. *fol.* 172.

Ant. Dedísti nos tanquam oves escárum, et in géntibus dispersísti nos.

Altera divis. Psalm. Si

sumus sicut oves occisiónis.

℣. Tradidérunt ánimas suas,

℟. Pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

Lect. et ℟℟℟. *ut in Prop.*

℣. *Sacerd.* Magnificávit Dóminus fácere cum eis. *Ps.* 125.

℟. Pósuit in eis verba signórum et prodigiórum. *Ps.* 104.

AD LAUDES.

Psalm. Cœli enárrant, *cum suá divis. fol.* 81.

Ant. Non sunt loquélæ, neque sermónes quorum non audiántur voces eórum.

Psal. Omnes gentes. *fol.* 67.

Ant. Psállite Deo nostro, psállite regi nostro, psállite.

Psal. Cantáte Dómino cánticum novum, cantáte. *fol.* 66.

Ant. Magnus Dómi-

Canticum. Is. 52.

Quàm pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem, * annuntiántis bonum!

Prædicántis salútem, * dicéntis: Sion, regnábit Deus tuus.

Vox speculatórum tuórum, * levavérunt vocem; simul laudábunt.

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte et laudáte simul, desérta Jerúsalem, * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum * in óculis ómnium géntium.

Et vidébunt omnes fines terræ * salutáre Dei nostri.

Glória Patri, etc.

Ant. Quàm pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem, annuntiántis bonum!

Psal. Lauda, Jerúsalem, Dóminum. *fol.* 144.

Capitul. Heb. 2.

CUm inítium accepísset salus enarrári per Dóminum ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, contestánte Deo signis, et porténtis, et váriis virtútibus.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

QUem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hic fidos sui
Vos éligit vicários.

Occísus agnus à lupis
Vos misit agnos ad lupos:
Mores feríinos éxuunt,
Agni repéntè de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piástis sánguine.

Hoc rore facta pínguiòr
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surréxit seges!
Et ista nos seges sumus.

Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere,
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Si testimónium hóminum accípimus,

℟. Testimónium Dei majus est. 1. *Joan.* 5.

Ad Bened. *Ant.*

Testaméntum ætérnum constítuit (Dóminus) cum illis, et justítiam et judícia sua osténdit illis, et magnália honóris ejus vidit óculus illórum. *Eccli.* 17.

Oratio ut in Prop. et dic. ad Horas.

AD HORAS.

HYMNUS.

COElestis aulæ Príncipes, etc.
Mersis gravi calígine, etc.
Uni sit et trino Deo, etc. *ut sup. ad Matut.*

℟. *parv.* Dii fortes terræ veheménter eleváti sunt. *Ps.* 46.

AD II. VESPERAS.

Ant. 7. c. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus; nimis confortátus est principátus eórum.

Psal. Crédidi, propter quod locútus. *fol.* 153.

Ant. 6. F. Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

Psal. In converténdo. *fol.* 73.

Ant. 2. D. Dicent inter gentes: Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Psal. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, in concílio justórum. *fol.* 33.

Ant. 4. d. Redemptiónem misit pópulo suo, mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Psal. Laudáte, púeri, Dóminum. *fol.* 35.

Ant. 5. c. Sit nomen Dómini benedíctum ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Allelúia, Allelúia. ℣. Exúlta, cœlum, et sancti Apóstoli, quóniam judicávit Deus judícium vestrum. Allel. *Apoc.* 18.

PROSA.

LAudet suos domitóres,
Et in fide genitóres,
Mundus Christo súbditus.
Laudet tubas insonántes,
Imbres orbem irrigántes
Quos fœcúndat Spíritus.

Deo pleni, citi volant,
Ardent, micant, umbras fugant,
Novæ lucis fúlgura.
Christum sonant, fortes sonant,
Crucem plantant, cruce sanant
Mundo facta vúlnera.

Fines orbis assequúntur,
Missi docent, et loquúntur
Mitténtis magnália.
Ut vidéntur, stupent mentes;
Ut prædicant, credunt gentes
Divína mystéria.

Verbo gravis turba sacra
Mox evértit simulácra,
Spreta crux erígitur.
Unus Deus adorátur,
Uno fonte gens lavátur,
Una fides cólitur.

Fervet ira barbarórum,
Sævit furor tyrannórum;
Nil movet impávidos.

Cruces, ignes æmulántur;
Gaudent, vincunt, dùm necántur,
Nil frangit intrépidos.

Sedes Petri nunc exúltet,
Roma Princeps fide tenet
Quod armis non súbdidit.

Qui magistram falsitátis
Fecit petram veritátis,
Majórem te reddidit.

Errabámus obcæcáti;
Nunc in fide generáti,
Ambulémus illustráti;
Nec recédat véritas.

Gemebámus inquináti,
Jacebámus vulneráti;
Jubilémus nunc sanáti,
Nec frigéscat cháritas.

Vos magistri veritátis,
Vos ministri charitátis,
In fervóre pietátis
Impetráte créscere.

Christe, crucis Sacraménto,
Novíssimo fac moménto,
Tanto fultos fundaménto,
Ad te nos conscéndere.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 1. D.
In regeneratióne cùm séderit Filius hóminis in duódecim Tribus Israël. *Matt.* 19.

Oratio de Prop.

AD COMPLETORIUM.

Hymn. ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 2. *D.*
In (fundaméntis civitátis sanctæ Jerúsalem) nómina duódecim Apostolórum Agni, et lucérna ejus est agnus. *Apoc.* 21.

INTRA OCTAVAS.

Vide Rubric. sup. in capite Commun.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Zach. 1.

ISti sunt quos misit Dóminus, ut perámbulent terram.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem terram.

℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. *Ps.* 18.

℣. Non sunt loquélæ, neque sermónes,

℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Ps.* 18.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eph. 2.

FRatres, jam non estis hóspites et ádvenæ; sed estis cives Sanctórum, et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum.

℟. *br.* Dedísti eis (Dómine) regna, et pópulos, et * Partítus es eis sortes. Dedísti eis.

℣. Multiplicásti filios eórum sicut stellas Cœli. 2. *Esd.* 9. * Partítus es.

Glória. Dedísti eis.

℣. Fílii eórum propter illos.

℟. Usque in ætérnum manent. *Eccli.* 44.

AD NONAM.

Capitulum. Judæ.

CHaríssimi, mémores

℟. *br.* Dómino * Deo nostro serviémus. Dómino.

℣. Et obediéntes érimus præcéptis ejus. *Jos.* 24. * Deo nostro.

Glória Patri. Dómino.

℣. Glória magna est sequi Dóminum,

℟. Et respícere in mandátis ejus. *Eccli.* 23.

Pro die Octavâ Semid.

Sermo

S. Joánnis Chrysóstomi.

In Gen. Hom. 28.

Lectio iij.

SIcut ab inítio per tres, hóminum genus multiplicávit univérsi cónditor: ita quoque et in fide per úndecim piscatóres illitterátos et idiótas, qui neque os aperíre audébant, omnem sibi orbem attráxit. Atque illitteráti isti, et idiótæ, et piscatóres, Philosophórum obturavérunt ora, et transcurrérunt orbem quasi aláti, seminántes veritátis sermónem, et spinas ex-

dùm flagelláti..... intérdùm in cárcerem conjécti .... iterùm deténti, non solùm non segnióres indè facti sunt, sed et majórem libertátem præ se tulérunt... Vidísti libertátis magnitúdinem? Vidísti illitterátos piscatóres contémnere tot furéntes pópulos, et ad cædes ac mactatiónes parátos? At tu, dilécte, áudiens hæc ómnia, ne tribue illis, sed divínæ grátiæ quæ confirmábat et instruébat, illórum alacritátem.

℟. Fidúciam talem habémus, * Sufficiéntia nostra ex Deo est. 2. *Cor.* 3.

℣. Quæ sunt impossibília apud hómines, possibília sunt apud Deum. *Luc.* 18. * Sufficiéntia. Glória Patri. * Sufficiéntia.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

(*Vide rubricam positam in capite Communium, et sic in aliis Commun.*)

AD I. VESPERAS.

Ant. 7. *d.* Justus quasi leo confídens absque terróre erit. *Prov.* 28.

Ant. 4. E. Probatiónem indúcet super illum Dóminus, donec credat ánimæ illíus. *Eccli.* 4.

Ant. 1. g. In tentatióne Deus illum conservábit, non illidétur quasi in procéllâ navis. *Eccli.* 33.

Ant. 3. à. Firmábit illum, et lætificábit, et thesaurizábit super illum intelléctum justítiæ. *Eccli.* 4.

Ant. 6. F. Usque in tempus sustinébit pátiens, et pósteà rédditio jucunditátis. *Eccli.* 1.

Capitulum. Marc. 8.

QUi perdíderit ánimam suam propter Evangélium, salvam fáciet eam. ℟. Deo grátias.

℟. Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cùm probátus fúerit, * Accípiet corónam vitæ. *Jac.* 1.

℣. Hic ítaque mundus óbiit per ómnia in Dómino confídens. 2. *Machab.* 7.*Accípiet. Glória Patri, etc. * Accípiet.

HYMNUS.

EX quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor,
Homo redémptus æmulum
Deo litávit sánguinem;
Non jam crucis Christi pudet:
Quin surgit ingens glória
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.
Hoc iste plenus spíritu
Ridet minas, ridet neces,
Tuâque fretus déxterâ
Tibi, Redémptor, mílitat.
Paráta spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat:
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.
Unus tot ármátas manus,
Stupénte, lassat, júdice;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.
* Da, Christe, tanti militis
Æquáre facta fórtia;
Da sustinére pro tuo
Quodcúnque durum nómine.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Justus, cùm ceciderit, non collidétur;
℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36.

Ad Magn. *Ant.* 8. G.
Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3.

Oratio ut infrà ad Laudes, si desit Propr.

AD COMPLETORIUM

Psalm. secundùm rubr. gen.

HYMNUS.

DA, Christe, tanti mílitis, etc. *ut sup. usque ad finem.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.
Pro certo habet omnis qui te colit, (Dómine,) quòd vita ejus, si in pro-

batióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3.

AD MATUTINUM.

Invit. Deum patiéntiæ et solátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15.

Psalm. Veníte.

HYMNUS.

FElix morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam,
Et signáre cruóre,
Quam Christo déderas, fidem!

Pœnis victa quibus defíceret fides,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas:
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.

Te pro lege suâ magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.

Et nos delícias, vana per ótia,
Gens infída Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inértes
Sanguis mártyris éxcitat.

Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Fílio;
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ps. Usquequò. *fol.* 104.

Ant. Qui tríbulant me, exultábunt, si motus fúero; ego autem in misericórdiâ tuâ sperávi.

Ps. Eripe me. *fol.* 161.

Ant. Eripe me de operántibus iniquitátem, et de viris sánguinum salva me.

Divis. Psal. Deus osténdet. *fol.* 161.

Ant. Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es.

℣. Benedíctus vir qui confídit in Dómino.

℟. Erit Dóminus fidúcia ejus. *Jerem.* 17.

De Epístolâ secúndâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínth.

Lectio j. Cap. 4.

DEus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi

Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur; dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

℟. Propter quod pláceo mihi * In contuméliis, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo.

℣. Cùm enim infírmor, tunc potens sum. 2. *Cor.* 12. * In contuméliis.

Lectio ij.

SEmper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. Ergò mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eúmdem Spíritum fídei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum, et nos crédimus, propter quod et lóquimur, sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos; ut grátia abúndans, per multos in gratiárum actióne abúndet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus: sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur, tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem.

℟. Quis nos separábit à charitáte Christi? * Neque mors neque fortitúdo póterit nos separáre à charitáte Dei. *Rom.* 8.

℣. Expectántes beátam spem. *Tit.* 2. * Neque mors.

Lectio iij.

ID enim quod in præsénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, suprà modum in sublimitáte, ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt; quæ autem non vidéntur, ætérna sunt. Scimus enim,

quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eò quòd nólumus expoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, à vitâ.

℟. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ? * Et volábo et † Requiéscam. *Ps.* 54.

℣. Quandò véniam et apparébo ante fáciem Dómini? *Ps.* 41. * Et volábo. Glória Patri, etc. † Requiéscam.

IN II. NOCTURNO.

Ps. Exáudi, Dómine, justítiam meam. *fol.* 193.

Ant. Probásti cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti; et non est invénta in me iníquitas.

Divisio Psalm. Inimíci mei. *fol.* 194.

Ant. Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Ps. Dómine, quid. *fol.* 5.

Ant. Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, glória mea, et exáltans caput meum.

℣. Ne páveas irruéntes tibi poténtias impiórum:

℟. Dóminus enim erit in látere tuo. *Prov.* 3.

Sermo
Sancti Augustíni Episc.
Serm. 311. *in Nat.* 5.
Cypr. Mart.
Lectio iv.

ISTum nobis festum diem pássio beatíssimi Mártyris fecit, cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos congregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrum imitátio debet esse virtútum. Fácile est honórem Mártyris celebráre: magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus: hoc sic celebrémus, ut illud pótiùs

diligámus. Quid laudámus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem pro veritáte certávit, et ideò vicit. Blandiéntem mundum contémpsit, sæviénti non cessit; ideò victor ad Deum accéssit.

℟. Ideò * Et nos per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. *Heb.* 12.

℣. Hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra. 1. *Joann.* 5. * Et nos.

Lectio v.

ABúndant in isto sæculo erróres et terróres: beatíssimus Martyr erróres sapiéntiâ, terróres patiéntiâ superávit. Magnum est quod fecit; secútus agnum, leónem vicit. Quandò persecútor sæviébat, leo fremébat; sed quia agnus sursùm attendebátur, leo deórsùm calcabátur. Cogitáte, fratres, quale fuit mitti hómines per orbem terrárum prædicáre hóminem mórtuum resurrexísse, in cœlum ascendísse, et pro istâ prædicatióne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inférret, damna, exília, víncula, torménta, flammas, béstias, cruces, mortes.

℟. A Dómino factum est * Istud; est mirábile in óculis nostris. *Ps.* 117.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum à sæculo et usque in sæculum, quia sapiéntia et fortitúdo ejus sunt. *Dan.* 2. * Istud est.

Lectio vj.

NUmquid hoc fácerent nisi flagrántiâ charitátis, de consciéntiâ veritátis? Prædicavérunt mórtuum quem sciébant vivum. Sciébant pro quâ vitâ contémnerent vitam. Sciébant pro quâ felicitáte ferrent transitóriam infelicitátem, pro quibus præmiis ista damna contémnerent. Fides eórum cum toto mundo non appenderétur. Audíerant: Quid prodest hómini, si totum mundum lucrétur, ánimæ autem suæ detriméntum patiátur?

℟. Fílii sanctórum sumus, et * Vitam illam expectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo. *Tob.* 2.

℣. Festinémus ergò in-

gredi in illam réquiem. *Heb.* 4. * Vitam illam. Glória Patri. * Vitam illam.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Nonne Deo. *fol.* 189.

Ant. In Deo salutáre meum, et glória mea; Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Psal. Dóminus illuminátio. *fol.* 147.

Ant. In petrâ exaltávit me, et nunc exaltávit caput meum super inimícos.

Divis. Psalm. Exáudi, Dómine. *fol.* 148.

Ant. Expécta Dóminum, viríliter age; et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

℣. Sapiéntia intrávit in ánimam servi Dei.

℟. Stetit contrà reges horréndos. *Sap.* 10.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: super dóminum suum. Et réliqua.

Homília S. Cypriáni Epíscopi, et Mártyris.

Epist. 56. *quæ est de exhort. ad Mart.*

GAudére nos in persecutiónibus vóluit Dóminus; quia tunc dantur corónæ fídei, tunc probántur mílites Dei, tunc martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodò cogitáre, et recusáre milítiam debeámus, quandò in ipsâ milítiâ primus ambuláverit Dóminus, humilitátis et toleràntiæ et passiónis magíster; ut quod fieri dócuit, prior fáceret; et quod pati hortátur, prior pro nobis ipse paterétur.

℟. Eámus et nos, ut * Moriámur cum Jesu. *Joan.* 11.

℣. In ómnibus suméntes scutum fídei. *Eph.* 6. * Moriámur.

Lectio viij.

SIt ante óculos, fratres dilectíssimi, quòd qui

túrus est, et judicatúrus, jam judícii sui et cognitiónis futúræ senténtiam protúlerit, prænúntians et contéstans confessúrum se coràm Patre suo confiténtes, et negatúrum negántes... neque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non Evangélicis exhortatiónibus et præcéptis, ac mónitis cœléstibus, ad ómnia inveniátur armátus.

℟. Etiámsi oportúerit me mori tecum, * (Dómine,) non te negábo. *Matt.* 26.

℣. Ecce cognóvi quóniam Deus meus es. *Ps.* 55. * Dómine.

Lectio ix.

IRáscitur adversárius et minátur; sed est qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuéndus est, cujus iram nemo potest evádere, ipso præmonénte et dicénte : Ne timuéritis eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; magis autem metúite eum qui potest et suam, perdet illam; et qui odit ánimam suam in isto sæculo, in vitam ætérnam conservábit illam. Ecce agon sublímis et magnus, et corónæ cœléstis præmio gloriósus. Præliántes nos spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est glóriæ dígnitas, quanta felícitas, præsénte Deo cóngredi, et Christo júdice coronári!

℟. Ascendémus et * Pugnábimus, sicut præcépit Dóminus. *Deut.* 1.

℣. Ecce enim in cœlo testis et cónscius in excélsis. *Job.* 16. * Pugnábimus. Glória Patri. * Pugnábimus.

℣. *Sacerd.* Cantáte Dómino, laudáte Dóminum.

℟. Liberávit ánimam páuperis de manu malórum. *Jerem.* 20.

AD LAUDES.

Psal. Diligam te. *fol.* 6.

Ant. Præoccupavérunt

Divis. *Psal.* Misit de summo. *fol.* 7.

Ant. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab his qui odérunt me.

Altera Divisio. Deus meus. *fol.* 8.

Ant. Quis Deus præter Deum nostrum? Deus qui præcínxit me virtúte.

Canticum. Eccli. 51.

COnfitébor tibi, Dómine Rex, * et collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo; quóniam adjútor et protéctor factus es mihi;

Et liberásti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, et à lábiis operántium mendácium, * et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor;

Et liberásti me secúndùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui * à rugiéntibus, præparátis ad escam;

De mánibus quæréntium ánimam meam, * et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me;

A pressúrâ flammæ quæ circúmdedit me, * et in médio ignis non sum æstuátus;

De altitúdine ventris ínferi, et à linguâ coinquinátâ, et à verbo mendácii, * à rege iníquo, et à linguâ injústâ.

Laudábit usque ad mortem * ánima mea Dóminum.

Glória Patri, etc.

Ant. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi.

Psal. Exaltábo te, Dómine. *fol.* 10.

Ant. Cantet tibi glória mea, et non compúngar: Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Capitulum. Sap. 10.

CUstodívit illum ab inimícis, et à seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

JAm non te lácerant
carníficum manus,
Inter qui récubas cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco,

Fulgéntes hábitas domos.
Non jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber Súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
Nec te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrósa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus et índuit.
Sic tu martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundísque tyránnum,
Dùm quos déprimit, élevas.
Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Filio;
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus. Amen.

℣. In quocúnque loco fúeris, Dómine,
℟. Ibi erit servus tuus. 2. *Reg.* 15.

Ad Bened. *Ant.*

Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. 2. *Timot.* 4.

Oratio.

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut Beáti N. Mártyris (atque Pontíficis) intercessiónibus confidéntes, nec minis adversántium, nec ullo turbémur incúrsu. Per Dóminum.

Alia Oratio.

GRátiâ tuâ, Dómine, nos corróbora, ut eâdem virtúte vitiórum blandiménta vincámus, quâ beátus Martyr N. tormentórum immanitátem pro fide tui nóminis superávit. Per.

AD HORAS.

HYMNUS.

*DA, Christe, tanti mílitis, etc. *ut supr. ad Vesp.*

Psalm. secund. Rubr. gen.

℟. *Parv. in omnib. Dupl.* Absque terróre requiéscet, et abundántiâ perfruétur, timóre malórum subláto. *Prov.* 1.

AD II. VESPERAS.

Psalm. Ad Dóminum. *fol.* 101.

Ant. 1. f. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, et exaudivit me.

Psal. Levávi. *fol.* 73.

Ant. 5. a. Levávi óculos meos in montes, undè véniet auxílium mihi: auxílium meum à Dómino.

Psal. Confitébor tibi, Dómine... Quóniam. *fol.* 54.

Ant. 7. a. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, quóniam audísti verba oris mei.

Ps. Dómine, probásti. *fol.* 181.

Ant. 4. E. Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Divis. Psal. Confitébor tibi. *fol.* 181.

Ant. 3. a. Confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es; mirabília opera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Allel. allel. ℣. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allel. *Ps.* 20.

PROSA.

IN triúmphum mors mutátur,
Quæ fuit oppróbrium;
Undè culpa plectebátur,
Via fit ad præmium.

Martyr mundi blandiéntis
Voluptátes víceṙat,
Qui nunc malè sæviéntis
Iras fortis súperat.

Mundus pulcher ne placéret,
Deus traxit púlchrior;
Egit, mundus ne terréret,
Deus terribílior.

Potest martyr impugnári,
Verùm nescit cédere:
Dei timor dat luctári,
Cháritas dat víncere.

Fortis ut mors, metum mortis
Abstulit diléctio:
Mox et mortem magis fortis
Habet pro ludibrio.

O qui potens astitísti
Stanti sub carnífice,
Dextrâ, sanctum quâ munísti,
Et nos fortes éffice.

Incruénti, sed pejóres
Hostes in nos sæviunt;

Et vitæ nos nunc amóres,
Nunc metus dejíciunt.
Ne mortálem metuámus,
Te, Deus, metúere;
Ne cadúca diligámus,
Da nos te dilígere.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.

Justum non derelíquit Deus, donec afférret illi poténtiam advérsùs eos qui eum deprimébant, et dedit illi claritátem ætérnam. *Sap.* 10.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. secundùm rubr. gen.

Hymn. ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 8. G.

Vitâ decéssit univérsæ genti memóriam mortis suæ, ad exémplum virtútis et fortitúdinis, derelínquens. 2. *Mach.* 6.

In Semidupl. et Simpl. et intrà Octavas.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Pet.* 2.

HÆc est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristitias pátiens injústè.

℟. *br.* Non solùm alligári, sed * Et mori parátus sum. Non solùm.

℣. Propter nomen Dómini Jesu. *Act.* 21. * Et mori.

Glória Patri. Non solùm.

℣. Per multas tribulatiónes

℟. Opórtet nos intráre in regnum Dei. *Act.* 14.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Act.* 7.

ERat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus.

℟. *br.* Bonus Dóminus et * Confórtans in die tribulatiónis. Bonus Dóminus.

℣. Sciens sperántes in se. *Nah.* 1. * Confórtans. Glória Patri. Bonus Dóminus.

℣. Adjútor, tibi psallam.

℟. Quia Deus suscéptor es. *Ps.* 58.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 3.

QUi vícerit, vestiétur vestiméntis albis, et non delébo nomen ejus de libro vitæ.

℟. *br.* Post tempestátem * Tranquillum facis, Dómine. Post tempestátem.

℣. Et post lacrymatiónem et fletum, exultatiónem infúndis. * Tranquillum. Glória Patri. Post tempestátem.

℣. Sit nomen tuum, Deus Israël,

℟. Benedictum in sæcula. *Tob.* 3.

Pro die Octavâ semid.

Sermo

S. Joánnis Chrysóstomi.

Ex laud. S. Juliani Mart.

Lectio iij.

VOciferátus est iste Martyr cum Paulo dicénte, Deo autem grá- nem témporis diuturnitáte producébat tyránnus, tantò patiéntiam ejus probatiórem reddébat... Nec áliud quiddam quàm trophæum advérsùs seipsum et advérsùs diábolum Mártyrem circumferébat, crudelitátis gentílium argu-méntum; Christianórum pietátis indícium; virtútis Christi signum máximum, incitaméntum et consílium Christi fidélibus, ut prompto et alácri ánimo in iisdem certamínibus perseverárent, divínæ glóriæ præcónem, tálium certáminum disciplínæ magístrum. Cunctos enim ad imitatiónem suî, non voce tantùm suádens, sed factis ipsis tubâ clariórem mittens vocem, cohortabátur.... Acérba úndique supplícia circumstábant, metus futurórum, labor præséntium, dolor ingruéntium, eórum quæ expectabántur formído... áttamen carnífices thesáurum fídei deprædári mínimè valuérunt... Hujus rei causa, Deus est, qui ánimas tales inhábitat. Qui

evádat, sed necésse est ut ludíbriis hábitus, turpitérque superátus abscédat.

℟. Ideò * Et nos per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. *Hebr.* 12.

℣. Hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra. 1. *Joan.* 5. * Et nos. Glória. * Et nos.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

AD I. VESPERAS.

Ant. 1. a. Vasa fíguli probat fornax, et hómines justos tentátio tribulatiónis. *Eccli.* 27.

Ant. 5. c. Ruent in gládio, et in flammâ, et in captivitáte. *Dan.* 11.

Ant. 2. D. Custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos. *Ps.* 96.

Ant. 3. à. Gáudium et lætítiam obtinébunt, et fúgiet dolor et gémitus. *Isa.* 35.

Ant. 4. E. In perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum. *Sap.* 5.

... ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit.

℟. Ipsi vicérunt propter sánguinem agni, * Et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. † Proptéreà lætámini, cœli. *Apoc.* 12.

℣. Módico dolóre sustentáto, ætérnæ vitæ effécti sunt partícipes. 2. *Machab.* 7. * Et non dilexérunt. Glória Patri. † Proptéreà.

HYMNUS.

CHristi Martyribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica;
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis

Mundi spernit opes, flúxaque gáudia:
Vitæ quin étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.

Non vultus métuunt carníficum truces;
Fœtas suppliciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit fides.

O incredíbilem vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat, dolor
Extórquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.

Ergò nunc própior, Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usquè viréntibus,
Victorúmque gerens præmia, nóbiles
Multo sánguine láureas.

* Sit laus summa Patri, súmmaque Filio;
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia sústinent,
Contémptâ nece, Mártyres. Amen.

fécto credunt in eum. 2. *Paral.* 16.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.
Si coràm homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3.

Oratio de Propr. vel ut infrà ad Laud.

AD COMPLETORIUM.

Psal. secundùm rubr. gen.

HYMNUS.

CHristi Martyribus, etc.

Sit laus summa Patri, *ut suprà, ad Vesp.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.
Diléxit vos Dóminus, eduxítque vos in manu forti, et redémit de domo servitútis. *Deut.* 7.

AD MATUTINUM.

Invit. Deum legitimè certántes coronántem, * Venite, adorémus. 2. *ad Tim.* 2.

Psalm. Venite, etc.

HYMNUS.

FOrtes cadéndo Már-

Cœléstis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

Acti procéllis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehúntur, et Christo duce,
Portus beátos óccupant.

Sævit tyránnus, állicit:
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minántem dùm timent,
Dùm munerántem díligunt.

Quem lictor insánus sitit,
Quem cæcus effúndit furor,
Amor sacérdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.

Et ille mixtus sánguini,
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.

Implére vos omnes decet
Passo Deo quod défuit:
Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ps. Deus, áuribus. *fol.* 172.

Ant. In te, Deus, inimícos nostros ventilábimus cornu, et in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Divis. Ps. In Deo laudábimur. *fol.* 172.

Ant. Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, subsannatiónem et derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Alt. divis. Ps. Si oblíti sumus. *fol.* 173.

Ant. Propter te mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi.

℟. Et gloriámini, omnes recti corde. *Ps.* 31.

De Epistolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8.

FRatres, debitóres sumus non carni, ut secúndùm carnem vivámus. Si enim secúndùm carnem vixéritis, moriémini: si autem Spíritu facta carnis mortificavéritis.

ritis, vivétis. Quicúnque Spíritu Dei agúntur, ii sunt fílii Dei. Nòn enim accepístis spíritum servitútis íterùm in timóre; sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei. Si autem fílii, et hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi: si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Exístimo enim quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expéctat.

℟. Gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei, non solùm autem, sed et * Gloriámur in tribulatiónibus.

℣. Tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia probatiónem, probátio ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et justificávit; quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergò dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contrà nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsùs eléctos Dei? Deus qui justíficat. Quis est qui condémnet? Christus Jesus qui mórtuus est, imò qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam intérpellat pro nobis.

℟. Dóminus petra mea et robur meum, * Deus

ego sperábo. *Psalm.* 26. *Deus fortis.

Lectio iij.

QUis ergò nos separábit à charitáte Christi? Tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an periculum, an persecútio, an gládius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre à charitáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Dómine, * Díligam te, fortitúdo mea. *Psal.* 17.

℣. Etiámsi oportúerit me mori tecum. *Matth.* 26. * Díligam te. Glória Patri. * Díligam te.

IN II. NOCTURNO.

Psalm. Ut quid. *fol.* 207.

Ant. Memor esto congregatiónis tuæ, quam possedísti ab inítio.

Divisio Psalm. Usquequò Deus. *fol.* 208.

Ant. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Psal. Deus, repulísti. *fol.* 206.

Ant. Da nobis auxílium de tribulatióne, quia vana salus hóminis.

℣. Salvábit eos Dóminus;

℟. Quia speravérunt in eo. *Ps.* 36.

De Epístolâ S. Cypriáni Episcopi ad Mártyres et Confessóres.

Lectio iv.

QUibus ergò vos laudibus prædicem, fortissimi fratres? Robur péctoris vestri, et perseverántiam fídei, quo precónio vocis exórnem? Tolerástis usque ad consummatiónem glóriæ durissimam quæstiónem, nec ce-

sistis suppliciis, sed vobis pótiùs supplícia cessérunt. Finem dolóribus, quem torménta non dabant, corónæ dedérunt. Quæstio grávior ad hoc perseverávit, non ut stantem fidem dejíceret, sed ut hómines Dei ad Dóminum velóciùs mitteret. Vidit admírans præséntium multitúdo cœléste certámen, certámen Dei, certámen spirituále, prælium Christi; stetísse servos ejus voce líberâ, mente incorrúptâ, virtúte divínâ, telis quidem sæculáribus nudos, sed armis fidei credéntes armátos.

℟. Mirábilis Deus * In Sanctis suis. *Ps.* 67.

℣. Manus Dei fecit hæc ómnia. *Act.* 7. * In Sanctis.

Lectio v.

STetérunt torti torquéntibus fortióres, et pulsántes ac laniántes úngulas pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem superáre non pótuit sæviùs diù plaga repetíta, bat sanguis qui incéndium persecutiónis extíngueret, qui flammas et ignes gehénnæ glorióso cruóre sopíret. O quale illud fuit spectáculum Dómino, quàm sublíme, quàm magnum, quàm Dei óculis sacraménto ac devotióne mílitis ejus accéptum!

℟. Quis loquétur poténtias Dómini? * Audítas fáciet omnes laudes ejus? *Ps.* 105.

℣. Intélligens invíctos esse omnipoténtis Dei auxílio inniténtes. 2. *Mach.* 11. * Audítas.

Lectio vj.

PRetiósa mors hæc est quæ emit immortalitátem prétio sui sánguinis, quæ accépit corónam de consummatióne virtútis. Quàm lætus illic Christus fuit, quàm libens in tálibus servis suis et pugnávit et vicit protéctor fídei, et dans credéntibus tantùm quantùm se credit cápere qui sumit! Certámini suo ádfuit, præliatóres atque assertóres

℟. Deo grátias qui semper * Triúmphat nos in Christo Jesu. 2. *Cor.* 2.

℣. Deo grátias qui dedit victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. 1. *Corinth.* 15. * Triúmphat nos. Glória Patri. * Triúmphat nos.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Deus noster refúgium. *fol.* 204.

Ant. Dóminus virtútum nobíscum, suscéptor noster Deus Jacob.

Ps. Verba mea. *f.* 115.

Ant. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Psal. Deus, venérunt. *fol.* 106.

Ant. Secúndùm magnitúdinem bráchii tui pósside filios mortificatórum.

℣. Salus justórum à Dómino.

℟. Et protéctor eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Cùm audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primùm hæc fieri; sed nondùm statim finis. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

35. *In Evang.*

AUdítis tot terróribus turbári póterant infirmórum corda, atque ideò consolátio adjúngitur: Pónite ergò in córdibus vestris non præmeditári quemádmodùm respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Ac si apértè membris suis infirmántibus dicat: Nolíte terréri, nolíte pertiméscere: vos ad certámen accéditis, sed ego prælior; vos verba éditis, sed ego sum qui loquor.

℟. In te, (Dómine,) cantátio mea semper, * Tu adjútor fortis. *Psal.* 70.

℣. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 117. * Tu adjútor.

Lectio viij.

SEquitur: Tradémini autem à paréntibus et

frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis. Sed quia dura sunt quæ prædicántur de afflictióne mortis, prótinùs consolátio súbditur de gáudio resurrectiónis, cùm dícitur: Capíllus de cápite vestro non períbit; vidélicet apértè dicens: Cur timétis ne péreat quod incísum dolet, quandò et illud in vobis períre non potest quod incísum non dolet? Séquitur: In patiéntiâ vestrâ possidébitis ánimas vestras. Idcircò possésio ánimæ in virtúte patiéntiæ pónitur, quia radix ómnium custósque virtútum patiéntia est. Per patiéntiam verò possidémus ánimas nostras; quia, dùm nobis ipsis dominári díscimus, hoc ipsum incípimus possidére quod sumus.

℟. Mélior est pátiens viro forti. * (Mélior est) qui dominátur ánimo suo, expugnatóre úrbium. *Prov.* 16.

℣. Non dominétur meî omnis injustítia. *Ps.* 118. * Mélior est qui dominátur.

Lectio ix.

Et nos sine ferro esse póssumus mártyres, si patiéntiam veráciter in ánimo custodímus... Serváte ergo, fratres, in mente patiéntiam, eámque, cùm res éxigit, exercéte in operatióne. Nullum vestrûm ad ódium próximi contumeliósa verba commóveant, nulla periturárum rerum damna pertúrbent. Si enim mansúra damna pertiméscitis, damna rerum transeúntium grávia non putátis: si ætérnæ retributiónis glóriam concupíscitis, de temporáli injúriâ non dolétis. Toleráte ergò adversários vestros; sed ut fratres dilígite quos tolerátis, ætérna præmia pro damnis temporálibus quærite.

℟. Hæc est grátia, * Si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias pátiens injústè. 1. *Petr.* 2.

℣. Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. *Rom.* 8. * Si propter. Glória Patri. * Si propter.

℣. *Sacerd.* Non derelínquet Dóminus sanctos suos.

℟. In ætérnum conservabúntur. *Ps.* 36.

AD LAUDES.

Psal. Benedícam. *fol.* 150.

Ant. Timéte Dóminum, omnes sancti ejus; quóniam non est inópia timéntibus eum.

Divisio Psal. Veníte, filii. *fol.* 150.

Ant. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos; et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Psal. Jubiláte Deo, omnis terra, psalmum. *fol.* 11.

Ant. Jubiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus, date glóriam laudi ejus.

Canticum. Is. 51.

AUdíte me, qui scitis justum, * pópulus meus lex mea in corde eórum.

Nolíte timére oppróbria hóminum. * et blasmis: * et sicut lanam, sic devorábit eos tinea.

Salus autem mea in sempitérnum erit, * et justítia mea in generatiónes generatiónum.

Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini, * consúrge sicut in diébus antíquis in generatiónibus sæculórum.

Numquid non tu percussísti supérbum, * vulnerásti dracónem?

Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi veheméntis: * qui posuísti profundum maris viam, ut transírent liberáti?

Et nunc qui redémpti sunt à Dómino, reverténtur, * et vénient in Sion laudántes, et lætítia sempitérna super cápita eórum.

Gáudium et lætítiam tenébunt, * fúgiet dolor et gémitus.

Ego, ego ipse consolábor vos: * quis tu ut timéres ab hómine mor-

Ant. Nunc qui redémpti sunt à Dómino, reverténtur, et vénient in Sion laudántes, et lætítia sempitérna super cápita eórum.

Psal. Dóminus regnávit, exúltet. *fol.* 88.

Ant. Lætámini, justi, in Dómino, et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Capitulum. Sap. 10.

REddidit justis Deus mercédem labórum suórum, et dedúxit illos in viâ mirábili; tránstulit illos per mare rubrum, et transvéxit illos per aquam nímiam.

HYMNUS.

QUam, Christe, signásti viam
Primus, profúso sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequúntur mílites.
Fossus manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas,
Et membra trunci Mártyres
[...]
Tuum tribúnal ámbiunt;
Accépta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.
* Audíre si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.
Fac, si tyránnus déficit,
Ne blandiéndo móllius
Frangat volúptas péctora,
Ipsis tyránnis sævior.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. In te, Dómine, speravérunt,

℟. Et liberásti eos. *Ps.* 21.

Ad Bened. *Ant.* Antíquus diérum judícium dedit Sanctis excélsi, et regnum obtinuérunt Sancti. *Dan.* 7.

Oratio.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut sanctórum Mártyrum

exémpla sequámur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DA nobis, Dómine, virtútem calcándi salútis hostes, ut non sedúcant nos falsa promitténdo, qui roborátos grátiâ tuâ Mártyres N. N. superáre non potuérunt sæviéndo. Per Dóminum.

AD HORAS.

HYMNUS.

* AUdire si nos réspuis, etc. *ut supr. ad Laudes.*

Psalm. secund. Rubr. gen.

℟. *parv. In omnibus Dupl.* Qui spontè obtulístis ánimas vestras ad perículum, benedícite Dómino. *Judic.* 5.

AD II. VESPERAS.

Psal. Crédidi, *fol.* 153.

Ant. 6. F. Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

Psal. In converténdo. *fol.* 73.

Ant. 8. a. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.

Ps. Exaltábo te, Deus. *fol.* 154.

Ant. 5. F. Virtútem terribílium tuórum dicent, et magnitúdinem tuam narrábunt.

Divis. Psal. Miserátor et miséricors. *fol.* 155.

Ant. 7. *d.* Allevat Dóminus omnes qui córruunt, et érigit omnes elísos.

Alt. Divis. Justus Dóminus. *fol.* 155.

Ant. 2. *D.* Custódit Dóminus omnes diligéntes se; et omnes peccatóres dispérdet.

Allel. Allel. Venérunt de tribulatióne magnâ, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Allel. *Apoc.* 7.

PROSA.

NOs éxcitat ad gáudium
Mártyrum triumphántium
Beáta solémnitas.
Horum profúso sánguine,
Quasi fœcúndo sémine,
Crevit sancta cívitas.

Fulgent accincti róbore,
Cadunt hilari péctore,
Sub manu furéntium.
Gáudium tantò plé-
nius,
Quantò fit copiósius
Agmen moriéntium.
Gratulántur, collætán-
tur,
Mœstos fratres consolán-
tur,
Orant pro torquéntibus.
In torméntis roboráti,
Et à Christo coronáti,
Vacant Dei láudibus.
Quid próderit hos vic-
tóres,
Hujus vitæ contemptóres,
Et cœléstis amatóres,
Voce solâ cánere?
Mundum ipsi contem-
námus,
Et cadúca deserámus,
Ut sincérè valeámus
Te Christum diligere.
Illis hostes sæviores,
Nobis obstant gravióres,
Et infirmis fortióres,
Nisi Deus ádjuvet.
Pugna ne sit hæc sinis-
tra,
Arma, Deus, tu minístra,
Voce firmes nos magístrâ
Quæ trépidos súblevet.
Propter te sunt prælia,
In te sit victória.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 1. D.
Beáti qui persecutió-
nem patiúntur propter
justítiam, quóniam ip-
sórum est regnum cœló-
rum. *Matth.* 5.

AD COMPLETORIUM.

Psal. ut heri.

HYMNUS.

AUdíre, *ut sup. ad Lau-
des.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.
Córpora (Sanctórum)
in pace sepúlta sunt, et
nomen eórum vivit in ge-
neratiónem et generatió-
nem. *Eccli.* 44.

---

*In Semidupl. Simpl.
et intrà Octavas.*

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Sap. 3.

JUstórum ánimæ in ma-
nu Dei sunt, visi sunt
óculis insipiéntium mori,
illi autem sunt in pace.
℞. *br.* Custódit Dó-
minus * Animas Sanctó-
rum suórum. Custódit.

℣. De manu peccatóris liberábit. *Ps.* 96. * Animas Sanctórum. Glória Patri. Custódit.

℣. Disténti sunt non suscipiéntes redemptiónem.

℟. Ut meliórem invenirent resurrectiónem. *Heb.* 21.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 21.

ABstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum, et mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt.

℟. *br.* Justi epuléntur et exúltent * In conspéctu Dei. Justi.

℣. Et delecténtur in lætitiâ. *Ps.* 67. * In conspéctu. Glória Patri. Justi epuléntur.

℣. Tanquam aurum in fornáce probávit illos.

℟. Et quasi holocáusti hóstiam accépit illos. *Sap.* 3.

AD NONAM.

Capitulum. Isa. 9.

LÆtabúntur coràm te sicut qui lætántur in messe, sicut exúltant victóres captâ prædâ quandò dívidunt spólia.

℟. *br.* Deus * Dedit victóriam. Deus dedit.

℣. Per Dóminum nostrum Jesum Christum. 1. *Cor.* 15. * Dedit. Glória Patri. Deus.

℣. Hæc est victória quæ vincit mundum,

℟. Fides nostra. 1. *Joan.* 5.

Pro die Octavâ semidupl.

Sermo.

S. Augustini Episcopi. *Sermo* 139. *in Mart.*

Lectio iij.

HOc per istas solemnitátes commemoráre debet sánctitas vestra, primùm ne arbitrémur áliquid nos conférre martyribus, quia eórum dies solemníssimos celebrámus. Illi nostris festivitátibus non egent, quia in cælis cum Angelis gaudent. Con-

gáudent autem nobis, non si honorémus, sed si imitémur eos.. Honoráre, et non imitári, nihil est áliud quàm mendáciter adulári. Ad hoc ergò istæ festivitátes in Ecclésiis constitútæ sunt Christi, ut per eas congregátio membrórum Christi admoneátur imitári Mártyres Christi..Si enim nobis proponátur imitándus Deus, respóndet humána fragílitas multùm esse ad se imitári eum cui non potest comparári. Si deindè ipsius Dómini Jesu Christi ad imitatiónem nobis propónitur exémplum.. hìc respóndet humána fragílitas: Quid símile, ego et Christus? Ad tolléndas ígitur omnes excusatiónes infidélis infirmitátis, Mártyres nobis stratum construxérunt.. Vidéte ergò, fratres, sic celebráre passiónes Mártyrum, ut cogitétis imitári Mártyres.

℟. Et * Nunc quid dicémus, Deus noster, post hæc? 1. *Esd.* 9.

℣. Eámus et nos, ut moriámur cum Jesu. *Joan.* 11. * Nunc. Glória. * Nunc.

COMMUNE PONTIFICUM.

AD I. VESPERAS.

Ant. 4. E. Dabo vobis pastóres juxtà cor meum, et pascent vos sciéntiâ et doctrínâ. *Jerem.* 3.

Ant. 7. a. Pópulum meum docébunt quid sit inter sanctum et pollú-

Ant. 1. D. Cùm fúerit controvérsia, stabunt in judíciis meis, et judicábunt. *Ezech.* 44.

Ant. 8. G. Holocáusta eórum et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. *Isa.* 56.

Ant. 5. C. Invocábunt

Capitulum. Heb. 5.

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo tanquam Aáron: sic et Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

℟. Factum est illi in testaméntum ætérnum * Fungi Sacerdótio, et glorificáre pópulum suum † In nómine ejus.

℣. Ipsum elégit (Deus) ab omni vivénte. *Eccli.* 45. * Fungi.

Glória Patri. † In nómine.

HYMNUS.

CHriste, pastórum caput atque Princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu;
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impéndit sua, seque, servus
Omnium, curis gravis; omnibúsque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit,
Fit potens verbo, docet alta: pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe, fac Patrem, paritérque tecum,
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum. Amen.

℣. Beátus quem elegísti et assumpsísti.

℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Magn. *Ant.* 7. c.

Erit ipsi pactum Sacerdótii sempitérnum, quia zelátus est pro Deo suo. *Num.* 25.

AD COMPLETORIUM.

Psal. secundùm rubr. gen.

HYMNUS.

JEsu, Sacerdótum decus,
In hâc die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adésto súpplicum.
Sui probátus præmium
Amóris, et pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.
Supréme, Christe, Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C. Quemcúnque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16.

AD MATUTINUM.

Invit. Pastórum Prínci-

Póntifex summo, tibi, qui fidéles
Quos legis, formas pópulis regéndis
Ipse ministros;
Hunc juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis abúndans,
Flens et invítus, duce te, treméndum
Sumpsit honórem.
Nóverat quantis páteat períclis
Ille, qui summos ápices adéptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
Fécerat fervens amor inquiétum:
Quò gregis chari pia cura poscit,
Advolat promptus: mora non eúntem
Ulla retárdat.
Dux iter, vitâ præeúnte, monstrat;
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam benè

Próvidus cunctis pater, omnibúsque
Omnia factus.
Christe, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut æternæ súbeant opima
Páscua vitæ. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Júdica me, Deus, *fol.* 123.

Ant. Emitte lucem tuam et veritátem tuam; ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Psalm. Consérva *fol.* 132.

Ant. Dóminus pars hæreditátis meæ et cálicis mei: tu es qui restitues hæreditátem meam mihi.

Psal. Dóminus regit me. *fol.* 149.

Ant. Impinguásti in óleo caput meum, et calix meus inébrians quàm præclárus est!

℣. Elégit Dóminus servum suum,

℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77.

De Epístolâ primâ beati Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIdélis sermo: Si quis Episcopátum desiderat, bonum opus desiderat. Opórtet ergò Episcopum irreprehensíbilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui benè præpósitum. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne in supérbiam elátus, in judícium incidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium incidat, et in láqueum diáboli.

℟. Hoc est quod * Locútus est Dóminus: Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, et in conspéctu omnis pópuli glorificábor. *Levit.* 10.

℣. Qui accédunt ad Dó-

minum, sanctificéntur. *Exod.* 19. * Locútus est.

De Epistolâ ad Titum.

Lectio ij. Cap. 1.

OPórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem: non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum qui secúndùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrínâ sanâ, et eos qui contradícunt argúere.

℟. Quis sciet, nisi tu, Dómine,) déderis sapiéntiam * De altíssimis? *Sap.* 9.

℣. Emítte lucem tuam et veritátem tuam. *Ps.* 42. * De altíssimis.

Lectio iij. Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam. Senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntiâ. Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, benè docéntes, ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos diligant, prudéntes, castas, sóbrias, domûs curam habéntes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrínâ, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile: ut is qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Non abscóndam sacraménta Dei; et * Non præteríbo veritátem. *Sap.* 6.

℣. Testis enim mihi est Deus quómodò cúpiam omnes in viscéribus Jesu Christi. *Philip.* 1. * Non præteríbo. Glória. * Non præteríbo.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Júdica me, Dómine, quóniam ego. *fol.* 94.

Ant. Complácui in ve-

ritáte tuâ; non sedi cum concílio vanitátis.

Psal. Confitébimur. *fol.* 190.

Ant. Dixi iníquis: Nolíte iniquè ágere, et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Psalm. Exáudiat. *fol.* 134.

Ant. Memor sit (Dóminus) omnis sacrifícii tui, et holocáustum tuum pingue fiat.

℣. Pavit eos in innocéntiâ cordis sui.

℟. Et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. *Ps.* 77.

Ex libro pastoráli sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Part. 2. *Cap.* 1.

TAntùm debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantùm distáre solet à grege vita pastóris... Sit ergò, necésse est, cogitatióne mundus, quátenùs nulla hunc immundítia pólluat, ut in aliénis quoque córdibus pollutiónis máculas tergat: quia necésse est ut esse munda stúdeat manus quæ dilúere aliórum sordes curat... Sit operatióne præcípuus, ut vitæ viam súbditis vivéndo denúntiet; et grex, qui pastóris vocem morésque séquitur, per exémpla méliùs quàm per verba gradiátur. Qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hâc eâdem necessitáte compéllitur summa monstráre: illa namque vox libéntiùs auditórum cor pénetrat, quam dicéntis vita comméndat.

℟. Pastor * Ante oves vadit, et oves illum sequúntur.

℣. Sciunt vocem ejus. *Joan.* 10. * Ante oves.

Lectio v. Cap. 5.

SIt rector síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus; ut et per pietátis víscera, in se infirmitátem cæterórum tránsferat, et per speculatiónis altitúdinem semetipsum quoque invisibília appeténda transcéndat; ne, aut alta petens proximórum infírma despíciat, aut infírmis proximórum cóngruens appétere alta derelínquat... Sit benè agéntibus per humilitátem sócius, contrà delinquén-

tium

tium vítia per zelum justítiæ eréctus...Undè cuncti qui præsunt, non in se potestátem debent órdinis, sed æqualitátem pensáre conditiónis; nec præésse se homínibus gáudeant, sed prodésse.

℟. Curent * Bonis opéribus præésse : hæc sunt bona et utília homínibus. *Tit.* 3.

℣. Quid prófuit supérbia? Aut divitiárum jactántia quid cóntulit? *Sap.* 5. * Bonis.

Lectio vj. Cap. 8.

SCiéndum quoque est quòd non opórtet ut rectóres boni placére homínibus áppetant, sed ut suæ æstimatiónis dulcédine próximos in afféctum veritátis trahant: non ut se amári desíderent; sed ut dilectiónem suam quasi quamdam viam fáciant, per quam corda audiéntium ad amórem Conditóris introdúcant. Diffícile quippè est, ut quámlibet recta denúntians prædicátor qui non dilígitur, libénter audiátur. Debet ergò qui diri, et tamen amórem suum pro seipso non quærere.

℟. Per ómnia * Omnibus pláceo, non quærens quod mihi útile est, sed quod multis ut salvi fiant. 1. *Cor.* 10.

℣. Omnia autem fácio propter Evangélium. 2. *Cor.* 9. * Omnibus. Glória. * Omnibus.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Beátus vir qui non ábiit. *fol.* 4.

Ant. In cáthedrâ pestiléntiæ non sedit; sed in lege Dómini volúntas ejus.

Psal. Misericórdiam. *fol.* 83.

Ant. Misericórdiam et judícium cantábo tibi, Dómine; psallam et intélligam in viâ immaculátâ.

Psal. Dómine, quis habitábit? *fol.* 80.

Ant. Requiéscet in monte sancto tuo qui ingréditur sine máculâ, et operátur justítiam.

℣. Stabit in loco sancto ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discipulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

17. *in Evang. n.* 14.

EST, fratres charíssimi, quod me de vitâ pastórum veheménter afflígit. Sed ne cui injurióşum videátur fortássè, quod ássero, me quoque páriter accúso... Ad exterióra enim negótia delápsi sumus, et áliud ex honóre suscípimus, atque áliud ex officio actiónis exhibémus. Ministérium prædicatiónis relínquimus, et ad pœnam nostram, ut vídeo, Epíscopi vocámur, qui honóris nomen, non virtútem tenémus.

℟. In ómnibus * Exhibeámus nos sicut Dei minístros. 2. *Cor.* 6.

℣. Quæritur inter dispensatóres ut fidélis quis inveniátur. 1. *Cor.* 4. * Exhibeámus.

Lectio viij.

RElínquunt namque Deum, hi qui nobis commíssi sunt, et tacémus; in primis áctibus jacent, et correptiónis manum non téndimus. Quotídiè per multas nequítias péreunt, et eos ad inférnum téndere negligénter vidémus. Sed quandò nos vitam corrígere valeámus aliénam, qui neglígimus nostram? Curis enim sæculáribus inténti, tantò insensibilióres intùs effícimur, quantò ad ea quæ foris sunt studiosióres vidémur. Implorémus Jeremíæ lácrymas, consíderet mortem nostram, et deplórans dicat: Quómodò obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus, dispérsi sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium plateárum?

℟. Propter Sion * Non tacébo, et non quiéscam. *Isa.* 62.

℣. Ut omnes fácerem salvos. 1. *Cor.* 9. * Non tacébo.

Lectio ix.

AUrum quippè obscurátum est, quia Sacerdótum vita, quondam

per glóriam virtútum clara, nunc per actiónes infírmas osténditur réproba. Color óptimus est mutátus, quia ille sanctitátis hábitus per terréna et abjécta ópera ad ignomíniam despectiónis venit. Dispérsi sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium plateárum, quia hi qui per vitam et oratiónem intùs semper esse debúerant, per vitam réprobam foris vacant. Ecce jam penè nulla est sæculi áctio, quam non Sacerdótes adminístrent. Dùm ergò in sancto hábitu constitúti, exterióra sunt quæ éxhibent, quasi sanctuárii lápides, foris jacent.

℟. Dómine, * Sacerdótes tui induántur justítiam. *Ps.* 131.

℣. Ut hómines vídeant ópera bona, et gloríficent Patrem qui in cœlis est. *Matth.* 5. * Sacerdótes tui. Glória Patri. * Sacerdótes tui.

℣. *Sacerd.* Domus Aáron, domus Levi, bene-

AD LAUDES.

Psal. Deus, Deus meus, ad te. *fol.* 13.

Ant. Adhæsit ánima mea post te; me suscépit déxtera tua, (Dómine.)

Psal. Te decet. *fol.* 116.

Ant. Beátus quem elegísti et assumpsísti: inhabitábit in átriis tuis.

Psal. Quàm diiécta. *fol.* 148.

Ant. Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine, in sæcula sæculórum laudábunt te.

Canticum. Is. 62.

SUper muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes, * totâ die et totâ nocte in perpétuum non tacébunt.

Qui reminiscímini Dómini, ne taceátis * et ne detis siléntium ei, donec stabíliat, et donec ponat Jerúsalem laudem in terrâ.

Jurávit Dóminus in déxterâ suâ, et in bráchio

vinum tuum, * in quo laborásti.

Quia qui cóngregant illud, cómedent, * et laudábunt Dóminum.

Et qui compórtant illud, * bibent in átriis sanctis meis.

Glória Patri, etc.

Ant. Ne detis siléntium ei, donec stabíliat, et donec ponat Jerúsalem laudem in terrâ.

Psal. Laudáte nomen Dómini. *fol.* 54.

Ant. Qui statis in domo Dómini, in átriis domûs Dei nostri, laudáte Dóminum.

Capitulum. 1. *Pet.* 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coáctè, sed spontáneè secúndùm Deum, neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; neque ut dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

HYMNUS.

JEsu, Sacerdótum decus,
In hâc die, quâ glóriâ
Sanctum corónas præsulem,
Votis adésto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, et pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.

Hos novit, et præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victúmque præbet: áudiunt,
Sequúntur, et vivunt oves.

Quam sentit errántem jugis,
Hanc nocte quærit ac die,
Et gaudet invéntam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes béstias,
Lupi retúndit ímpetus,
Dolósque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

Offert frequéntem víctimam
Cum plebe pastor ínnocens;
Secúmque devótum gregem
Pius Sacérdos ímmolat.

Supréme, Christe, Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Salvum fecit Dómi-
nus Christum suum :
℟. Exáudiet illum de
cœlo sancto suo. *Ps.* 19.

Ad Bened. *Ant.*
Cùm apparúerit Princeps Pastórum, percipiétis immarcessíbilem glóriæ corónam. 1. *Pet.* 5.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad te toto corde confugiéntes, intercedénte beáto N. Pontífice, pietátis tuæ indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

FAc nos, Deus, in fortitúdine tuâ ad implénda officia nostra sancti Pontíficis N. exémplo alacres ambuláre; et, ópere consummáto quod dedísti nobis faciéndum, in te felíciter requiéscere. Per Dóminum.

AD HORAS.

HYMNUS.

JEsu, Sacerdótum decus, etc. *ut supr. ad Complet.*

Psalm. secundùm rubricam.

℟. *parv. in omnibus Duplicibus.* Invéntus est perféctus, justus, et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. *Eccli.* 44.

AD II. VESPERAS.

Psal. Beátus vir qui timet. *fol.* 34.

Ant. 3. a. Justítia ejus manet in sæculum sæculi; cornu ejus exaltábitur in glóriâ.

Psal. Beáti omnes. *fol.* 209.

Ant. 8. d. Ecce sic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

Psal. Laudáte, púeri. *fol.* 35.

Ant. 1. g. Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, et humília réspicit in cœlo et in terrâ?

Psal. Meménto, Dómine. *fol.* 209.

Ant. 4. A. Sacerdótes tui induántur justítiam, et Sancti tui exúltent.

Divis. Psal. Jurávit Dóminus. *fol.* 210.

Ant. 5. c. Sacerdótes Sion induam salutári, et

Sancti ejus exultatióne exultábunt.

Allel. Allel. ℣. Zelándo zelum Dei accépit testaméntum Sacerdótii ætérni. 1. *Mach.* 2. Allelúia.

PROSA.

ORbis, qui terris rápitur,
Præsulem tollat láudibus,
Et dùm cœlis excípitur,
Hunc célebret concéntibus.

Sanctis decórus móribus,
Splendet virtútis glóriâ;
Factus exémplum ómnibus
Præcéllit sapiéntiâ.

Dùm Angélicis húmeris
Onus treméndum súscipit,
In curâ tanti múneris
Se totum Deo súbjicit.

Créditas oves díligit
Et péctore compléctitur,
Et si quid mali cóntigit,
Bonus pastor compátitur.

Gregem pascit sollícitè
Sano doctrínæ pábulo,
Et salútem exquisitè
Corde promóvet æmulo.

Déviam ovem séquitur
In clivis et in vépribus;
Ardens totus impénditur,
Rapítque lupi fáucibus.

Vadit per aspra móntium
Prædicáre paupéribus,
Factúsque pater ómnium
Levat egénos ópibus.

Scelus audax si pródeat,
Frænat accénsa cháritas,
Peccatórem, si rédeat,
Læta súscipit píetas.

Da, Christe, sacra præsules
Quos inaugúrat únctio,
Intáctos et pervígiles
Tanto flagráre stúdio.

Perénni, tu, qui glóriâ
Frúeris in cœléstibus,
Ora, nos ut in pátriâ
Jungámur cœli cívibus.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.

Nocte et die non cessávi cum lácrymis monens unumquémque vestrûm, et nunc comméndo vos Deo. *Act.* 20.

AD COMPLETORIUM.

Psal. et Hymn. ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.

Non recédet memória ejus, et nomen ejus re-

quirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39.

In Semid. Simpl. et intrà Octavas.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 20.

ATténdite vobis et univérso gregi in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. *br.* In páscuis ubérrimis * Pascam oves meas. In páscuis.

℣. Abjéctum redúcam, confráctum alligábo, infírmum consolidábo. *Ezech.* 34. * Pascam oves. Glória Patri. In páscuis.

℣. Sicut vísitat pastor gregem suum,

℟. Sic visitábo oves meas. *Ezech.* 34.

AD SEXTAM.

óperum, in doctrínâ, in integritáte, in gravitáte.

℟. *br.* In ómnibus * Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros. 2. *Cor.* 6. In ómnibus.

℣. Spectáculum facti sumus mundo. 1. *Cor.* 4. * Exhibeámus. Glória Patri. In ómnibus.

℣. Pastor ante oves vadit,

℟. Et oves illum sequúntur. *Joan.* 10.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. 5.

OMnis Póntifex ex homínibus assúmptus pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis.

℟. *br.* Voluntáriè * Sacrificábo tibi. Voluntáriè.

℣. Et confitébor nómini tuo, Dómine. *Ps.* 53. * Sacrificábo. Glória Patri. Voluntáriè.

℣. Altária tua, Dómine

Pro die Octavâ semid.

Sermo
Sancti Bernárdi Abbátis.

Tract. de Offic. ejus ad Henric. Senon.

Lectio iij.

IN ómnibus actis vel dictis suis nihil suum quærat Epíscopus, sed tantùm aut Dei honórem, aut salútem proximórum, aut utrúmque.. Offert Deo bonus mediátor preces et vota populórum, repórtans illis à Deo benedictiónem et grátiam. Súpplicat majestáti pro excéssibus delinquéntium, víndicat in peccántes injúriam Dei, ingrátis impróperat benefícia pietátis, contemnéntibus poténtiæ severitátem insínuat, utrísque tamen nihilóminùs placáre studet indignántis furórem... Nec pópuli requírit datum, sed lucrum; nec Dei glóriam usúrpat sibi... Non habet fóveam ut vulpes, non tanquam vólucres nidum, non lóculos quómodò Judas, non dénique, sicut nec María, locum in diversório. Imitátur profèctò illum qui non habébat ubi reclináret caput.. Dénique perdit ánimam suam in hoc mundo, ut in vitam ætérnam custódiat eam.

℟. Dómine, * Sacerdótes tui induántur justítiam. *Ps.* 131.

℣. Discant bonis opéribus præésse, ut non sint infructuósi. *Ps.* 3. * Sacerdótes. Glória.* Sacerdótes.

COMMUNE DOCTORUM.

AD I. VESPERAS.

Ant. 2. D. A Deo profécta est sapiéntia, et in

Ant. 5. a. Denudábit abscónsa sua illi, et thesaurizábit super illum sciéntiam et intelléctum

et continébit illum, et non confundétur; et exaltábit illum apud próximos suos. *Eccli.* 15.

Ant. 6. F. In médio Ecclésiæ apériet os ejus, et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ et intelléctûs. *Eccli.* 15.

Ant. 1. *D.* Sápiens palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. *Eccli.* 39.

Capitul. 1. *Cor.* 12.

UNicuíque datur manifestátio spíritûs ad utilitátem: álii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ, álii autem sermo sciéntiæ secúndùm eúmdem Spíritum.

℟. Sit nomen Dómini benedíctum à sæculo et usque in sæculum, quia * Sapiéntia et fortitúdo ejus sunt.

℣. Dat sapiéntiam sapiéntibus, et sciéntiam intelligéntibus. *Dan.* 2. * Sapiéntia. Glória. * Sapiéntia.

Hymnus

Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm benè súppetis!

Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrúmpat fídei virgíneum decus:
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.

Infámes ábolent relliquias Deûm,
Errores ábigunt, crimina dédocent,
Christo restítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.

Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, undè nitet fides;
Quæ sunt prisca, docent; quæ nova súbruunt:
Servant depósitum Dei.

* Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta patrum quandò foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.

Amen

Ad Magn. *Ant.* 6. F.

Ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ, et in oratióne confitébitur Dómino. *Eccli.* 39.

Oratio ut inf. ad Laudes, si desit Propr.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. secundùm Rubr. gen.

HYMNUS.

Quæ dixére tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus ímprimas;
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.

Sit supréma, etc. *ut sup.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. c.

In corde prudéntis requiéscit sapiéntia, et indóctos quosque erúdiet. *Prov.* 14.

AD MATUTINUM.

Invitat. Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1.

Ps. Veníte.

HYMNUS.

Jam nunc, quæ númeras tot tibi víndices,
Effer sidéreum, Relligio, caput:
Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.

Cùm per mille neces impietas furit,
Oppónis válido péctore Mártyres;
Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi súscitas.

Quandò sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinùs ámputant:
Quandò plúrima nox méntibus incubat,
Hi plenum révehunt diem.

Firmant instábiles, et dúbios regunt;
Monstrant tuta procul líttora náufragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.

* Quæ dixére tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus ímprimas;
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.

Sit supréma tibi glória,
Véritas,
Quæ per scripta patrum quandò foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus inseris.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. In te, Dómine, sperávi... Et éripe. *f.* 166.

Ant. Tanquam prodígium factus sum multis, et tu adjútor fortis.

Divisio Ps. Os meum. *fol.* 167.

Ant. Deus, docuísti me à juventúte meâ, et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Ps. Beátus vir qui non ábiit. *fol.* 4.

Ant. In lege Dómini volúntas ejus, et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

℣. Testimónium Dómini fidéle,

℟. Sapiéntiam præstans párvulis. *Ps.* 18.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 39.

SApiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in Prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu Præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet : bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟. Dómine misericórdiæ, * Da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. *Sap.* 9.

℣. Est enim mihi útilis in ministérium. 2. *Tim.* 4. * Da mihi.

Lectio ij.

COr suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, Spíritu intelligéntiæ replébit illum, et ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse di-

riget consilium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

℟. Beátus homo * Qui invénit sapiéntiam. *Prov.* 3.

℣. Potens eos qui contradícunt argúere. *Tit.* 1. * Qui invénit.

Lectio iij.

IPse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

℟. Fructus sensûs (sapiéntis) laudábilis * Plebem suam erúdit. *Eccli.* 37.

℣. Laus ejus ab extrémis terræ. *Isa.* 42. * Plebem. Glória. * Plebem.

IN II. NOCTURNO.

Ps. Noli æmulári. *fol.* 96.

Ant. Edúcet (Dóminus) quasi lumen justitiam tuam, et judícium tuum tanquam merídiem.

Divisio Psal. Novit Dóminus. *fol.* 97.

Ant. Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur, et viam ejus volet.

Altera Divis. Os justi. *fol.* 98.

Ant. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabúntur gressus ejus.

℣. Justítiæ Dómini lætificántes corda:

℟. Præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. *Ps.* 18.

Ex libro secúndo sancti Augustíni Episcopi, contrà Juliánum.

Lectio iv. Cap. 9.

PRopónimus auctoritátis molem Sanctórum, qui ante nos, non solùm sermóne, cùm hîc viverent, verùm étiam scriptis, quæ posteritáti reliquére, fidem cathólicam strénuè defendérunt.. Tales quippè ac tanti viri, secúndùm cathólicam fidem, quæ antiquitùs toto orbe diffúnditur, et hoc, et illa vera esse confirmant... Quod invenérunt

in Ecclésiâ, tennérunt; quod didicérunt, docuérunt; quod à Pátribus accepérunt, hoc filiis tradidérunt.

℟. Unicuique nostrûm data est grátia; * Occurrámus omnes in unitátem fidei. *Eph.* 4.

℣. Tantam habéntes impósitam nubem téstium. *Heb.* 12. * Occurrámus.

Lectio v.

ISti sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres, in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, non potes invenire quod spernas. Nec isti uno témpore fuérunt, sed fidéles, et multis excellentióres paucos dispensatóres suos Deus per divérsas ætátes témporum, locorúmque distántias, sicut ei placet, atque expedire júdicat, ipse dispénsat.

℟. Ipse * Dedit quosdam doctóres ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi. *Eph.* 4.

℣. Páriter omnes audiámus. *Eccle.* 12. * Dedit.

Lectio vj.

QUantò tibi essent isti júdices optabilióres, si tenéres cathólicam fidem, tantò tibi sunt terribilióres, quia oppúgnas cathólicam fidem quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt, cujus lac et cibum parvis magnisque ministravérunt, quam contrà inimícos, étiam vos tunc nondùm natos, undè nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit.

℟. Congregámini, * Pópuli, accíngite vos et vincímini, iníte consílium et dissipábitur. *Isa.* 8.

℣. Est Ecclésia Dei vivi, colúmna et firmaméntum veritátis. 1. *Tim.* 3. * Pópuli. Glória, etc. * Pópuli.

IN III. NOCTURNO.

Rs. Expéctans. *f.* 173.

Ant. Cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit ti-

bi, (Dómine;) annuntiávi, et locútus sum.

Divisio Psal. Annuntiávi justítiam. *fol.* 174.

Ant. Justítiam tuam non abscóndi in corde meo; veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Ps. Dómini est terra. *fol.* 87.

Ant. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, et misericórdiam à Deo salutári suo.

℣. Déxteram tuam, (Dómine,) sic notam fac.

℟. Et erudítos corde in sapiéntiâ. *Ps.* 89.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília

Sancti Hilárii Epíscopi.

Enarr. in Ps. 118. *n.* 8.

JUbet Dóminus in E-li, dicens: Nemo enim lucérnam accéndit, et ponit eam sub módio: quæ enim lucérnæ, si módio tegátur, utílitas est? Usum suum tantùm intrà id quod operítur, impéndit. Jubet ígitur eam in candelábro, id est, in offícii sui sede, constítui. Itaque hanc doctrínam atque hoc verbum Dei, intrà nos recéptum, non otiósum neque inútile tanquam in módio occulámus; sed lumen istud nobis ipsis primùm, et rursùs ex nobis, ómnibus géntibus præbeámus.

℟. Deus * Apériat nobis óstium sermónis, ad loquéndum mystérium Christi. *Coloss.* 4.

℣. Desiderántes trádere non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras. 1. *Thess.* 2. * Apériat.

Lectio viij.

SEquénti quoque istud mandáto Dóminus admónuit, dicens: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ vestræ ardéntes

cem, et díligit ténebras. Vult has lucérnas nostras esse semper accénsas, nequándò in nocte hujus sæculi relinquámur.

℟. Ergò dùm tempus habémus, * Operémur bonum ad omnes, máximè autem ad domésticos fídei. *Gal.* 6.

℣. Ut vídeant ópera bona, et gloríficent Patrem qui in cœlis est. *Matth.* 5. * Operémur.

Lectio ix.

JUdæis in tabernáculo testimónii lucérna accénditur, et hæc omnis festivitátis suæ témpore ardet. Illi quod agunt néseiunt; sed nos in his tabernaculórum nostrórum, id est, córporum testimóniis, ardéntes lucérnas semper habeámus, et festivitátem spei nostræ eárum luce peragámus. Apóstolos quoque quos sal terræ, quos et lumen mundi Dóminus núncupat, per hanc significatiónem et lucérnas esse

unum corpus in Christo est, nosque ínvicem membra ejus sumus: primùm enim unicuíque nostrûm Dei verbum óculus, sive lucérna est; deíndè vir Apostólicus toti córpori suo, id est, Ecclésiæ lucérna est.

℟. In ómnibus * Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in sciéntiâ, in verbo veritátis. 2. *Cor.* 6.

℣. Sicut luminária in mundo, *Philippens.* * Exhibeámus. Glória. * Exhibeámus.

℣. *Sacerd.* Spíritus ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei. 1. *Cor.* 2.

℟. Deus docet hóminem sciéntiam. *Ps.* 93.

AD LAUDES.

Ps. Laudáte nomen Dómini. *fol.* 51.

Psal. Ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, et Deus noster præ ómnibus diis.

Psal. Dixit injústus. *fol.* 116.

Ant. Apud te, (Dómine,) est fons vitæ, et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Canticum. Sap. 7.

OPtávi, et datus est mihi sensus; * et invocávi, et venit in me spiritus sapiéntiæ.

Et præpósui illam regnis et sédibus, * et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

Nec comparávi illi lápidem pretiósum: * quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exigua, et tanquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus.

Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam: * quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illâ, * et innumerábilis honéstas per manus illíus.

Et lætátus sum in ómnibus: * quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est.

Quam sine fictióne dídici, et sine invídiâ commúnico, * et honestátem illíus non abscóndo.

Infinitus enim thesáurus est homínibus: * quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

Glória Patri, etc.

Ant. Thesáurus est homínibus (sapiéntia,) quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei.

Psal. Laudáte Dóminum, omnes gentes. *fol.* 199.

Ant. Véritas Dómini manet in ætérnum.

Capitulum. Eccli. 14.

BEátus vir qui excógitat vias (sapiéntiæ) in corde suo, vadens post illam quasi investigátor, protegétur sub tégmine illíus à fervóre, et in glóriâ ejus requiéscet.

HYMNUS.

VOs succénsa Deo spléndida lúmina;
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum;

Per

Per vos relligio, túta-
que véritas,
Per vos virgíneis fulget
honóribus;
Per vos Christus amat
pándere dívites
Thesáuros sapiéntiæ.

Vestris unda fluit pura
canálibus,
Christi floret ager, mun-
da nitet seges,
Lac aptum púeris, et só-
lidum viris
Cauti sufficitis cibum.

Hi sunt, summe Deus,
qui tibi mílitant;
Hi sunt, qui stábiles ædí-
ficant domos?
Unâ docta cohors arma
tenet manu,
Muros cónstruit álterâ.

Vicístis stygias vos qui-
bus hæreses,
Hæc nos accípimus tela
supérstites:
His pugnámus adhuc,
nec dúbio éxitu
His armis quoque vínci-
mus.

Sit supréma tibi gló-
ria, Véritas,
Quæ per scripta patrum
quandò foris sonas,
Nullo vocis egens, corda

℣. Ignítum elóquium tuum, Dómine,
℟. Servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118.

Ad Bened. *Ant.*

Qui fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matt.* 5.

Oratio.

ECclésia tua, Deus, beáti N. Doctóris intercessiónibus semper adjuvétur, cujus cœléstibus indesinénter instrúitur disciplínis. Per Dóminum.

AD HORAS.

HYMNUS.

QUæ dixére tuis, etc. *ut supr. ad Matutinum.*

Psalm. secundùm Rubgen.

℟. *parv. in omnib. Dupl.* Dedit illi (sapiéntia) sciéntiam sanctórum, honestávit illum in labóribus. *Sap.* 10.

AD II. VESPERAS.

Ant. 7. G. Súscitans à terrâ inopem (Dóminus), et de stércore érigens páuperem, ut cóllocet eum cum princípibus.

Psalm. Nisi Dóminus ædificáverit. *fol.* 129.

Ant. 4. *E.* Non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in portâ.

Psal. Sæpè expugnavérunt me. *fol.* 180.

Ant. 3. c. Dóminus justus concídit cervíces peccatórum.

Psal. In converténdo. *fol.* 73.

Ant. 1. g. Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Psal. Confitébor tibi, Dómine.... Quóniam audísti. *fol.* 154.

Ant. 8. G. Confiteántur tibi, Dómine, omnes Reges terræ; quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Allel. Allel. ℣. Dedit illi in præcéptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege suâ lucem dare Israël. *Eccli.* 45. Allel.

PROSA.

PRæclárum éfferat
Caput relígio,
Quæ suo génerat
Fœcúnda grémio
Doctóres ínclytos.

Lux facti méntibus
Cæcos erúdiunt,
Sal terræ, móribus
Præstant, quos cóndiunt
Virtúti déditos.

Eléctam víneam
Colunt et úberant,
Fidem vírgineam
Labéntem réparant
Cautè pervígiles.

Scelus lethíferum
Fugant cùm prædicant,
Semen adúlterum
Exórtum énecant,
Firmántque débiles.

Per hos Ecclésiæ
Sacra vox íntonat,
Lex sapiéntiæ
Per hos et résonat,
Infixa méntibus.

Per hos præstántiùs
Prómicat véritas,
Per hos et áltiùs
Æstuat cháritas
Ignita córdibus.

Ferox cùm rábies
Erróris frémeret,
Cùmque progénies
Víperæ púngeret,
Sanant quos læserat.

Librórum lúmine
Redúcunt dévios,
Verbórum fúlmine
Cónterunt ímpios,
Quos error lúserat.

Doctrinæ rívulos
Intáctos bíbere,
Christíque fámulos
Præstáte vívere
In fide dóciles.
Oráte, lúmine
Nos, quo fruímini,
Beári, númine
Quo vos pascímini,
In cœlis stábiles.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti, et qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Hymnus ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C. Fuit gratus Deo, erudítus omni sapiéntiâ, et erat potens in verbis, et in opéribus suis. *Act.* 7.

In Semidupl. Simpl. et intrà Octavas.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 6.

SApiéntia non est multis manifésta; quibus autem cógnita est, pérmanet usque ad conspéctum Dei.

℟. *br.* Beátus homo * Qui invénit sapiéntiam. Beátus.

℣. Omnia quæ desiderántur, huic non valent comparári. *Prov.* 3. * Qui invénit.

Glória Patri, etc. Beátus homo.

℣. Mélior est acquisítio ejus

℟. Negotiatióne argénti et auri. *Prov.* 3.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 6.

SI quis áliter docet, et non acquiéscit sanis sermónibus Dómini nostri Jesu Christi, et ei quæ secúndùm pietátem est, doctrínæ, supérbus est, nihil sciens.

℟. *br.* Viam veritátis

elégi, * Judícia tua non sum oblítus. Viam veritátis.

℣. Adhæsi testimóniis tuis, Dómine. *Ps.* 118. * Judícia tua. Glória Patri. Viam veritátis.

℣. A judíciis tuis non declinávi,

℟. Quia tu legem posuísti mihi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 4.

NE retíneas verbum in témpore salútis: in linguâ enim sapiéntia dignóscitur, et sensus et sciéntia et doctrina in verbo sensáti.

℟. *br.* Veritátem tuam et * Salutáre tuum dixi. Veritátem.

℣. Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam. *Psalm.* 39. * Salutáre. Glória Patri. Veritátem.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

Pro die Oct. semid.

Ex commonitório primo sancti Vincéntii Lirinénsis Presbyteri.

Lectio iij. Cap. 28.

CRescat, opórtet, et multùm veheménter profíciat tàm singulórum quàm ómnium, tàm uníus hóminis quàm totíus Ecclésiæ ætátum ac sæculórum grádibus intelligéntia, sciéntia, sapiéntia; sed in suo duntáxat género: in eódem scílicet dógmate, eódem sensu, eâdémque senténtiâ. Christi Ecclésia sédula et cauta depositórum apud se dógmatum custos, nihil in his unquàm permútat, nihil mínuit, nihil addit; non ámputat necessária, non appónit supérflua; non amíttit sua, non usúrpat aliéna: sed omni indústriâ hoc unum studet, ut vétera fidéliter sapientérque tractándo,

enucleáta, consólidet et firmet; si qua jam confirmáta et definíta, custódiat. Catholicórum hoc próprium, depósita sanctórum Patrum et commíssa serváre, et damnáre profánas novitátes; et sicut dixit atque iterùm prædixit Apóstolus: Si quis annuntiáverit prætérquàm quod accéptum est, anathéma sit.

℟. Fratres, * Quicúnque ergò perfécti sumus, hoc sentiámus. *Philip.* 3.

℣. Dixit (Jesus:) Si (frater) Ecclésiam non audíerit, sit tibi sicut éthnicus et publicánus. *Matth.* 18. * Quicúnque. Glória. * Quicúnque.

COMMUNE PRESBYTERORUM.

AD I. VESPERAS.

Psalm. Laudáte. *fol.* iij.

Ant. 4. E. Locútus est Dóminus: Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi; et in conspéctu omnis pópuli glorificábo. *Levit.* 10.

Ant. 7. a. Ingrediéntur tabernáculum fœderis, ut sérviant mihi pro Israël, et orent pro eis, ne sit in pópulo plaga. *Num.* 18.

Ant. 8. G. Holocáusta eórum et víctimæ eórum nomen meum super fílios Israël, et ego benedícam eis. *Num.* 6.

Ant. 5. C. Inebriábo ánimam Sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis adimplébitur. *Jerem.* 31.

Capitulum. Numer. 16.

NOtum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, et sanctos applicábit sibi; et quos elégerit, appropinquábunt ei.

℟. Sacerdótes sancti erunt Deo suo, et non

nec accédet ad ministérium. *Levit.* 21.

℣. Sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntiâ. *Tit.* 2. * Qui habúerit. Glória. * Qui habúerit.

HYMNUS, *si sit Martyr.*

EX quo, salus mortálium, etc. *ut in com. unius Martyr. exceptâ Doxol.*

* Jesu, Sacerdótum decus,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

HYMNUS,

si non sit Martyr.

CEssant figúræ, non litat impares
Impar Sacérdos ámpliùs hóstias:
Jam Póntifex fit Numen ipsum,
Seque sibi Deus agnus offert.
Vitam cruéntus qui se-
Mactátus aris, et renáscens,
Perpétuò moriéndo vivit.
Ad grande munus nos Deus érigit,
Quos intùs ungit sacríficos sibi:
Pondus cadúci sustinémus
Angélicis húmeris treméndum.
* O quàm stupéndæ quas ágimus vices!
Quem prona Cœli cúria súspicit,
Sacras ad aras imperántes,
Nos dócilis Deus ipse sentit.
Christum, Sacérdos, cœlitùs évocas:
Tibi se subdit, qui creat ómnia;
Immótus orbem qui gubérnat,
Se tibi dat fácilem movéri.
Non impoténti, criminis árbiter,
Verbo, resólvis férrea víncula:
Quas fers magistrâ voce, Numen
Ecce sibi putat esse leges.
Laus summa Patri, summaque Filio,
Qui se Paréntí cónsecrat

Chrismate, laus tibi, Flamen almum.

Amen.

℣. Stabit in loco sancto Dómini,

℟. Innocens mánibus et mundo corde. *Psal.* 23.

Ad Magn. *Ant.* 1. D.

Quasi thus ardens in igne, in ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum. *Eccli.* 50.

Oratio ut in Propr. vel ut infr. ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalm. secundùm Rub. gen.

HYMNUS, *si sit Martyr.*

DA, Christe, tanti militis
Æquáre facta fórtia;
Da sustinére pro tuo
Quodcúnque durum nómine.

* Jesu, Sacerdótum decus, etc. *ut supr. ad Vesp.*

HYMNUS, *si non sit Mart.*

* O Quàm stupéndæ quas ágimus vices! etc. *ut supr. ad Vesp.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.

Nocte et die non cessávi cum lácrymis monens unumquémque vestrûm, et nunc comméndo vos Deo. *Act.* 20.

AD MATUTINUM.

Invitat. Sacerdótem in ætérnum Jesum, * Venite, adorémus. *Hebr.* 6.

Psal. Venite, etc.

HYMNUS, *si sit Mart.*

FElix morte tuâ, qui cruciátibus, etc. *ut in Comm. unius Martyr.*

HYMNUS,
si non sit Martyr.

JAm satis fluxit cruor hostiárum,
Prístinæ cessent holocáusta legis:
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra ministri.

Elicit flammas Elías ab alto:
Mysta nunc major jubet, et poténti
Obsequens verbo Deus astat aris,
Hóstia factus.

Pingue libámen, novus et Sacérdos,
Orbe jam toto Deus immolátur:

Se manu nostrâ litat incruénto
Fúnere Christus.
Tale nil priscis Pátribus tribútum,
Angélis nusquàm data par potéstas:
Se manu nostrâ Deus ipse cunctis
Præbet in escam.
Christe, fac semper tua sacra puro
Corde tractémus, manibúsque puris;
Cháritas aptos tua nos treméndis
Applicet aris.
* Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. de I. Noct. Domin. in Psalt.

Ant. Hæc dicit Dóminus: Elégi eum mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum. 1. *Reg.* 2.

Ant. Implévi eum Spíritu Dei, sapiéntiâ et intelligéntiâ, et sciéntiâ in omni ópere. *Exod.* 31.

Ant. Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, et in conspéctu omnis pópuli glorificábor. *Lev.* 10.

℣. Servábo illi misericórdiam meam,

℟. Et testaméntum meum fidéle ipsi. *Psal.* 88.

De Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 4.

EXémplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide, in castitáte. Dùm vénio, atténde lectióni, exhortatióni, et doctrínæ. Noli negligere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophétiam, cum impositióne mánuum Presbytérii. Hæc meditáre, in his esto; ut proféctus tuus manifestus sit ómnibus. Atténde tibi, et doctrínæ; insta in illis: hoc enim fáciens, et teípsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

℟. Beátus ille servus quem, cùm vénerit Dóminus, invénerit ita fa-

ciéntem : * Super ómnia quæ póssidet, constítuet illum. *Luc.* 12.

℣. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, et misericórdiam à Deo salutári suo. *Psal.* 23. * Super.

Lectio ij. Cap. 6.

EST quæstus magnus píetas cum sufficiéntiâ. Nihil enim intúlimus in hunc mundum : haud dúbium quòd nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas : quam quidam appeténtes, erravérunt à fide et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge : sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, charitátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei ; apprehénde vitam ætérnam, in quâ vocátus es.

℟. Dómine misericórdiæ, * Da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam : tu elegísti me júdicem filiórum tuórum et filiárum.

℣. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et erunt accépta ópera mea, et dispónam pópulum justè. *Sap.* 9. * Da mihi.

Lectio iij.

DIvítibus hujus sæculi præcipe non sublíme sápere, neque speráre in incérto divitiárum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis ómnia abúndè ad fruéndum ; benè ágere, dívites fíeri in bonis opéribus, fácilè tribúere, communicáre, thesaurizáre sibi fundaméntum bonum in futúrum, ut apprehéndant veram vitam.

℟. Dóminus pars hæreditátis meæ et cálicis mei, * Etenim hæréditas mea præclára est mihi. *Psal.* 15.

℣. Argéntum et aurum nullíus concupívi. *Act.* 20. * Etenim. Glória. * Etenim.

IN II. NOCTURNO.

Psal. de II. Noct. Domin.

Ant. De Sacerdótibus non interibit vir à fácie meâ, qui ófferat holocautómata et incéndat sacrifícium. *Jerem.* 33.

Ant. Exorábit pro peccátis, et continébit se ab illis, et in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 4.

Ant. Rogánte pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Levit.* 4.

℣. Exáudiet illum de cœlo sancto suo:

℟. In potentátibus salus déxteræ ejus. *Psal.* 19.

Ex Libro S. Joánnis Chrysóstomi de Sacerdótio. *Libr.* 3. *cap.* 2.

Lectio iv.

SAcerdótium in terrâ quidem perágitur, sed in rerum cœléstium classem ordinémque referéndum est. Atque id perquàm méritò: quippè hujúsmodi dispósuit; qui mortálibus homínibus etiámnum in carne manéntibus auctor fuit, ut Angelórum ministérium ánimo concíperent.

℟. Diléctus à Dómino Deo suo, in fide suâ probátus est: et * Invocávit Dóminum omnipoténtem in oblatióne Agni inviolàti.

℣. Sacérdos non secúndùm legem mandáti carnális factus, * Invocávit. *Eccli.* 46. *Hebr.* 7.

Lectio v.

IDcircò necésse est Sacerdótem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocátus, inter cœléstes illas virtútes médius staret. Nam dùm cónspicis Dóminum immolátum, et illic situm, Sacerdótem sacrifício incumbéntem, ac preces fundéntem; tum verò turbam circumfúsam pretióso illo sánguine intíngi ac rubefíeri, etiámne te inter mortáles versári atque in terrâ

mente purâ, circúmspicis quæ in cœlo sunt? O miráculum! ô Dei benignitátem! qui cum Patre sursùm sedet, in illo ipso témporis artículo ómnium mánibus pertractátur, ac se ipse tradit voléntibus ipsum excípere ac compléctì.

℟. Oblátio justi impínguat altáre, * Et odor suavitátis est in conspéctu Altíssimi.

℣. Multùm enim valet deprecátio justi assídua. * Et odor. *Eccli.* 35. *Jac.* 5.

Lectio vj.

HAbent quidem et terréstres príncipes vínculi potestátem, verùm córporum solùm. Id autem quod dico Sacerdótum vínculum, ipsam étiam ánimam contíngit, atque ad cœlos usque pervádit: usque ádeò ut quæcúnque infernè Sacerdótes confécerint, illa éadem Deus supernè rata

sam? Quorumcúnque enim, ait, peccáta remiséritis, remittúntur eis; et quorumcúnque retinuéritis, reténta sunt. Quænam, obsécro, potéstas, hâc unâ major esse queat? Pater omne judícium Fílio dedit: cæterùm vídeo ipsum omne judícium à Deo Fílio illis tráditum.

℟. Dóminum elegísti ut sit tibi Deus, et ámbules in viis ejus, et custódias cæremónias illíus: et * Dóminus elégit te ut sis ei, et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam. *Deut.* 26.

℣. Noli neglígere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi, cum impositióne mánuum. * Dóminus. Glória. * Dóminus. 1. *Tim.* 4.

IN III. NOCTURNO.

Psalm. de III. Noct. Dominic.

Ant. Scitis quòd do-

scandalizátur, et ego non uror? 2. *Cor.* 11.

Ant. Annuntiábam ut pœniténtiam ágerent et converteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes. *Act.* 25.

℣. Vidi prævaricántes, et tabescébam;

℟. Quia elóquia tua non custodiérunt. *Psal.* 118.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo témpore, Circuibat Jesus civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilia
Sancti Gregórii Papæ.
17. *in Evangel. n.* 3.

MIssis prædicatóribus quid Dóminus dicat, audiámus. Messis quidem multa, operárii autem pauci: rogáte ergò Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ad messem multam operárii pauci sunt, quod sine gravi mœróre loqui non póssumus; quia dicant. Ecce mundus Sacerdótibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valdè invenítur operátor: quia officium quidem Sacerdotále suscépimus, sed opus officii non implémus. Sed pensáte, fratres mei, pensáte quod dícitur: (Rogáte Dóminum messis ut mittat operários in messem suam.) Vos pro nobis operári valeámus, ne ab exhortatióne lingua tórpeat, ne postquàm prædicatiónis locum suscépimus, apud justum júdicem tacitúrnitas nostra nos addícat.

℟. Operátus est bonum et rectum et verum coràm Dómino Deo suo, * In univérsâ cultúrâ ministérii domûs Dómini.

℣. Fidélis erat in totâ domo tanquam fámulus. * In univérsâ. 2. *Par.* 31. *Hebr.* 3.

Lectio viij.

SÆpè enim pro suâ nequítiâ, prædicántium lingua restríngitur: sæpè verò ex subjectórum culpâ ágitur, ut eis qui præsunt prædicatiónis sermo

ingua restríngitur, sicut Psalmísta ait : Peccatóri autem dixit Deus : Quarè tu enárras justítias meas? Et rursùm ex vítio subjectórum vox prædicántium subtráhitur, sicut ad Ezechiélem Dóminus dicit : Linguam tuam adhæréscere fáciam paláto tuo, et eris mutus, nec quasi vir objúrgans; quia domus exásperans est. Ac si apértè dicat : Idcircò tibi prædicatiónis sermo tóllitur, quia dùm me in malis áctibus plebs exásperat, non est digna cui exhortátio veritátis fiat.

℟. Non fácilem labórem assúmpsimus, imò verò Negótium plenum vigiliárum et sudóris. 2. *Mach.*

℣. Zelus Dómini exercituum fáciet hoc. 4. *Reg.* 9. * Negótium.

Lectio ix.

SEd útinàm, si ad prædicatiónis virtútem non sufficimus, loci nostri officium innocéntiâ vitæ teneámus!.. Multi cùm regíminis curam suscípiunt, ad lacerándos súbditos inardéscunt, terrórem potestátis éxhibent, et quibus prodésse debúerant, nocent.. Contrà hæc ómnia, considerándum nobis est, quia sicut agni inter lupos míttimur, ut sensum servántes innocéntiæ, morsum malítiæ non habeámus. Qui enim locum prædicatiónis súscipit, mala inférre non debet sed toleráre; ut in ipsâ suâ mansuetúdine iram sæviéntium mítiget, et peccatórum vúlnera in áliis ipse afflictiónibus vulnerátus sanet.

℟. Quæsívit bona genti suæ, et * Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit. 1. *Machab.* 14.

℣. Exémplum bonórum óperum, in doctrínâ, in integritáte, in gravitáte. *Tit.* 2. * Confirmávit. Glória. * Confirmávit.

℣. *Sacerd.* Benedícite, Sacerdótes, Dómini, Dómino;

℟. Laudáte et superexaltáte eum in sæcula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Psalm. de Domin. excepto Cantico.

Ant. Vir Dei es tu, et verbum Dómini in ore tuo verum est. 3. *Reg.* 17.

Ant. Ecce docuísti multos, et manus lassas roborásti: vacillántes confirmavérunt sermónes tui. *Job.* 4.

Ant. Scriptus es in judíciis témporum lenire iracúndiam Dómini. *Eccli.* 48.

Canticum. Malach. 2.

PActum meum fuit cum eo, vitæ et pacis: * et dedi ei timórem, et tímuit me, et à fácie nóminis mei pavébat.

Lex veritátis fuit in ore ejus; * et iníquitas non est invénta in lábiis ejus.

In pace et in æquitáte ambulávit mecum, * et multos avértit ab iniquitáte.

Lábia enim Sacerdótis custódient sciéntiam; et legem requírent ex ore ejus; * quia ángelus Dómini exercítuum est.

Glória Patri, etc.

Ant. Tu assecútus es doctrínam, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam. 2. *Tim.* 3.

Ant. Beátus ille servus, quem, cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit sic faciéntem: super ómnia bona sua constituet eum. *Matth.* 24.

Capitulum. 1. *Tim.* 5.

QUi benè præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeántur; máximè qui labórant in verbo et doctrínâ.

HYMNUS, *si sit Martyr.*

JAm non te lácerant, etc. *ut in Comm. unius Martyris.*

HYMNUS,
si non sit Martyr.

O Sacerdótum veneránda jura!
Ceu vices Christi téneant, salútis
Arbitri, claudunt, reseràntque nobis
Atria Cœli.

Omne pendéntes scelus in statérâ,
Cùm reum solvunt, Deus ipse solvit;
Cùm ligant sontem, Deus ipse sontis
Víncula nectit.

Verba dùm promunt, pópulus fidélis

Excipit vocem, cúpidus
doceri :
Nempè divínæ sacra verba
legis
Mente recóndunt.
Irruens prompti cohi-
bére fulmen,
Stant ab advérso, Domi-
númque placant,
Vindiees in nos quóties
ab alto
Dépluit iras.
Dùm Sacerdótes tua
sacra tractant,
Christe, fac sacris qui-
bus applicásti,
Cónsonent mores, popu-
líque fiat
Forma Sacérdos.
Lúminis splendor, etc.
ut supr. ad Vesp.

℣. Sacerdótes ejus índuam salutári;
℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131.

Ad Bened. *Ant.*

Euge, serve bone et fidélis: quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam; intra in gáudium Dómini. *Matth.* 25.

Oratio, si sit Martyr.

DEus à quo constántiam fides, et virtútem sumit infírmitas; quæsumus, ut beáti N. Sacerdótis et Mártyris tui exémplo et précibus, quidquid in persecutióne sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre. Per Dóminum.

Oratio, si non sit Martyr.

DOmine, Deus omnípotens, qui fámulum tuum N, ut sacerdótio tibi fungerétur, à pópulo segregásti; ejus nos intercessióne à peccatóribus ségrega; ut secúndùm vocatiónem nostram, gens sancta et regále Sacerdótium coràm te efficiámur. Per Dóminum.

AD HORAS.

Hym. de Psalt. exceptâ Doxol.

* JEsu, Sacerdótum decus, etc. *ut sup. ad Vesp.*

Psal. secundùm Rubr. generalem.

℟. *Parv. in omnib. Duplicibus.*

Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. 2. *Tim.* 4.

AD II. VESPERAS.

Psal. Dixit Dóminus. *fol.* 33.

Ant. 3. a. Fidélis servus et prudens, quem constituit Dóminus super famíliam suam. *Matth.* 24.

Psal. Crédidi, propter quod locútus sum. *fol.* 153.

Ant. 1. G. De omni corde suo laudávit Dóminum. *Eccli.* 47.

Psal. Meménto, Dómine, David. *fol.* 209.

Ant. 4. A. Introíbimus in tabernáculum Dómini. *Psal.* 131.

Psal. Jurávit Dóminus. *fol.* 210.

Ant. 5. c. Sion réquies mea in sæculum sæculi. *Psal.* 131.

Psal. Consérva me, Dómine. *fol.* 132.

Ant. 1. g. Dóminus pars hæreditátis meæ, et cálicis mei. *Psal.* 15.

Allel. Allel. ℣. Edóctus

Prosa, *si sit Martyr.*

IN triúmphum mors mutátur, etc. *ut in Com. unius Martyr.*

Prosa, *si non sit Martyr.*

OPus quàm difficile,
Onus formidábile
Sacri ministérii!
Hoc non ferret Présbyter,
Nisi Deus fórtiter
Esset adjutórii.
Gubernátor strénuus
Vasti maris árduus
Præcavet perícula.
Benè regens pópulos,
Quot elísit scópulos,
Répulit quot jácula!
Ceu colúmna figitur,
Nec commissam pátitur
Navim sterni flátibus.
Sédulus obséquio,
Potens et elóquio
Pastum præbet óvibus.
Quantâ vigilántiâ
Rexit hic ovília!
Quàm libens se trádidit!
Non gaudet honóribus,
Non ditéscit ópibus;
Largâ manu dívidit.
A te, Deus, óritur,
Et ad te revértitur
Omnis sapiéntia.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.

Ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. *Joan.* 12.

Oratio propria, vel ut supr. ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut heri.

In Semiduplicib. Simpl. et intrà Octavas.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 4.

ATténde tibi et doctrínæ, insta in illis: hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

℟. *br.* Os meum annuntiábit * Justítiam tuam, Dómine. Os meum.

℣. Pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.* Justítiam. Glória. Os meum.

℣. Ecce lábia mea non prohibébo;

℟. Dómine, tu scisti. *Psal.* 39.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 1.

GRátias ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério.

℟. *br.* Tríbuat tibi * Secúndùm cor tuum. Tríbuat.

℣. Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas. * Secúndùm. Glória. Tríbuat.

℣. Memor sit omnis sacrifícii tui;

℟. Et holocáustum tuum pingue fiat. *Psal.* 19.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 3.

QUi benè ministráverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fidúciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

℟. *br.* Hic accípiet * Benedictiónem à Dómino. Hic

℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo. *Ps.* 13. * Benedictiónem. Glória. Hic accipiet.

℣. Beátus quem elegísti et assumpsísti;

℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Psal.* 64.

Pro die Octavâ Semidupl.

Ex Libro secúndo de Sacerdótio, S. Joánnis Chrysóstomi.

Lectio iij.

NEque enim témerè ad delictórum modum opórtet et mulctam ipsam adhibére; sed tanquam conjectúris quibúsdam explorándus est delinquéntium ánimus: ne quà fiat ut dùm consúere vis quod interrúptum est, scissúram deteriórem fácias; ac dùm eum qui lapsus est erígere atque emendáre studes, casus ipse major per te reddátur. Nam qui infírmi sunt ac remíssi, ii, si sensim ac paulátim peccatórum correctiónem adhíbeas, possint útique, si non pénitùs, áttamen parte áliquâ exímere se, ac liberáre malis peccatísque quibus occupántur: quos si justâ statim animadversióne eméndes, fiet ut minóri étiam illâ correctióne quam sustinére póterant, prives. Humánus enim ánimus, posteáquàm verecúndiæ fines semel transíre coáctus est, in indoléntiam dilábitur; tùm autem neque blandis verbis paret, neque minis fléctitur, neque benefíciis movétur... Quocircà multâ quidem opus Pastóri prudéntiâ, sexcéntis étiam, ut sic dicam, óculis: ut rectè úndique humáni ánimi hábitum circumspícere possit.

℟. Relínquite infántiam et vívite, et * Ambuláte per vias prudéntiæ. *Prov.* 9.

℣. Sciéntia Sanctórum prudéntia. *Prov.* 9. * Ambuláte. Glória. * Ambuláte.



COMMUNE ABBATUM
ET
MONACHORUM.

AD I. VESPERAS.

Ant. 2. *D.* Edúcam vos de pópulis, congregábo vos de terris, et addúcam vos in desértum. *Ezech*. 20.

Ant. 5. C. Lætábitur desérta et ínvia, et exultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. *Is*. 35.

Ant. 4. f. Erit ibi sémita et via, et via sancta vocábitur. *Isa.* 35.

Ant. 8. c. Pópulum istum formávi mihi, laudem meum narrábit. *Is*. 43.

Ant. 7. *d.* Habitábit in solitúdine judícium, erit cultus justítiæ siléntium, et secúritas usque trem; et vos éritis mihi in fílios.

℟. In loco horróris et vastæ solitúdinis circumdúxit eum.* Dóminus solus dux ejus fuit. *Deut.* 32.

℣. Fide obedívit in locum exíre, et éxiit nésciens quò iret. *Heb.* 11. * Dóminus solus. Glória Patri. * Dóminus solus dux ejus fuit.

HYMNUS.

FElíces némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio sæcli
Mores læderet íntegros.

Ut te possídeant, quem

Illis divítiæ, paupériem
pati;
Illis summa volúptas,
Longo supplício mori.
Fac nos, summe Deus,
quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre
libéntiùs;
Et tellúre relíctâ,
Immortália quærere.
Ætérnus sit honos ingénito Patri;
Sit par unigenæ glória
Filio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. Operátus est bonum et rectum,

℟. Et verum coràm Dómino Deo suo. 2. *Par*. 31.

Ad Magn. *Ant*. 6. F.

Nemo est qui relíquerit domum aut agros propter me, qui non accípiat cénties tantùm nunc in témpore hoc, et in sæculo futúro vitam ætérnam. *Marc*. 10.

Oratio de Propr. vel ut infrà.

AD COMPLETORIUM.

Ps. secundùm rub. gen.

Hymnus.

FElíces némorum, etc. *ut supr. ad Vesp.*

Ad Nunc dim. *Ant*. 6. C.

Qui hábitant in desérto, secúri dórmient in sáltibus. *Ezech*. 34.

AD MATUTINUM.

Invit. Jesum qui ductus est in desértum à Spíritu, * Veníte, adorémus. *Matt*. 4.

Psalm. Veníte.

FElíces némorum, etc. *ut sup. ad Vesp.*

Ps. Expéctans. *fol*. 173.

Ant. Edúxit me (Dóminus) de lacu misériæ, et de luto fæcis; et státuit super petram pedes meos, et diréxit gressus meos.

Divis. Psalm. Annuntiávi justítiam. *fol*. 174.

Ant. Mendícus sum et pauper; Dóminus sollícitus est meî.

Psalm. Quàm dilécta. *fol*. 148.

Ant. Beátus vir cujus est auxílium abs te: ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

℣. Dóminus Deus ipse est ductor tuus; ℟. Non dimíttet, nec derelínquet te. *Deut.* 31.

De Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 3.

FRatres, quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse, propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens justítiam meam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus, si dam, in quo et comprehénsus sum à Christo Jesu.

℟. Ideò et nos * Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. *Heb.* 12.

℣. Sic enim abundánter ministrábitur intróitus in ætérnum regnum. 2. *Pet.* 1. * Per patiéntiam.

Lectio ij.

FRatres, ego me non árbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt oblivíscens, ad ea verò quæ sunt prióra exténdens meípsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicúnque ergò perfécti sumus, hoc sentiámus: et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervenímus ut idem sapiámus, et in eâdem permaneámus régulâ.

℟. Exeámus igitur ad (Christum): * Non enim habémus hîc manéntem

Lectio iij.

IMitatóres mei estóte, fratres; et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpè dicébam vobis (nunc autem et flens dico,) inimícos crucis Christi, quorum finis intéritus, quorum Deus venter est, et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est, undè étiam salvatórem expectámus, Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ, secúndùm operatiónem, quâ étiam possit subjícere sibi ómnia.

℟. Scio quòd * De terrâ surrectúrus sum: repósita est hæc spes mea in sinu meo. *Job.* 19.

℣. Audéntes ígitur bonam voluntátem habémus peregrinári à córpore, et præséntes esse ad Dóminum. 2. *Corinth.* 5. * De terrâ. Glória Patri. * De terrâ.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Benedícam. *fol.* 150.

Ant. Dívites eguérunt et esuriérunt; inquiréntes autem Dóminum, non minuéntur omni bono.

Divis. Psalm. Veníte, filii. *fol.* 150.

Ant, Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos.

Psal. Qui hábitat. *fol.* 38.

Ant. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur.

℣. Non hábuit ánimi sui tristítiam,

℟. Non éxcidit à spe suâ. *Eccli.* 14.

Ex sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

De mor. Eccles.

Lectio iv.

QUis nescit summæ continéntiæ hóminum Christianórum multitúdinem per totum orbem in dies magis magísque diffúndi?... Quis non illos mirétur et prædicet, qui, contémptis atque desértis mundi hujus illécebris,

in commúnem vitam castíssimam sanctissimámque congregáti simul ætátem agunt, vivéntes in oratiónibus, in lectiónibus, in disputatiónibus, nullâ supérbiâ túmidi, nullâ pervicáciâ turbuléntì, nullâ invidéntiâ lívidi; sed modésti, verecúndi, pacáti concordíssimam vitam agunt, et intentíssimam in Deum, gratíssimum ipsi munus ófferunt, à quo ista posse meruérunt?

℟. Beátos vos dicent omnes gentes, éritis vos * Terra desiderábilis. *Malac.* 2.

℣. Tibi nomen tuum, pax justítiæ et honor pietátis. *Bar.* 5. * Terra.

Lectio v.

NEmo quidquam póssidet próprium; nemo cuiquam onerósus est; operántur mánibus ea quibus et corpus pasci possit, et à Deo mens impedíri non possit... Corpus reficitur, quantùm salúti et salubritáti satis est... Et quidquid necessário victui redúndat (nam redúndat plúrimùm ex opéribus mánuum, et epulárum restrictióne), tantâ curâ egéntibus distribúitur, quantâ non ab ipsis qui distríbuunt, comparátum est. Nullo modo sátagunt ut hæc sibi abúndent, sed agunt ut non apud se remáneat quod abundáverit.

℟. Ecce quàm bonum et quàm jucúndum * Habitáre fratres in unum. *Ps.* 132.

℣. Est thesáurus sine defectióne sanctitátis. *Eccli.* 30. * Habitáre.

Lectio vj.

CHáritas in his præcípuè custodítur: charitáti virtus, charitáti sermo, charitáti hábitus, charitáti vultus aptátur. In unam conspirátur charitátem: hanc violáre tanquam Deum nefas dúcitur; huic si quid resístit, expugnátur atque ejícitur; hanc si quid offéndit, unum diem duráre non sinitur. Sciunt ita commendátam esse à Christo et Apóstolis, ut, si hæc una desit, inánia; si hæc adsit, plena sint ómnia.

℟. Verè * In hoc cháritas Dei perfécta est.

℣. Qui dicit se in (Christo) manére, debet sicut ille ambulávit et ipse ambuláre. 1. *Joan.* 2. * In hoc cháritas. Glória Patri. * In hoc cháritas.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Confitémini Dómino, quóniam... Dicant qui redémpti sunt. *fol.* 84.

Ant. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus et mirabília ejus fíliis hóminum, quia satiávit ánimam inánem.

Divis. Psal. Confiteántur Dómino. *fol.* 85.

Ant. Sacríficent sacrifícium laudis, et annúntient ópera ejus in exultatióne.

Altera Divis. Ps. Confiteántur Dómino. *fol.* 86.

Ant. Pósuit desértum in stagna aquárum, et terram sine aquâ in éxitus aquárum, et collocávit illic esuriéntes.

℣. Excélsus (Deus) et hábitans cum húmili.

℟. Ut vivíficet Spíritum humílium. *Is.* 57.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore, Dixit Jesus adolescénti: Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cœlo; et veni, séquere me. Et réliqua.

Homília S. Joánnis Chrysóstomi Epíscopi.

Hom. 64. *in Matth. post init.*

ANtequàm Jesus adolescénti certámen et labórem osténderet, bravium præ óculis pósuit, dicens: Si vis perféctus esse; actum infert, vende ómnia quæ habes, et da paupéribus. Et mox iterùm præmia incúlcat, et habébis thesáurum in cœlo; et veni, séquere me. Magna enim retribútio est Dóminum sequi... Non ergò satis est pecúniam spérnere, opórtet ante ómnia Christum sequi, id est, ómnia præstáre quæ ab ipso jubéntur; paratúmque semper esse tàm labóres subíre, quàm omne genus mortis sufférre.

Si quis enim, inquit, venire post me velit, ábneget semetipsum, tollátque crucem suam, et sequátur me.

℟. Magíster, * Sequar te. *Matth.* 8.

℣. Non solùm alligári, sed et mori parátus. *Act.* 21. * Sequar te.

Lectio viij.

HÆc cùm audísset adoléscens, ábiit tristis. Quod non absque causâ illi accidísse significávit Evangelísta, dicens: Habébat enim multas possessiónes; non eódem quippè modo detinéntur qui pauca póssident, et qui magnâ rerum cópiâ submergúntur: tunc enim violéntior fit ipsórum cupíditas. Nec unquàm prædicáre cessábo quòd accéssio divitiárum majórem accéndit flammam, et eos qui póssident, paupërióres reddit; quandóquidem eos in plúribus constítuit cupiditátibus, efficítque ut indigéntiam magis séntiant. Pérspice igitur quanta vis sit talis afféctûs. Cùm magnâ diues iste lætítiâ Christum adiisset, ita suffóssus atque óbrutus fuit, ut nec respondére quidem potúerit, sed tristis ac mœstítiâ pressus decésserit.

℟. Propter hoc * Divítias nihil esse duxi. *Sap.* 7.

℣. Dives diffícilè intrábit in regnum cœlórum. *Matth.* 19. * Divítias.

Lectio ix.

VEniat tibi in mentem qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis Joánnes, qualis Elías: vel pótiùs ipsius unigéniti Dei Fílii recordáre, qui non habébat ubi caput reclináret.... Hæc ígitur cogitántes, æmulémur ea quæ nostrâ digna sunt æmulatióne; non magníficas ædes, non ubérrima prædia, non cætera hujúsmodi habéntes, sed eos qui magnam apud Deum fidúciam consecúti sunt, qui divítias ingéntes in cœlo póssident, quorum thesáuri ibi reservántur, qui paupertátem longo divítiis intervállo præponéntes, verè dívites sunt: hujúsmodi sunt omnes propter Christum páuperes.

℟. Beáti * Páuperes, vestrum est regnum Dei. *Luc.* 6.

℣. Rex tuus ipse pauper. *Zach.* 9. * Páuperes. Glória Patri. * Páuperes.

℣. *Sacerd.* Benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino. *Dan.* 3.

℟. (In solitúdine) gratiárum áctio, et vox laudis. *Is.* 51.

AD LAUDES.

Psal. Deus, Deus meus, ad te. *fol.* 13.

Ant. In terrâ desértâ, et inviâ, et inaquósâ, sic in sancto appárui tibi.

Psal. Exáudi, Dómine, justítiam meam. *fol.* 193.

Ant. Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Divis. Psal. Inimici mei. *fol.* 194.

Ant. Ego autem in justítiâ apparébo conspéctui tuo, satiábor cùm appa-rúerit glória tua.

Canticum. Thren. 3.

PArs mea Dóminus, Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quæréntí illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ.

Sedébit solitárius, et tacébit; * quia levávit super se.

Glória Patri.

Ant. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ; sedébit solitárius, et tacébit.

Psal. Dóminus regnávit, exúltet terra. *fol.* 88.

Ant. Lux orta est justo et rectis corde lætitia: lætámini, justi.

Capitulum. Deut. 7.

DOminus Deus ipse est fortis et fidélis, custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se, et his qui custódiunt præcépta ejus in mille generatiónes.

Hymnus.

O Pulchras ácies, cástraque fórtia,

Omnes lege sub unâ,
Uno sub duce militant.

Heu! quantis rápiunt astra labóribus!
Pulsant perpétuis quéstibus æthera,
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.

Fervent quandò die cuncta tumúltibus,
Altùm turba silet; cætera dùm tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa siléntia.

Exércet vígiles contínuus labor;
Incúmbunt óperi non résides manus;
Tellus culta colónis
Victum suppéditat suis.

Ætérnus sit honos ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. Videt bonum de labóre suo,
℟. Hoc donum Dei est. *Eccle.* 3.

Ad Bened. *Ant.*

Fide demorátus est in terrâ repromissiónis tanquam in aliénâ. *Heb.* 11.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti N. Abbátis imitatióne, bona visibília contemnéntes, ad invisibília júgiter suspirémus. Per Dóminum.

Alia Oratio.

SAncti N. supplicatiónibus tríbue nos, Deus, adjuvári; ut quæ piè crédidit, appetámus; et quod justè sperávit, consequámur. Per Dóminum.

AD HORAS.

FElices némorum, etc. *ut sup. ad Vesp.*

Psalm. secundùm rub. gen.

℟. *parv. in omnibus Dupl.* In loco solitúdinis (Dóminus) eum custodívit quasi pupillam óculi sui. *Deut.* 32.

AD II. VESPERAS.

Psal. Beátus vir qui timet Dóminum. *fol.* 34.

Ant. 3. a. Dispérsit, dedit paupéribus; justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Psal. Diléxi. *fol.* 72.

Ant. 8. c. Custódiens párvulos Dóminus: humiliátus sum, et liberávit me.

Psal. Ad Dóminum, cùm tribulárer. *fol.* 101.

Ant. 4. f. Incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar, multùm íncola fuit ánima mea.

Psal. In converténdo. *fol.* 73.

Ant. 6. F. Qui séminant in lácrymis, in exultatióne metent.

Psal. Ecce quàm bonum. *fol.* 102.

Ant. 5. c. Ecce quàm bonum et quàm jucúndum habitáre fratres in unum!

Allel. Allel. ℣. Reliquísti paréntes tuos, plenam mercédem recípias à Dómino. *Ruth.* 2. Allelúia.

PROSA.

IN solitúdine
Stupéndum cérnitur:
Procul à túrbine
Mundi conspícitur
Christi discípulus.

Vanas divítias
Calcat et déspicit,
Sæcli delícias
Spernit et réjicit,
Virtútis æmulus.

Mundi naufrágia
Próperat fúgere,
Ætérna gáudia
Festínat rápere
In antris ábditus.

Relíctis ómnibus
Se quoque déserit;
Procul ab úrbibus
Salútem réperit
Dómino súbditus.

Quibus jejúniis
Corpus attéritur!
Quantis cilíciis
Caro discínditur,
Sæpiùs dómita!

Insuávi pábulo
Vix fauces récreat,
Vili pannículo
Vix membra réparat
Frígore rígida.

Quéstibus æthera
Pulsat perpétuis,
Précibus sídera
Scandit assíduis:
Sic dona cómparat.

Noctis siléntia
Rumpit gemítibus,
Dei mystéria
Revólvit méntibus:
Sic cœlum réserat.

O vita cœlica,
Vix nunc credíbilis!
Virtus angélica,
Quàm admirábilis
In vitæ stádio!

E carnis vínculis,
Christe, nos éxue;
Infáustis fámulis
Grátiam tríbue
In vitæ prælio.
Fac spérnere terréstria,
Ut regnémus in pátriâ.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 1. D.
Cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glóriâ. *Coloss.* 3.

AD COMPLETORIUM.

Ps. et Hymn. ut heri.
Ad Nunc dim. *Ant* 6. *C.*
Secéssit in desértum locum, ibíque inter feras vitam in móntibus cum suis agébat, ne partícipes essent coinquinatiónis. 2. *Mach.* 5.

In Semidupl. et Simpl. et intrà Octavas.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

... gyptiórum, impropérium Christi, fide relíquit Ægyptum.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo, * A te quid vólui super terram? *Ps.* 72. Quid mihi.

℣. Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Galat.* 6. * A te. Glória. Quid mihi.

℣. Pars mea Dóminus,
℟. Dixit ánima mea. *Thren.* 3.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 2.

Si quis díligit mundum, non est cháritas Patris in eo, quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, et concupiscéntia oculórum, et supérbia vitæ.

℟. *br.* Elongávi fúgiens, et * Mansi in solitúdine. Elongávi.

℣. Quóniam vidi iniquitátem in civitáte. *Ps.* 54. * Mansi. Glória. Elongávi.

℣. Longè à peccatóribus salus,

AD NONAM.

Capitulum. Heb. 12.

OMnis disciplína in præsénti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris : pósteà autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

℟. *br.* Propter verba labiórum tuórum * Ego custodívi vias duras. Propter.

℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis. *Ps.* 16. * Ego. Glória. Propter.

℣. Induébar cilício :

℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34.

Pro die Octavâ Semid.

Sermo

S. Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 69. *in Matth.*

Lectio iij.

IN mentem véniat memória Sanctórum qui cilício induúntur, erémum hábitant... Nihil in tabernáculis eórum triste inveniétis; sed tanquam in cœlo tugúria fabricáti, sic longè à sæculi perturbatiónibus hábitant, advérsùs diábolum militántes, et cum lætitiâ eum expugnántes. Idcircò enim in solitúdine domicílium constituérunt, civitátibus et célebri habitatióne hóminum omnínò relictâ... Christiános advérsùs diábolum pugnántes, captívos à mánibus ejus rapiéntes, ómnibus temporálibus negléctis, vívere opórtet. Cur ítaque magníficas ædes struis, ô homo? an ut teípsum magis vincias? Cur thesáurum óbruis? ut diábolum advérsùs ánimam tuam invítes? Cur mœnia condis? an ad cárceres tibi construéndos? Quòd si hæc tibi difficília negléctu videántur, ad tabernácula Monachórum proficiscámur, ut reípsà fácilè ista contémni posse perdíscas.

℟. Detestátus sum omnem indústriam meam. * Renuntiávit cor meum ultrà laboráre sub sole. *Eccle.* 2.

℣. Qui hábitant in desérto, secúri dórmient in sáltibus. *Ezech.* 34. * Renuntiávit. Glória Patri. * Renuntiávit.

COMMUNE JUSTORUM.

AD I. VESPERAS.

Ant. 7. b. Justus quasi fundaméntum sempitérnum, in ætérnum non commovébitur. *Proverb.* 10.

Ant. 8. G. Turris fortíssima nomen Dómini, ad ipsum currit justus, et exaltábitur. *Prov.* 18.

Ant. 5. F. Cor suum tradet ad vigilándum dilúculò ad Dóminum qui fecit illum. *Eccli.* 39.

Ant. 1. g. Erit tanquam lignum quod plantátum est secùs decúrsus aquárum. *Psal.* 1.

Ant. 3. a. Timénti Dóminum benè erit, et in diébus consummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1.

Capitulum. Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, crédite illi, et non evacuábitur merces vestra; qui timétis Dóminum, speráte in illum, et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia; qui timétis Dóminum, dilígite illum, et illuminabúntur corda vestra.

℟. Ambulávit servus tuus in conspéctu tuo, in veritáte, et in justítiâ, et recto corde tecum. * (Custodísti ei, Dómine), misericórdiam grandem. 3. *Reg.* 3.

℣. Habet vitam ætérnam, et in judícium non venit, sed tránsiit à morte in vitam. *Joan.* 5. * Custodísti. Glória Patri. * Custodísti.

HYMNUS.

SUmmi pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite:
Sui patérnus vos amor
Vult esse regni cómpotes.
* En regnat inter cœlites
Qui vixit olim sæculo
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, et sciens pati.
Angústa pœniténtiæ
Ingréssus et viam crucis,

Per dura, Christum, prælia,
Per damna, non timet sequi.
Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscóndit et spargit sinu.
Hâc surgit ad cœlum viâ;
Et nos eâdem, da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te venire sémitâ.
Amen.

℣. Oculus Dei respéxit illum in bono;
℟. Miráti sunt in illo multi, et honoravérunt Deum. *Eccli.* 11.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.

Exquisivit Dóminum: cùmque requíreret Dóminum, diréxit eum in ómnibus. 2. *Paral.* 26.

Oratio de Propr. vel ut inf.

AD COMPLETORIUM.

HYMNUS.

EN regnat, etc. *ut sup. ad Vesp.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C. Oculus non vidit, Deus, quæ præparásti expectántibus te. *Is.* 64.

AD MATUTINUM.

Invit. Diligéntem justos Dóminum, * Venite, adorémus. *Ps.* 145.

Ps. Venite. *fol.* 2.

HYMNUS.

NOn parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura;
Sunt incruénta quæ suos
Habent triúmphos prælia.
Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines;
Crudélis et durus sibi
Se morte lentâ cónficit.
Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori,
Hoc supplet omne cháritas.
Corpus subégit casti-

Amor supérnis ígnibus
Totam litávit hóstiam.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Noli æmulári. *fol.* 96.

Ant. Mélius est módicum justo, super divítias peccatórum multas.

Divis. Psal. Novit Dóminus. *fol.* 97.

Ant. Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur, et viam ejus volet.

Alt. Divis. Psal. Os justi. *fol.* 98.

Ant. Lex Dei ejus in corde ipsíus, et non supplantabúntur gressus ejus.

℣. Justórum sémita quasi lux splendens procédit,

℟. Et crescit usque ad perféctam diem. *Prov.* 4.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 31.

BEátus, qui invéntus est sine mácula, et qui ... cit enim mirabília in vitâ suâ. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna; qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus; fácere mala, et non fecit: ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

℟. Nihil dúlcius quàm respícere in mandátis Dómini, * Glória magna est sequi Dóminum. *Eccli.* 23.

℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. 2. *Cor.* 9. * Glória magna.

Lectio ij. Cap. 32.

QUi timet Dóminum, excípiet doctrínam ejus; et qui vigiláverint ad illum, invénient benedictiónem. Qui quærit legem, replébitur ab eâ; et qui insidiósè agit, scandalizábitur in eâ. Qui timent Dóminum, invénient judícium justum, et justítias quasi lumen accéndent. Qui credit

tur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas.

℣. Beáti qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118. * Dirigántur.

Lectio iij. Cap. 33 *et* 34.

TIméntì Dóminum non occúrrent mala; sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit a malis. Sápiens non odit mandáta et justítias, et non illidétur quasi in procéllâ navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis.... Spíritus timéntium Deum quæritur, et in respéctu illíus benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit et non pavébit, quóniam ipse est spes ejus.

℟. Quàm * Magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te! *Ps.* 30.

℣. Confige timóre tuo carnes meas. *Ps.* 118. * Magna. Glória Patri. * Magna.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Beátus vir qui non ábiit. *fol.* 4.

Ant. Beátus vir qui non ábiit in concilio impiórum, et in viâ peccatórum non stetit.

Psal. Expéctans expectávi. *fol.* 173.

Ant. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Divis. Psal. Annuntiávi justítiam tuam. *fol.* 174.

Ant. Exúltent et læténtur super te omnes quæréntes te.

℣. Pergébat ad templum Dómini.

℟. Ibi adorábat Dóminum Deum. *Tob.* 1.

Ex Libro morálium sancti Gregórii Papæ. *l.* 10. *c.* 16.

Lectio iv.

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimirùm prudéntia usu à juvénibus scitur, hæc à púeris prétio díscitur. hanc qui sciunt, cæteros despiciéndo, supérbiunt; hanc qui nésciunt, sub-

jécti et tímidi in áliis mirántur: quia ab eis hæc éadem duplícitas iniquitátis nómine palliáta dilígitur, dùm mentis persérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adéptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multipliciùs réddere, cùm vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cùm virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacíficâ bonitáte simuláre.

℟. Scimus quóniam * Mundus totus in malígno pósitus est. 1. *Joan.* 5.

℣. Sapiéntia enim hujus mundi stultítia est. 1. *Cor.* 3. * Mundus.

Lectio v.

At contrà sapiéntia justórum est nihil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre; bona gratìs exhibére, mala libéntiùs toleráre quàm fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur, quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Tunc enim quod innocénter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putátur; et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quàm mentem verbis osténdere, nil cállidâ machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, possessa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti maxíllam álteram præbére?

℟. Fratres, * Non est ista sapiéntia (hujus mundi) desúrsùm descéndens: sed terréna, animális, diabólica.

℣. Quæ autem desúrsùm est, est pacífica, bonis conséntiens, plena misericórdiâ et frúctibus bonis. *Jacob.* 3. * Non.

Lectio vj.

A Cunctis verò despicábilis cérnitur (Justus), et hujus mundi glóriâ indígnus æstimá-

tur; sed tamen ante occúlti júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis corúscat, honorári métuit, déspici non réfugit. Corpus continéntiâ áfflicit, solâ in ánimo dilectióne pinguéscit. Mentem semper ad patiéntiam præparat, et eréctus pro justítiâ de præcéptis contuméliis exúltat. Afflíctis ex corde compátitur; de bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur. Sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat; et inquisitus quódlibet, éloqui dupliciter ignórat.

℟. Audiéntes áuribus nostris admirábimur, * Illic præclára ópera et mirabília. *Eccli.* 43.

℣. Pater qui videt in abscóndito, reddet. *Matt.* 6. * Illic. Glória Patri. * Illic.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: narrábo. *fol.* 107.

Ant. Sperent in te, qui novérunt nomen tuum; quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

Divis. Psal. Miserére meî, Dómine. *fol.* 108.

Ant. Non in finem oblívio erit páuperis, patiéntia páuperum non peribit in finem.

Alt. Divis. Psal. Ut quid, Dómine. *fol.* 109.

Ant. Desidérium páuperum exaudívit Dóminus; præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

℣. Prævenisti eum (Dómine),

℟. In benedictiónibus dulcédinis. *Ps.* 20.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 39. *de verb. cap.* 1.

DOminus noster Jesus Christus et venit ad hómines, et abscéssit ab homínibus, et ventúrus est ad hómines. De hoc audístis modò Evangélium, quid monúerit nos, cautos nos fáciens, et vo-

lens esse expeditos, et parátos ad expectánda novíssima; ut post novíssima, quæ sunt in hoc sæculo metuénda, succédat réquies quæ non habet finem. Beáti qui partícipes facti fúerint. Erunt autem tunc secúri, qui modò non sunt secúri; et íterùm tunc timébunt, qui modò timére nolunt.

℟. Ergò * Festinémus ingredi in illam réquiem. *Heb.* 4.

℣. Expectántes et properántes in advéntum diéi Dómini. 2. *Pet.* 3. * Festinémus.

Lectio viij.

AD hanc expectatiónem, et propter hanc spem Christiáni facti sumus. Nonne spes nostra non est de hoc sæculo? Non amémus sæculum. Ab amóre sæculi hujus vocáti sumus, ut áliud sæculum sperémus, et diligámus. In hoc abstinére debémus ab omni desidério illícito; hoc est, lumbos accínctos habére, hoc est, lucérnas ardéntes habére.

℟. Per (Christum) * Mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. *Gal.* 6.

℣. Expécto donec véniat immutátio mea. *Job.* 14. * Mihi mundus.

Lectio ix.

DOminus lumbos nostros accinctos esse vóluit, et lucérnas ardéntes. Quid est, lumbos accínctos? (Declína à malo.) Quid est lucére? Quid est lucérnas ardéntes habére? Hoc est: (Et fac bonum.) Ad continéntiam pértinet: (Sint lumbi vestri accíncti.) Ad justítiam pértinet: (Et lucérnæ ardéntes.) Magnam mercédem propósuit: In tantâ propósitâ mercéde videámus quid jussit. (Cóhibe linguam tuam à malo: Lábia tua ne loquántur dolum: Declína à malo, et fac bo-

℣. Desidérium habens dissólvi, et esse cum Christo. *Phil.* 1. * Státui. Glória Patri. * Státui.

℣. *Sacerd.* Lux orta est justo,

℟. Et rectis corde lætítia. *Ps.* 96.

AD LAUDES.

Psal. Laudáte nomen Dómini. *fol.* 54.

Ant. Qui statis in domo Dómini, in átriis domûs Dei nostri, laudáte Dóminum.

Psal. Dóminus regnávit, exúltet terra. *fol.* 88.

Ant. Lætámini, justi, in Dómino, et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Psal. Verba mea. *fol.* 115.

Ant. Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum (Dómine), quóniam tu benedíces justo.

Canticum. Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, [illegible]

Qui timétis Dóminum, speráte in illum; * et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum; * et illuminabúntur corda vestra.

Respícite, fílii, natiónes hóminum; * et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est.

Quis enim permánsit in mandátis ejus, et derelíctus est? * aut quis invocávit eum, et despéxit illum?

Quóniam pius et miséricors est Deus, et remíttet in die tribulatiónis peccáta; * et protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

Glória Patri, etc.

Ant. Respícite, fílii, natiónes hóminum; et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est.

Psal. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *fol.* 91.

Ant. Laudáte Dóminum in sanctis ejus.

Capitulum. Eccli. 31.

post aurum non ábiit nec sperávit in pecúniâ et thesáuris: fecit enim mirabília in vitâ suâ.

HYMNUS.

QUi te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus suî.

Quid ergò gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retárdas éxules,
Cives polo quos déstinas?

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti diffluunt;
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iste tardi córporis
Pondus moléstum sústinet:
Præ mortis óccupat diem
Ardens Deo se júngere.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. De omni corde suo laudávit Dóminum.

℟. Et diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli.* 47.

Ad Bened. *Ant.*

Non prætériit de univérsis mandátis, nec unum quidem verbum quod jússerat Dóminus. *Jos.* 11.

Oratio.

FAc nos, quæsumus, Dómine Deus, intercedénte beáto N. in tuâ dilectióne ambuláre; ut experiámur quàm suáve est jugum tuum, et quàm jucúnda felícitas eórum, qui honórum ómnium sérviunt auctóri. Per.

Alia Oratio.

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti N. solemnitáte deférimus, et qui tibi dignè méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

AD HORAS.

HYMNUS.

QUam morte promptâ férvidi
Emére palmam Mártyres,
Hic doctus in dies mori
Longo repórtat fúnere.

Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori;
Da post brevis vitæ dies
Vitæ perénnis gáudia.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

Psalmi secundùm rub. gen.

℟. *parv. in omnibus Dupl.* Quàm magnus qui invénit sapiéntiam, et sciéntiam! sed non est super timéntem Dóminum. *Eccli.* 25.

AD II. VESPERAS.

Psal. Dómine, probásti me. *fol.* 181.

Ant. 5. C. Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima et antíqua: tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Divis. Psal. Confitébor tibi. *fol.* 181.

Ant. 4. f. Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, et super inimícos tuos tabescébam?

Psal. Beáti omnes. *fol.* 209.

Ant. 2. D. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion; non commovébitur in ætérnum.

Psal. Beátus vir qui timet Dóminum. *fol.* 34.

Ant. 8. d. In memóriâ ætérnâ erit justus; ab auditióne malâ non timébit.

Allel. Allel. ℣. Operátus est bonum, et rectum, et verum coràm Dómino Deo suo, et prosperátus est. Allelúia. 2. *Paral.* 31.

PROSA.

QUàm magnus! quàm mirábilis
Dóminus in Sanctis suis!
Hos vocat, hos justíficat,
Hos regit, hos gloríficat.
Felix qui Deum séquitur!
Felix qui Deo súbditur!
Quam glóriam conséquitur,
Corde qui Deo júngitur!
Hic Sanctus, cujus ínclyta

Quot áffluit delíciis!
Quantis replétur gáudiis!
Hunc summè Deus sá-
tiat;
Huic Deus nil dénegat.
In hujus vitæ flúcti-
bus,
Ejus juvémur précibus.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 1. *D.*

Tu fecísti, Dómine, cum servo tuo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspéctu tuo in veritáte et justítiâ et recto corde tecum. 3. *Reg.* 3.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Hymn. ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.

Probátus et perféctus est, erit illi glória ætérna. *Eccli.* 31.

In Semiduplicib. Simpl. et intrà Octavas.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 2.

QUi timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; et qui díligunt illum, conservábunt viam illíus.

℟. *br.* Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * Et custodiéntium mandáta tua. *Ps.* 118. Párticeps.

℣. Confitébor tibi, Dómine, in concílio justórum. *Ps.* 110. * Et custodiéntium. Glória Patri. Párticeps.

℣. Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas,

℟. In omni témpore. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jac. 1.

QUi perspéxerit in legem perféctam libertátis, et permánserit in eâ, non auditor oblivиósus factus, sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit.

℟. *br.* Lucérna pédi-

bus meis * Verbum tuum, Dómine. Lucérna.

℣. Et lumen sémitis meis. *Ps.* 118. * Verbum. Glória Patri. Lucérna pédibus meis...

℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua,

℟. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 15.

STábiles estóte et immóbiles, abundántes in ópere Dómini semper, sciéntes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

℟. *br.* Non dissolvántur manus, * Erit enim merces óperi. 2. *Paral.* 15. Non dissolvántur.

℣. Dóminus dives in omnes qui invocant illum. *Rom.* 10. * Erit enim. Glória Patri. Non dissolvántur.

℣. Qui séminat in be-

Pro die Octavâ Semiduplici.

Ex Lib. morálium sancti Gregórii Papæ.

Lib. 10. *cap.* 16. *in cap.* 12. *Job.*

Lectio iij.

JUsti simplícitas, et lampas esse dícitur, et contémpta : lampas, quia intériùs lucet ; et contémpta, quia extériùs non lucet. Intùs ardet flammâ charitátis, foris nullâ glóriâ respléndet decóris. Lucet ergò, et despícitur, qui flagrans virtútibus, abjéctus æstimátur... Sed úsquequò lampas ista contémnitur? úsquequò despicábilis habétur? Numquid non fulgórem suum nullátenùs éxerit, et nunquàm quantâ claritáte cándeat osténdit? Osténdit planè, nam....... prótinùs ádditur : Paráta ad tempus statútum. Statútum quippè contémptæ lámpadis tempus, est extré-

tâ potestáte fúlgeat demonstrátur... Quot itaque nunc pro amóre veritátis sese libénter humíliant, tot tunc in judício lámpades coruscant.

℟. Exáudiet * Deus, non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo. *Ps.* 54.

℣. Expectátio justórum lætítia. *Prov.* 10. * Deus non dabit. Glória Patri. * Deus non dabit.

COMMUNE VIRGINUM.

AD I. VESPERAS.

Ant. 5. a. Quid bonum Dómini est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans Vírgines? *Zach.* 9.

Ant. 1. f. Qui tenúerint fœdus meum, dabo eis locum in domo meâ. *Is.* 56.

Ant. 2. *D.* Qui non inquinavérunt vestiménta sua, ambulábunt mecum in albis. *Apoc.* 3.

Ant. 6. F. Dabo eis nomen mélius à fíliis et fíliábus, nomen sempitérnum dabo eis. *Is.* 56.

Ant. 8. G. Novit dies immaculatórum, et hæréditas eórum in ætérnum erit. *Ps.* 36.

Capitulum. 1. *Cor.* 7.

UNusquísque próprium donum habet ex Deo. Dico autem non nuptis et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant.

℟. Felix est stérilis et * Incoinquináta, habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. *Sap.* 3.

℣. Omnis ponderátio non est digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26. * Incoinquináta. Glória Patri. * Incoinquináta.

HYMNUS, *si sit Martyr.*

COEléstes púeri, dulce sonántibus
Omnes nunc cítharis dícite Vírginem,
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Christi dícite Mártyrem.

Vestris illa fuit débita
coetibus,
Quæ mortális adhuc nó-
bilis æmula,
Ut vos exprimeret dedí-
dicit genus,
Virgo córporis immemor.
Sed quid cogis, amor?
Fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúnde-
re sánguinem:
Oblíti méminit tunc benè
córporis,
Præcláræ sítiens necis.
* Patri máxima laus,
máxima Fílio,
Amborúmque sacro má-
xima Flámini,
A quo magnánimæ præ-
lia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

HYMNUS,
si non sit Martyr.

COElléstis aula pándi-
tur;
En sponsus: omnes ób-
viæ
Exite sponso Vírgini,
Exite, sponsæ Vírgines.
Hæc nuptiális est dies,
Quæ longa post suspíria
Dat ómnibus, dat síngu-
lis
Jam pléniùs frui Deo

Supérba Regum púrpura;
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ám-
biat?
O Virginales núptiæ,
Per quas caro fit spíri-
tus!
O dulce vinclum, jún-
gitur
Quo mens Deo, menti
Deus!
* Ætérne sponse Vír-
ginum
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spí-
ritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Dóminus Deus in
médio tuì fortis,
℟. Ipse salvábit. *Soph.*
3.

Ad Magn. *Ant.* 7. c.
Dóminum elegísti ut sit
tibì Deus, et ámbules in
viis ejus. *Deut.* 26.
*Oratio de Propr. vel ut
infrà ad Laud.*

AD COMPLETORIUM.

*Psalmi secundùm rub.
gen.*

HYMNUS, *si sit Martyr.*
COElléstes púeri, etc.

HYMNUS,

si non sit Martyr.

COElestis aula pándi-
tur, etc. *cum Doxol.*
ut sup. ad Vesp.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.
Complácuit Dómino in te, et gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62.

AD MATUTINUM.

Invit. Agnum quem sequúntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14.
Psal. Veníte.

HYMNUS, *si sit Martyr.*

QUid sacram, Virgo,
generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempè non unum gémino repórtas
Hoste triúmphum.
Móllior fregit neque te volúptas,
Impotens flexit neque te tyránnus;
Tu graves pœnas, paritérque blandos
Vincis amóres.
Líliis sponsus récubat rosísque;
Tu tuo semper benefida sponso,
Et rosas Martyr, simul et dedísti
Lília Virgo.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque nexus,
Vírginum per quem sacra corda puris
Ignibus ardent.
Amen.

HYMNUS,

si non sit Martyr.

O Virgo, pectus cui sacrum,
Amóris expers ímprobi,
Intùs suis ardóribus
Sanctus perússit Spíritus!
Non te volúptas dúlcibus
Fallax venénis mólliit,
Solas amántem pérsequi
Cœléstis agni núptias.
Sic ille natus Vírgine
Suo decóre céperat,
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.
Beáta cui nunc, cœlitum
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponsi potíri gáudiis.
Ætérne sponse Vírginum
Jesu, tibi sit glória,

Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Eructávit. *fol.* 202.

Ant. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere pópulum tuum, et domum Patris tui; et concupíscet rex decórem tuum.

Psal. Beátus qui intélligit. *fol.* 187.

Ant. Me autem propter innocéntiam suscepísti, et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Psal. Misericórdiam et judícium. *fol.* 83.

Ant. Perambulábam in innocéntiâ cordis mei, in médio domûs meæ.

℣. Dominábitur tuî qui fecit te:

℟. Dóminus exercítuum nomen ejus. *Is.* 54.

De Epístolâ primâ ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 7.

DE Virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergò hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? Noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? Noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti; et si núpserit Virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est ut qui habent uxóres, tanquam non habéntes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudéntes; et qui emunt, tanquam non possidéntes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi.

℟. Dómine, * In corde meo consílium corróbora, ut domus tua in sanctificatióne tuâ permáneat. *Judith.* 9.

℣. Bonórum enim la-

hórum gloriósus est fructus. *Sap.* 3. * In corde meo.

Lectio ij.

VOlo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri, et divisus est. Et múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico; non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honéstum est, et quod facultátem præbeat sine impediménto Dóminum obsecrándi.

℟. Dùm sumus in córpore * Conténdimus placére, (Dómino.) 2. *Cor.* 5.

℣. Non éxpedit núbere. *Matth.* 19. * Conténdimus placére.

Lectio iij.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine suâ, quòd sit superadúlta, et ita opórtet fíeri; quod vult fáciat: non peccat, si nubat. Nam qui statim in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, benè facit. Igitur et qui matrimónio jungit Vírginem suam, benè facit; et qui non jungit, méliùs facit. Múlier alligáta est legi, quanto témpore vir ejus vivit. Quod si dormíerit vir ejus, liberáta est; cui vult nubat, tantùm in Dómino. Beátior autem erit, si sic permánserit, secúndùm meum consílium.

℟. Quaprópter * Ad perfectióra ferámur. *Heb.* 6.

℣. Habémus grátiam per quam serviámus placéntes Deo. *Heb.* 12. * Ad perfectióra. Glória Patri. * Ad perfectióra.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Díligam te, Dómine. *fol.* 6.

Ant. Dóminus firma-

méntum meum, et refúgium meum et liberátor meus.

Divis. Psal. Misit de summo. *fol.* 7.

Ant. Secúndùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi, quia custodívi vias Dómini.

Alt. Div. Psal. Deus meus. *fol.* 8.

Ant. Præcínxit me virtúte, et pósuit immaculátam viam meam.

℣. Beáti immaculáti in viâ,

℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi.

De disc. et hab. virg.

Lectio iv.

NUnc nobis ad vírgines sermo est, quóniam quò sublímior glória est, major et cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorrúptum; Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fœcúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tantò plus gáudium matris augéscit.

℟. Lætámini cum Jerúsalem, et exultáte in eâ omnes qui dilígitis eam. * Gaudéte cum eâ gáudio, univérsi. *Is.* 66.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. *Ps.* 44. * Gaudéte cum eâ.

Ex apológiâ sancti Athanásii Episcopi ad Constántium Imperatórem.

Lectio v.

DEi fílius Dóminus et salvátor noster Jesus Christus, homo propter nos factus, profligátâ morte, et assérto à servitúte et corruptióne nostro génere; inter cætera dona sua largítus est nobis in virginitáte exémpla angélicæ sanctitátis. Certè puéllas eâ virtúte prædítas sponsas Christi cathólica Ecclésia appelláre sólita est, quas éthnici conspéctas ut exémplum Verbi demirántur. Nusquam enim álibi sancta et cœléstis ætérnæ virginitátis participatio professio adimplétur, nisi duntáxat apud nos Christiános.

tiános.

tiános. Atque in eo magnum documéntum est, planè apud nos esse veram religiónem.

℟. Et * Quis potest simíliter sic gloriári? *Eccli.* 48.

℣. (Nos) genus eléctum, gens sancta, pópulus acquisitiónis. 1. *Pet.* 2. * Quis potest.

Ex libro sancti Augustini Epíscopi, de sanctâ virginitáte.

Lectio vj. Cap. 2.

VIrginális intégritas angélica pórtio est, et in carne corruptíbili incorruptiónis perpétuæ meditátio. Hoc ágite, Vírgines Dei, hoc ágite, sequímini Agnum, quocúnquè íerit. Sed priùs ad eum quem sequímini veníte, et díscite ab eo quóniam mitis est et húmilis corde. Humíliter ad húmilem veníte, si amátis; et ne discedátis ab eo, ne cadátis. Qui enim timet ab illo discédere, rogat et dicit: Non véniat mihi pes supérbiæ. Pérgite viam sublimitátis pede humilitátis. Ipse exáltat humíliter sequéntes, quem non píguit descéndere ad jacéntes. Dona ejus illi servánda commíttite, fortitúdinem vestram ad illum custodíte. De víribus vestris expértis cavéte; ne quia ferre áliquid potuístis, inflémini. De inexpértis autem oráte, ne suprà quàm potéstis tentémini.

℟. Scivi quóniam * Aliter non possem esse cóntinens. *Sap.* 8.

℣. Sed in his ómnibus superámus. *Rom.* 8. * Aliter non possem. Glória Patri. * Aliter non possem.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Noli æmulári. *fol.* 96.

Ant. Delectáre in Dómino, et dabit petitiónes cordis tui.

Divis. Psal. Novit Dóminus. *fol.* 97.

Ant. Novit Dóminus dies immaculatórum, et hæréditas eórum in ætérnum erit.

Alt. Divis. Psal. Os justi. *fol.* 98.

Ant. Expécta Dóminum, et custódi viam ejus, et exaltábit te.

℣. Delectavérunt te, (Dómine), filiæ Regum,

℟. In honóre tuo. *Ps.* 44.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore, Venit Jesus in fines Judææ trans Jordánem, et secútæ sunt eum turbæ multæ, et curávit eos ibi. Et réliqua.

Homilia S. Joánnis Chrysóstomi, *in Matthæum* 63.

CHristus à necessitáte legis de non solvéndo matrimónio ad desidérium virginitátis tráhere studet. Deindè ut eam esse possibilem osténdat, dicit: Sunt eunúchi qui ex ventre matris sic nati sunt, et sunt qui ab homínibus facti sunt; et sunt qui seipsos eunúchos fecérunt propter regnum cœlórum. Quibus verbis ad optándam eligendámque virginitátem indúcit; cùm autem dicit, Qui seípsos eunúchos fecérunt, pravárum mentis cogitatiónum interemptiónem intélligit... Continéntia enim mentis facit ut motus naturáles nullum áfferant ánimæ detriméntum.

℟. Qui timet Dóminum, nihil négligit, * Cuncta tentávi in sapiéntiâ. *Eccle.* 7.

℣. Quæ impossibília sunt apud hómines, possibília sunt apud Deum. *Luc.* 18. * Cuncta tentávi.

Lectio viij.

ORo ítaque, atque óbsecro ut fugiátis pestífera dógmata, quæ diábolus occúltiùs séminat, qui quidem perniciósum talis necessitátis dogma introdúxit, datámque nobis divinitùs libertátem evéllere conátur: vítia nobis esse necessária suádens, ut non voluntáti, sed membrórum natúræ univérsâ re attribútâ, largas sibi ad peccándum portas hómines reserárent.

℟. Declináte à me, malígni; * Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ. *Ps.* 118.

℣. Mala in córdibus eórum. *Ps.* 27. * Prævaricántes.

Lectio ix.

SEd si electiónis est, inquies, continéntiam

serváre, quómodò Christus ánteà dixit: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est? Hoc ideò dixit, ut osténderet superióre nobis auxílio opus esse, quod quidem ómnibus illud peténtibus parátum est, si vólumus in hâc luctatióne superióres evádere. Mos enim ipsi erat loqui, quandocúnquè res árdua proponebátur, velut cùm dicébat, Vobis datum est nosse mystéria..... Et hoc ita esse præsens locus manifestat. Nam si supérnæ tantùm donatiónis istud est, ac nihil cónferunt qui se in perpétuâ virginitáte consérvant, supérfluè ipsis Christus regnum cœlórum pollícitus est, nec méritò ipsos à cæteris eunúchis distinguit.

℟. Grátiâ Dei sum id quod sum; sed * Laborávi, non ego autem, sed grátia Dei mecum. 1. *Cor.* 15.

℣. In hoc gáudeo, scio enim quia hoc mihi pro- * Laborávi. Glória Patri. * Laborávi.

℣. *Sacerd.* Vírgines laudent nomen Dómini.

℟. Exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148.

AD LAUDES.

Ps. Quàm diléćta. *fol.* 140.

Ant. Cor meum et caro mea exultavérunt in Deum vivum.

Psal. Dóminus illuminátio. *fol.* 147.

Ant. Abscóndit me in tabernáculo suo, in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

Psal. Magnus Dóminus. *fol.* 205.

Ant. Exúltent fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine.

Canticum. Is. 61.

GAudens gaudébo in Dómino, * et exultábit ánima mea in Deo meo:

Quia induit me vestiméntis salútis; * et in-

quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum gérminat : * sic Dóminus Deus germinábit justítiam et laudem coràm univérsis géntibus.

Glória Patri, etc.

Ant. Induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsum decorátum corónâ, et quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Psal. Cantáte Dómino... omnis terra. *fol.* 66.

Ant. Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus, sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Capitulum. Eph. 6.

GRátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne.

HYMNUS,

ut in primis Vesperis.

COEléstes púeri, etc. *si sit Martyr.*

Cœléstis aula pánditur, etc. *si non sit Martyr.*

℣. Unxit te Deus, Deus tuus

℟. Oleo lætítiæ. *Ps.* 44.

Ad Bened. *Ant.*

Vírgines sequúntur agnum quocúnquè íerit : sine máculâ enim sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14.

Oratio, si sit Martyr.

DEus, qui beátæ N. tribuísti ut esset sancta córpore et spíritu, vitámque daret pro dilectióne tuâ; concéde nobis, ut ejus exémplo tibi uni, sive per vitam, sive per mortem placére valeámus. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam Martyrii contulísti; concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per.

Oratio,
si non sit Martyr.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituísti; concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ N. puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequá-

mur exémplo. Per Dóminum.

Alia Oratio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui mundi contémptum te diligéntibus inspirásti; da nobis beátæ N. Vírginis intercessióne terréna despícere, et tibi soli fírmiter adhærére. Per.

AD HORAS.

Hymnus ut suprà ad Completorium.

Psalm. secundùm Rub. gen.

℟. *parv. in omnibus Dupl.* Vírgines sine máculâ, ex homínibus primítiæ Deo et agno. *Apoc.* 14.

AD II. VESPERAS.

Psal. Dómine, non est exaltátum. *fol.* 130.

Ant. 1. *D.* Dómine, non est exaltátum cor meum, neque eláti sunt óculi mei.

Psal. Confitébor tibi, Dómine...... quóniam audísti. *fol.* 154.

Ant. 6. F. Excélsus Dóminus et humília réspicit, et alta à longè cognóscit.

Psal. Beátus vir qui timet. *fol.* 34.

Ant. 3. a. Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus.

Psal. Qui confídunt in Dómino. *fol.* 129.

Ant. 4. f. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion; non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Jerúsalem.

Psal. Laudáte, púeri, Dóminum. *fol.* 35.

Ant. 5. c. Sit nomen Dómini benedíctum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Allel. Allel. ℣. Laudáte Dóminum Deum nostrum qui non permísit ancillam suam coinquinári. *Judith.* 13. Allelúia.

PROSA, *si sit Martyr.*

NOvo cantu jubilémus,
Deum Sanctis prædicémus
In suis mirábilem.
Ut confúndat sapiéntes,
Mundi perdat ut poténtes,
Sexum armat frágilem.
Minas inter sæviéntûm,

Et promissa blandiéntûm,
Integra stat cástitas.
Quam non possunt extinguere
Flúmina, nec obrúere,
Fortis, ut mors, cháritas.
Non frendéntûm vultus ferox,
Non torménta, non mors atrox,
Corda frangunt Vírginum.
Corpus, clamant, perimátur
Malè visus quod morátur
Impudícos hóminum.
Junctæ turmis Angelórum,
Iras omnes barbarórum
Rident nunc carníficum.
Dei throno nunc præséntes,
Adstant Agno concinéntes
Nuptiále cánticum.
Venit dies nuptiárum:
Sponsis Agnus ad aquárum
Vitæ fontes æternárum
Dat in cœlo bíbere.
At eódem nos vocátos,
Christo quoque desponsátos,
Aulæ cœli destinátos,
Præstat Deo vívere.
Tu nostrórum vinculórum
Rumpe moras, ô castórum
Quies desideriórum,
Animórum lux mundórum,
Sempitérna véritas.
Amen.

PROSA,
si non sit Martyr.

DIvíni splendor ǽtheris,
Novi glória fœderis
Vos, in sédibus súperis
Exultáte, Vírgines.
Hæc sint festa solémnia,
Tubis résonent ómnia,
Castitátis præcónia
Omnes promant órdines.
Hæ sunt Agni delíciæ,
Quas nec carnis blandítiæ,
Nec lábiles divítiæ
Valuérunt frángere.
Thálamos horrent frágiles,
Christo cónjuge nóbiles,
Ardent cautè pervígiles
Ad sponsum accúrrere.
Fremit hostis callídior,
Mundus állicit blándior,
Stímulat caro néquior:
Quot movéntur prælia!
Précibus hostem ábigunt,

Frænátam carnem súbigunt,
Procul à mundo fúgiunt:
Frontem cingunt lilia.
Quàm pulchra generátio!
Non auri ponderátio
Digna fit æstimátio
Continéntis ánimæ.
Felix Angeli púritas;
Vírginis præit cástitas,
Cujus opus intégritas
Mentis est magnánimæ.
Dùm frágiles confligimus,
Si continéntes vivimus,
Tuâ, Dómine, víncimus
Roboráti grátiâ.
Da, summe Pater lúminum,
Da, Christe sponse Vírginum,
Post hujus vitæ términum,
Regnémus in pátriâ.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 7. G.

Gaudeámus et exultémus, et demus glóriam Dómino Deo nostro omnipoténti, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se. *Apoc.* 19.

AD COMPLETORIUM.

Psal. et Hymn. ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.

Casta generátio in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

In Semidupl. et Simpl. et intrà Octavas.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7.

Unusquísque próprium donum habet ex Deo: álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non núptis, et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant.

℟. *br.* Scivi * Quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det... Scivi.

℣. Adii Dóminum, et deprecátus sum illum. *Sap.* 8. * Quóniam. Glória Patri. Scivi.

℣. Non omnes cápiunt verbum istud,

℟. Sed quibus datum est. *Matth.* 19.

AD SEXTAM.

Capitulum. Zach. 9.

QUid bonum Dómini est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans Vírgines?

℟. *br*. Pater meus, * Dux virginitátis meæ tu es. *Jerem*. 3. Pater meus.

℣. Ingréssus sum pactum tecum. *Ezech*. 16. * Dux virginitátis. Glória Patri. Pater meus,

℣. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis,

℟. Ut non confúndar. *Ps*. 118.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Cor*. 7.

MUlier innúpta, et Virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. *br*. Quid mihi est in cœlo? * A te quid vólui super terram? Quid mihi.

℣. Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. *Ps*. 72. * A te quid. Glória Patri, etc. Quid mihi.

℣. Concupíscit et déficit ánima mea,

℟. In átria Dómini. *Ps*. 83.

Pro die Octavâ Semiduplici.

Sermo
S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. de exhortat. Virg.

Lectio iij. Cap. 4 *et* 5.

AUdite quantum sit præmium integritátis. Regnum acquíritur, et regnum cœléste; vitam Angelórum éxhibet. Hoc vobis suádeo, quo nihil púlchrius, ut inter hómines Angeli sitis. Quæ non nubunt, et qui uxóres non ducunt, sicut Angeli in terris sunt, ut tribulatiónem carnis non séntiant, servitútem ignórent, à mundánæ cogitatiónis ablacténtur contágio, divinis rebus mentem inténdant; ut tanquam exúti córporis infirmitáte, non quæ hóminis sunt, sed quæ Dei, cógitent. Multas féminas scriptúra

divína in lucem evéxit, palmam tamen públicæ salútis solis Virginibus dedit.

℟. Felix est stérilis et * Incoinquináta, habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. *Sap.* 3.

℣. Omnis ponderátio non est digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26. * Incoinquináta. Glória, etc. * Incoinquináta.

COMMUNE SS. MULIERUM.

AD I. VESPERAS.

Ant. 6. F. Fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ. *Eccli.* 26.

Ant. 1. a. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ species in ornaméntum domûs ejus. *Eccli.* 26.

Ant. 1. à. Pars bona, múlier bona; in parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis. *Eccli.* 26.

Ant. 2. *D.* Múlier fortis obléctat virum suum, et annos vitæ illíus in pace mum suam. *Prov.* 11 *et* 14.

Capitulum. 1. *Tim.* 3.

Opórtet mulíeres esse pudícas, non detrahéntes, sóbrias, fidéles in ómnibus.

℟. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, * Tu scis quòd nunquàm lætáta sit ancílla tua nisi in te. *Esther.* 14.

℣. Omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5. * Tu scis. Glória Patri, etc. * Tu scis.

Hymnus.

* Adéste, sanctæ cónjuges:
En illa fortis fémina.

Hanc fortitúdo véstiit;
Ut prosit intuéntibus,
Coeléstis ornávit decor.

Non vana pompa sæculi
Sensus feféllit, nec malis
Gliscens volúptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Non illa luxu véstium,
Non crine torto spléndwit;
Cultu nitens sed símplice,
Puris placébat móribus.

Se sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit:
Timet vidéri, ne suum,
Dùm prodit, amittat decus.

* Pascénda cœlésti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redibat ad curam domûs.

* Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Grátia super grátiam

Ad Magn. *Ant.* 4. E. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. *Prov.* 31.

Oratio de Propr. vel ut infrà ad Laud.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi secundùm rubr. gen.

Hymnus.

* ADéste, sanctæ cónjuges, etc.

* Pascénda cœlésti cibo, etc.

* Ætérne tu Verbi Pater, etc. *ut sup. ad Vesp.*

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C. Anima ejus in bonis demorábitur; et semen ejus hæreditábit terram. *Ps.* 24.

AD MATUTINUM.

Invit. Deum in quo sperant sanctæ mulieres, * Venite, adorémus. 1. *Pet.* 3.

Psal. Venite.

Hymnus.

huot indigéntes súblevat,
'ot próditur præcónibus.
Prodésse quærit ómnibus,
iuris honéstis ánxia,
atróna custos Vírginum,
ecúnda mater órphanis.
Pannis laténtem vílibus
hristum fovébat hóspitem;
'uas dura subtráxit sibi,
pes refúndit pródiga.
Pacem domi, pacem forìs
lto colit siléntio;
ites amat compónere;
: una mens sit ómnibus.
Ætérne tu Verbi Pater,
térne Fili, par Patri,
: par utríque, Spíritus,
bi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Júdica me, Dóne, quóniam. *fol.* 94.

Ant. Complácui in veâte tuâ, (Dómine,) n sedi cum concílio vaátis.

Psal. Misericórdiam, . 83.

Ant. Perambulábam in innocéntiâ cordis mei in médio domûs meæ, non proponébam ante óculos meos rem injústam.

Psal. Eructávit. *fol.* 202.

Ant. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem; proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

℣. Inítium sapiéntiæ timor Dómini;

℟. Cum eléctis féminis gráditur. *Eccli.* 1.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 31.

MUlierem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in eâ cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris de longè portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam doméstícis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit

eum; de fructu mánuum suárum plantávit víneam.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis; * Proptéreà benedíxit te Deus.

℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. *Ps.* 44. * Proptéreà.

Lectio ij.

Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus, non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus.

℟. Fáciat Deus ut * (hæc múlier) sit exémplum virtútis. *Ruth.* 4.

℣. Plena opéribus bonis. *Act.* 9. * Hæc múlier.

Lectio iij.

quandò séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo.

℟. Fecísti viríliter, et manus Dómini confortávit te; * Ideò eris benedícta † In ætérnum. *Judith.* 15.

℣. Scit omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. *Ruth.* 3. * Ideò eris. Glória Patri. † In ætérnum.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Noli æmulári. *fol.* 96.

Ant. Delectáre in Dómino, et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Divis. Psal. Novit Dóminus. *fol.* 97.

Ant. Totâ die miserétur et cómmodat, et semen illíus in benedictióne erit.

Altera Divisio Psalmi. Os justi. *fol.* 98.

Ant. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non sup-

rum illius duplex. *Eccli.* 26.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi. *de viduis.*

Lectio iv.

UT ad grátiam virtútis víduas adhortámur, ita étiam ad Ecclesiásticam disciplinam féminas provocámus, quia Ecclésia constat ex ómnibus. Divérsis virtútibus merces divérsa propósita est. Nec áliud reprehénditur, ut áliud prædicétur; sed ómnia prædicántur, ut quæ melióra sunt præferántur.

℟. Omnia operátur unus atque idem Spíritus,* Dividens singulis prout vult.

℣. Divisiónes gratiárum sunt, idem autem Spíritus. 1. *Cor.* 12. * Dividens.

Lectio v.

HOnorábile igitur conjúgium, sed honorabílior intégritas: nam et qui matrimónio jungit Vírginem suam, benè facit; et qui non jungit, méliùs facit. Quod igitur bonum, non vitándum est; et quod est mélius, eligéndum est. Itaque non

bus præcéptum Dómini non hábeo, consilium autem do.

℟. Quicúnque ergò perfécti sumus. * Hoc sentiámus. *Philip.* 3.

℣. Unusquísque próprium donum habet ex Deo. 1. *Cor.* 7. * Hoc.

Lectio vj.

AGrum Ecclesiæ fértilem cerno, nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitáte polléntem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundántem. Nam etsi divérsi, uníus tamen agri fructus sunt; nec tanta hortórum lília, quanta arístæ ségetum, méssium spicæ, compluriúmque spátia campórum recipiéndis aptántur semínibus, quàm rédditis nováles frúctibus feriántur. Bona ergò vidúitas quæ tóties Apostólico judício prædicátur. Hæc enim magístra fídei, magístra est castitátis.

℟. Hæc * Est enim volúntas Dei sanctificátio. 1. *Thess.* 4.

℣. Alius quidem sic

IN III. NOCTURNO.

Psal. In te, Dómine, sperávi. *fol.* 120.

Ant. Exultábo et lætábor in misericórdiâ tuâ, quóniam respexísti humilitátem meam.

Divisio Psal. Miserére meî, Dómine. *fol.* 120.

Ant. In te sperávi, Dómine; dixi : Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ.

Alt. Divis. Ps. Quàm magna multitúdo. *fol.* 121.

Ant. Viríliter ágite et confortétur cor vestrum, omnes qui sperátis in Dómino.

℣. Indue te decôre sempitérnæ glóriæ;

℟. Deus enim osténdet splendórem suum in te. *Baruch.* 5.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ. *Hom.* 11.

THesáurus cœléste est desidérium; ager verò in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii cœléstis. Quem profectò agrum, vénditis ómnibus, cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínæ cœléstis custódiam calcat, ut nihil jam quod carnem blandítur líbeat, nihil quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

℟. Bonitátem et * Disciplínam doce me, (Dómine.) *Psal.* 118.

℣. Via vitæ custodiénti disciplínam. *Prov.* 10.

* Disciplínam.

Lectio viij.

RUrsùm cœléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam invénit, quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit; quia qui cœléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit,

perféctè cognóverit, ea quæ in terris amáverat, libénter cuncta derelínquit.

℟. Omne aurum * In comparatióne sapiéntiæ, aréna est exígua :

℣. Tanquam lutum æstimábitur argéntum. *Sap.* 7. * In comparatióne.

Lectio ix.

IN comparatióne ejus viléscunt ómnia. Déserit hábita, congregáta dispérgit; inardéscit in coeléstibus ánimus, nihil in terrénis libet, defórme conspícitur, quidquid de terrénæ rei placébat spécie, quia solæ pretiósæ margarítæ cláritas fulget in mente, de cujus dilectióne rectè per Salomónem dícitur : Fortis est ut mors diléctio. Quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cháritas óccidit : nam quem perféctè absorbúerit, ad terréna desidéria velut insensíbilem reddit.

℟. Quid mihi est in concupiscéntia ejus. 1. *Joan.* 2. * A te. Glória Patri. * A te.

℣. *sacerd.* Laudáte Dóminum Deum nostrum :

℟. In ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam. *Judith.* 13.

AD LAUDES.

Psal. Expéctans expectávi. *fol.* 173.

Ant. Exaudívit preces meas Dóminus, et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Div. Psal. Annuntiávi. *fol.* 174.

Ant. Misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Psal. Deus, Deus meus, ad te. *fol.* 13.

Ant. Sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Canticum. Prov. 31.

OS suum apéruit sapiéntiæ, * et lex cleméntiæ in linguâ ejus.

Considerávit sémitas

vérunt : * vir ejus et laudávit eam.

Multæ fíliæ congregavérunt divítias; * tu supergréssa es univérsas.

Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum suárum; * et laudent eam in portis ópera ejus.

Glória Patri, etc.

Ant. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo; múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.

Psal. Magnus Dóminus. *fol.* 205.

Ant. Exúltent fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine.

Capitulum. 1. *Tim.* 5.

QUæ filios habet, discat domum suam régere : hoc enim accéptum est coràm Deo.

HYMNUS.

* O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!
* Per quos gradus cœlum petit
Hàc ire vos omnes decet,
Junctæ jugáli vinculo,
Et vos solútæ cónjuges.
Insignis et nos féminæ
Sequi decet vestigia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exémplum viris.
Queis arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus et nos ígnibus;
Eóque, quo te vis coli,
Amore, fac, mens te colat.
* Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utrique, Spiritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Tu glória Jerúsalem.
℟. Tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

Ad Bened. *Ant.* Multæ filiæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31.

Oratio, si sit Martyr.

DEus, qui dedisti victóriam in manu féminæ, infirmitátem nostram ádjuva; et concede ut précibus et exémplo beátæ Mártyris N. carni, mundo

mundo et diábolo, fortes in fide resistámus. Per Dóminum.

Oratio,
si non sit Martyr.

EXáudi nos, Deus salutáris noster, ut sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

AD HORAS.

HYMNUS.

* O Jam beáta, etc.
* Per quos gradus, etc.
* Ætérne tu Verbi Pater, etc. *ut suprà ad Laudes.*

Psalmi secundùm rub. gen.

℟. *parv. in omnibus Dupl.* Procul et de últimis fínibus prétium (mulieris fortis). *Prov.* 31.

AD II. VESPERAS.

Psal. Beátus vir qui timet. *fol.* 34.

Ant. 5. c. Potens in

Psal. Beáti omnes. *fol.* 209.

Ant. 4. j. Fílii tui sicut novéllæ olivárum.

Psal. Nisi Dóminus. *fol.* 129.

Ant. 1. g. Ecce hærédítas Dómini, fílii, merces, fructus ventris.

Psalm. Laudáte, púeri. *fol.* 35.

Ant. 3. a. Laudáte, púeri, Dóminum; laudáte nomen Dómini.

Psalm. Qui confídunt in Dómino. *fol.* 129.

Ant. 2. *D.* Bénefac, Dómine, bonis et rectis corde.

Allel. Allel. ℣. Múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. *Prov.* 31. Allelúia.

PROSA.

EN illa fortis fémina,
Quæ cordis sui dómina
Præfúlsit virtútibus.
Facta viri solátium,
Et ínopis subsídium,
Plácuit puris móribus.
Os ejus sapiéntia

Considerávit inclyta
Domûs suæ sémitas.
Frequens in sacris ædibus
Stúduit sanctis précibus
Commendári júgiter.
Quàm felíces quos grátia
Perdúcit ad cœléstia
Fidéles perénniter.
Sis, Christe, nostrum gáudium,
Sis nobis hîc solátium
In mundo lugéntibus.
Fac nos mundo non vívere,
Qui mercámur dégere
Cum pátriæ cívibus.
Amen.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.

Erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè, nec erat qui loquerétur de illâ verbum malum. *Judith.* 8.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Hymn. ut heri.

Ad Nunc dim. *Ant.* 6. C.

Ora pro nobis, quóniam múlier sancta es, et timens Deum. *Judith.* 8.

In Semiduplicib. Simpl. et intrà Octavas.

AD PRIMAM.

Ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 26.

GRátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et disciplína illíus datum Dei est.

℟. *br.* Omne donum perféctum * Desúrsùm est. Omne donum.

℣. Descéndens à Patre lúminum. * Desúrsùm. Glória Patri, etc. Omne donum.

℣. Si quis índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo.

℟. Dat ómnibus affluénter. *Jacob.* 1.

AD SEXTAM.

Capitulum. Judith. 8.

ERat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè.

℟. *br*. Beáti omnes * Qui timent Dóminum. Beáti.

℣. Qui ámbulant in viis ejus. *Ps*. 127. * Qui timent. Glória Patri. Beáti omnes.

℣. Confíge timóre tuo carnes meas, (Dómine:)

℟. A judíciis enim tuis tímui. *Ps*. 118.

AD NONAM.

Capitulum. Tob. 10.

MOnébant (filiam suam) honoráre sóceros, dilígere maritum, régere famíliam, gubernáre domum, et seipsam irreprehensíbilem exhibére.

℟. *br*. Sic decet nos * Implére omnem justítiam. *Matth*. 3. Sic decet.

℣. Instrúere ad salútem, per fidem quæ est in Christo Jesu. 2. *Tim*. 3. * Implére. Glória Patri. Sic decet.

℣. Docébo iníquos vias tuas:

℟. Et ímpii ad te convertántur. *Ps*. 50.

Pro die Octavâ Semiduplici.

De Epístolâ sancti Augustíni Epíscopi.

Ad Probam viduam Epist. 130. *aliàs* 121. §. 3.

Lectio iij.

DEbes præ amóre veræ vitæ, desolátam te putáre in hoc sæculo, in quantâlibet ejus felicitáte verséris.... Divítiæ quippè atque fastigia dignitátum, cætéraque hujúsmodi, quibus se felíces putant esse mortáles, veræ illius felicitátis expértes, quid ásserunt consolatiónis, cùm sit eis indigére, quàm eminére præstántiùs; quæ plus excrúciant adépta, timóre amissiónis, quàm concupíta, adeptiónis ardóre?..... Non sunt ergò in iis vera solátia, sed ibi pótiùs ubi vera vita. Hæc ómnia considerans,

concérta in oratióne vincere hoc sæculum, ora in spe..... Ora ut vidua Christi, nondùm habens ejus conspéctum, cujus precáris auxilium.

℣. Quid mihi est in cœlo, et * A te quid vólui super terram? *Psal.* 72.

℣. Transit mundus et concupiscéntia ejus. 1. *Joan.* 2. * A te. Glória * A te.



OFFICIUM BEATÆ MARIÆ. IN SABBATO.

Omnibus Sabbatis, extrà Adventum et Quadragesimam, si nullum occurrat Festum, fiet Officium de sanctâ Mariâ, ita ut non prævaleat nisi Officio Feriæ.

In Vesperis Feriæ sextæ præcedentis.

Ant. et Psal. de Feriâ.

Capitulum. Judith. 13.

IN ancíllâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël.

HYMNUS.

AVe, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Evæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,

Spiritui sancto;
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Manus Dómini confortávit te,

℟. Ideò eris benedicta in ætérnum. *Judith.* 15.

Ad Magn. *Ant.* 6. F.

Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ut in Psalterio. In fine Hymni, Qui natus es de Vírgine.

Non dic. Preces.

AD MATUTINUM.

Invit. Jesum de Maríâ natum, * Venite, adorémus. *Matth.* 1.

Psal. Venite.

Hymnus.

O Gloriósa Vírginum
Regína, cœlo célsior,
Quanto, María, fœnore
Reddis quod Eva pérdidit!
Cunctis Deum, Virgo, paris
Desiderátum géntibus:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.
María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis horâ súscipe.
* Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Psalmi de Fer. sub tribus Ant. Ferial.

℣. Elégit eam Deus in habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86.

Prima et secunda Lect. de Scripturâ; tertia ut sequitur.

Lectio iij.

Ex tractátu S. Augustini Epísc. de symbolo ad Catechúmenos.

Tract. 3. §. 4. *aliàs. lib.* 3. *c.* 4.

PEr féminam mors, per féminam, vita; per

Evam intéritus, per Maríam salus. Illa corrúpta secúta est seductórem: hæc íntegra péperit salvatórem. Illa póculum à serpénte propinátum libénter accépit et viro trádidit, ex quo simul mereréntur occídi: hæc grátiâ cœlésti désuper infúsâ vitam prótulit, per quam caro mórtua possit resuscitári. Quis est qui hæc operátus est, nisi Vírginis Fílius, et vírginum sponsus? qui áttulit matri fœcunditátem, sed non ábstulit integritátem?

℟. Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * Véritas de terrâ orta est, et justítia de cœlo prospéxit. *Psal.* 84.

℣. De Maríâ natus est Jesus qui vocátur Christus. *Matth.* 1. * Véritas. Glória. * Véritas.

Cant. Te Deum, *nisi fiat Offic. post. Septuag.*

℣. *Sacerd.* Confitémini Dómino, omnes, quóniam bonus.

℟. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vúlnera cápitis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13.

AD LAUDES.

Ant. et Psal. de Feriâ, cum Cantico. Incípite Dómino. *fol.* 198.

Capitulum. Prov. 8.

EGo diligéntes me díligo, et qui manè vígilant ad me, invénient me.

HYMNUS.

NUnc auróra, novæ núntia lucis,
Tristes orbe procul díssipat umbras:
O quàm lucídior, nocte sepúltis
Portans ipsa diem, Virgo refúlges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas indè tuæ múnera lucis:
Te si terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
Inter perpétuos Núminis haustus,
O Regina, tibi sánguine junctum
Ne dedísce genus: nostra fuísti,
Summi facta Parens, Virgo, Tonántis.

Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri;
Cujus Virgo Parens, glória Nato;
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen.
Amen.

℣. Vultum tuum deprecabúntur

℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Ad Bened. *Ant.*

Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith*, 13.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudére, et gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítiâ, et ætérnâ pérfrui lætítiâ, Per Dóminum.

AD HORAS.

Hymn. Fer. In fine. Qui natus es de Vírgine, *ut sup.*

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Maríâ Vírgine.

Non dic. Preces.

AD TERTIAM.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini.

℟. *br.* Benedícta es tu fília à Dómino, * Præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. Benedícta.

℣. Invenísti enim grátiam apud Deum. *Luc.* 1. * Præ ómnibus. Glória Patri. Benedícta es.

℣. Multæ fíliæ congregavérunt divítias,

℟. Tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

EGo mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

℟. *br.* Sperent in te * Qui novérunt nomen tuum. Sperent.

℣. Quóniam non dereliquísti quæréntes te. *Ps.* 9. * Qui novérunt. Glória Patri. Sperent.

℣. In te speravérunt patres nostri;

℟. Speravérunt, et non sunt confúsi. *Ps.* 21.

AD NONAM.

Capitulum. Prov. 8.

NUnc, filii, audíte me; beáti qui custódiunt vias meas; qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem à Dómino.

℟. *br.* Benedícta tu inter mulíeres, et * Benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. Benedícta tu.

℣. Benedicéntur in ipso omnes tribus terræ. *Ps.* 71. * Benedíctus. Glória Patri. Benedícta tu.

℣. Gloriósa dicta sunt de te,

℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86.

OFFICIUM PARVUM B. MARIÆ VIRGINIS.

AD MATUTINUM.

Invit. Jesum de Maríâ natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Psal. Veníte.

HYMNUS.

DAvídis sóboles, glória Vírginum,
Christi Virgo Parens, te pósuit Deus
Partu virgíneo quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium sumit Homo Deus;

Cunctis prospíciens qui tríbuit cibos,
Pastus lacte fuit tuo.
Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctiùs :
Tu clausas míseris, heu nímiùm diù!
Cœlórum réseras fores.
Qui lucis Pater est, glória sit Patri;
Cujus Virgo Parens, glória Fílio;
Quo fœcúnda, tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Feriâ II. et V.

Ps. Cœli enárrant. *f.* 81.

Divis. Psal. Lex Dómini. *fol.* 81.

Psal. Benedixísti, Dómine. *fol.* 87.

Ant. Benedixísti, Dómine, terram tuam, avertísti captivitátem Jacob.

℣. Véritas de terrâ orta est.

℟. Et justítia de cœlo prospéxit. *Ps.* 84.

Absolut. et Benedict. habent. ante Psalter.

Lectiones et ℟℟℟. *ut infrà post* 3. *Noct.*

IN II. NOCTURNO.

Feriâ III. et VI.

Psal. Deus, judícium tuum. *fol.* 82.

Divis. Psal. Reges Tharsis. *fol.* 83.

Psal. Fundaménta ejus. *fol.* 206.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. *Ps.* 45.

℣. Homo, et homo natus est in eâ,

℟. Ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86.

Benedict. habent. ante Psalter.

Lect. et ℟℟℟. *ut infrà post iij. Noct.*

IN III. NOCTURNO.

Feriâ IV. et Sabbato.

Psal. Cantáte Dómino cánticum novum. *fol.* 66.

Psal. Dóminus regnávit, exúltet terra. *fol.* 88.

Psal. Cantáte Dómino cánticum novum, quia *fol.* 68.

Ant. Vidérunt omnes pópuli glóriam ejus,

℣. Elégit eam (Dóminus)

℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Pater. *Benedict. habentur ante Psalterium.*

Lectio j. Is. 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum suprà. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit : Audíte ergò, domus David : Numquid parùm vobis est moléstos esse homínibus, quia moléstì estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum : Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus, Emmánuel.

℟. Quis audívit unquàm tale, et * Quis vidit huic símile? *Is.* 66.

℣. Páries fílium, et Fílius Altíssimi vocábitur. *Luc.* 1. * Quis vidit.

Lectio ij. Gal. 4.

nítum tempus à patre : ita et nos, cùm essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. Recordátus est Dóminus* Misericórdiæ suæ,

℣. Et veritátis suæ, dómui Israël. *Ps.* 97. * Misericórdiæ suæ.

Lectio iij. Apoc. 11. et 12.

APértum est templum Dei in cœlo : et visa est arca testaménti ejus in templo ejus, et facta sunt fúlgura, et voces, et terræ motus, et grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Ipsa est laus tu-

℣. *Sacerd.* Confiteántur tibi pópuli, Deus.

℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66.

AD LAUDES.

Psal. Deus misereátur nostrî. *fol.* 146.

Psal. Dóminus regnávit. *fol.* 152.

Psal. Jubiláte Deo, omnis terra. *fol.* 14.

Canticum. Zach. 2.

LAuda et lætáre, filia Sion; * quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illâ, * et erunt mihi in pópulum, et habitábo in médio tuî.

Et scies quia Dóminus exercítuum * misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terrâ sanctificátâ; * et éliget adhuc Jerúsalem.

Psal. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *fol.* 91.

Ant. Cognoscámus in ómnibus géntibus salutáre tuum. *Ps.* 66.

Capitulum. Gen. 22.

POssidébit semen tuum portas inimicórum suórum, et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ.

HYMNUS.

MEménto, de Deo Deus,
Quòd Matre natus Vírgine,
Nostrî misértus, pérditi
Mundi redémptor véneris.

Et nos, Dei Virgo Parens,
Vultu benígno réspice;
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Fílium.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ad Bened. *Ant.*

Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti; præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur.

2. *Oratio.*

DEus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti; da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

3. *Oratio de Patrono.*

PRótege, Dómine, pópulum tuum, et Sancti N. (vel Sanctórum NN.) patrocínio confidéntem

---

AD PRIMAM.

HYMNUS.

MEménto, de Deo Deus, etc. *ut sup. ad Laud.*

Psal. Deus, in nómine tuo. *fol.* 166.

Psal. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus. *fol.* 203.

Psal. Laudáte Dóminum, omnes gentes. *fol.* 199.

Ant. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

Capitulum. Prov. 8.

EGo diligéntes me díligo; et qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. *br.* Ave, María, grátiâ plena, * Dóminus tecum. *Luc.* 1. Ave, María.

℣. Beáta quæ credidísti. *Luc.* 1. * Dóminus tecum. Glória Patri. Ave, María.

℣. Perficiéntur ea

℟. Quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Oratio.

paeis; et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóstibus et perículis redde secúros. Per Dóminum.

AD TERTIAM,

Et ad sequentes Horas.

Hymnus.

Ut sup. ad Laud.

Psal. Ad Dóminum, cùm tribulárer. *fol.* 101.

Psal. Levávi óculos meos in montes. *fol.* 72.

Psal. Lætátus sum. *fol.* 101.

Ant. Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. *Luc.* 11.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini.

℟. *br.* Benedícta es tu fília à Dómino * Præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. Glória Patri. Benedícta es.

℣. Multæ filiæ congregavérunt divítias,

℟. Tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31.

Oratio.

DEus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ Virginitáte fœcúndâ humáno géneri præmia præstitísti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD SEXTAM.

Psal. Ad te levávi óculos meos. *fol.* 128.

Psal. Nisi quia Dóminus erat in nobis. *fol.* 73.

Psal. Qui confidunt in Dómino. *fol.* 129.

Ant. Deus in médio ejus, non commovébitur. *Ps.* 45.

Capitulum. Eccli. 24.

EGo mater pulchræ di-

ui novérunt nomen tu-
m. Sperent.
℣. Quóniam non de-
línquis quæréntes te.
s. 9. * Qui novérunt.
lória Patri. Sperent in
.
℣. In te inimícos nos-
os ventilábimus cornu.
℟. Et in nómine tuo
ernémus insurgéntes in
bis. *Ps.* 43.

Oratio.

Oncéde, misericors
Deus, fragilitáti nos-
e præsídium, ut qui
nctæ Dei Genitrícis me-
óriam ágimus, interces-
onis ejus auxílio, à nos-
s iniquitátibus resurgá-
as. Per eúmdem Dómi-
m.

AD NONAM.

Psal. In converténdo.
. 73.
Psal. Nisi Dóminus æ-
icáverit. *fol.* 129.
Psal. Beáti omnes qui
ient Dóminum. *fol.*
9.
Ant. Benedícat tibi Dó-
nus ex Sion. *Ps.* 127.
Capitulum. Prov. 8.
Unc, filii, audíte me:
beáti qui custódiunt
vias meas; qui me invé-
nerit, invéniet vitam,
et háuriet salútem à Dó-
mino.
℟. *br.* Benedícta tu in-
ter mulíeres, et * Bene-
díctus fructus ventris tui.
Luc. 1. Benedícta tu.
℣. Benedicéntur in ipso
omnes tribus terræ.
Ps. 71. * Benedíctus. Gló-
ria Patri. Benedícta tu.
℣. Gloriósa dicta sunt
de te,
℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86.

Oratio.

FAmulórum tuórum,
quæsumus, Dómine,
delíctis ignósce, ut qui
tibi placére de áctibus
nostris non valémus, Ge-
nitrícis Fílii tui Dómini
nostri intercessióne salvé-
mur. Per eúmdem Dó-
minum.

AD VESPERAS.

Psal. Dixit Dóminus
Dómino meo. *fol.* 33.
Psal. Laudáte, púeri,
Dóminum. *fol.* 35.
Psal. Lætátus sum. *fol.*
101.
Psal. Nisi Dóminus æ-
dificáverit. *fol.* 129.

Psal. Lauda, Jerúsalem, Dóminum. *fol.* 144.

Ant. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. *Eccli.* 44.

Capitulum. Judith. 13.

IN ancíllâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam quam promísit dómui Israël.

HYMNUS.

AVe, maris stella, *ut sup. fol.* cxxxiij.

℣. Manus Dómini confortávit te,

℟. Ideò eris benedícta in ætérnum. *Judith.* 15.

Ad Magn. *Ant.* 6. F. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

Oratio.

COrdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infúnde, et intercedénte sanctíssimâ Dei Genitrice Maríâ, córpora nostra castitáte, et mentes nostras humilitáte et charitáte sanctífica.

2. *Oratio ut suprà ad Laudes.*

3. *Oratio.* De Patróno.

EJus (*vel* eórum) apud te, Dómine, sentiámus auxilium, de cujus (*vel* quorum) patrocinio gaudémus. Per.

AD COMPLETORIUM.

Psal. Sæpè expugnavérunt. *fol.* 186.

Psal. De profúndis clamávi. *fol.* 129.

Psal. Dómine, non est exaltátum. *fol.* 130.

Ant. Transite ad me, omnes qui concupíscitis me. *Eccli.* 24.

HYMNUS.

VIrgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera factus homo.
Hinc méritò dicent te sæcula cuncta beatam,
Hinc pópuli Matrem te, Domināmque colunt.
Súscipe quos pia plebs tibi péndere certat, honóres;
Annue, sollícitâ quam prece poscit, opem

Glória

Glória magna Patri, compar sit glória Nato,
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

Capitulum. Eccli. 24.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

℣. Anima mea exultábit in Dómino,

℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Nunc dim. *Ant.*

Invoca Dóminum, et lóquere Regi pro nobis, et líbera nos de morte. *Esth.* 15.

Oratio.

BEátæ et gloriósæ, sempérque Vírginis Maríæ, quæsumus, Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Per Dóminum.

PSALMI POENITENTIALES.

Psalmus. Dómine, ne in furóre tuo. *fol.* 36.

Psal. Beáti quorum remíssæ sunt. *fol.* 105.

Psal. Dómine, ne in furóre tuo. *fol.* 183.

Psal. Miserére meî, Deus. *fol.* 212.

Psal. Dómine, exáudi

Psal. De profúndis clamávi. *fol.* 129.

Psal. Dómine, exáudi oratiónem meam, áuribus. *cum suâ divis. fol.* 201.

Ant. Dómine, memor esto meî, et ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris

LITANIÆ.

KYrie, eleïson.
Christe, eleïson.
Kyrie, eleïson.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nob.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli Dei, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum spiríttuum Ordines, oráte pro nobis.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (Zeb.) ora.
Sancte Joánnes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacóbe,
Sancte Philíppe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thaddæe,
Sancte Matthía,
Sancte Bárnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Ora pro nobis.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane,
Sancte Ferréole,
Sancte Ferrúci,
Sancte Germáne,
Sancte Antídi,
Sancte Polycárpe,
Sancte Clemens,
Sancte Ignáti,
Sancte Agápite,
Sancte Lauréntì,
Sancte Vincénti,
Sancte Sebastiáne,
Sancte Maimbóde,
Ora pro nobis.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancti Petre et Marcellíne, oráte.
Sancti Epipháni et Isidóre, oráte.

Sancti Bertári et Athaléne, oráte.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Prisce cum sóciis tuis, ora.
Sancte Hippólyte cum sóciis tuis, ora.
Sancte Mauríti cum sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Silvéster,
Sancte Martine,
Sancte Hilári,
Sancte Nicoláe,
Sancte Gregóri,
Sancte Ambrósi,
Sancte Augustíne,
Sancte Hierónyme,
Sancte Desideráte,
Sancte Nicéti,
Sancte Claudi,
Sancte Donáte,
Sancte Prothádi,
Sancte Anathóli,
Sancte Hippólyte,
Sancte Gerlánde,
Sancte Aquilíne,
Sancte Renobérte,
Sancte Taurine,
Sancte Petre,
Sancte Thoma,
Sancte Caróle,
Sancte Francísce Salési,
Ora pro nobis.
Omnes sancti Pontífices et Doctóres, oráte.
Sancte Ivo, ora.
Sancte Joánnes Nepomucéne, ora.
Sancte Francísce Xavéri, ora pro nobis.
Sancte Vincénti à Paulo, ora pro nobis.
Omnes sancti Sacerdótes, oráte pro nobis.
Sancte Románe,
Sancte Lupicíne,
Sancte Columbáne,
Sancte Deícole,
Sancte Walbérte,
Sancte Ermenfréde,
Sancte Aldegríne,
Sancte Antóni,
Sancte Benedícte,
Sancte Bernárde,
Sancte Francísce,
Sancte Dominíce,
Ora pro nobis.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Roche, ora.
Sancte Joánnes Calybíta, ora pro nobis.
Omnes Justi, oráte.
Sancta Anna,
Sancta María Magdaléna,
Sancta Cæcília,
Sancta Bárbara,
Sancta Agatha,
Sancta Agnes,
Sancta Lúcia,
Or. pro nob.

Sancta Catharína,
Sancta Margaréta,
Sancta Clotíldis,
Sancta Othília,
Sancta Adelaïs, Or. pr. nob.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ, intercédite pro nobis.

Propítius esto, parce nobis, Dómine.
Ab insídiis diáboli, líbera nos, Dómine.

Ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, líbera.
Ab appetítu inánis glóriæ, líbera.
Ab omni immundítiâ mentis et córporis, líbera.
Ab irâ et ódio et omni malâ voluntáte, libera nos, Dómine.
A fúlgure et tempestáte, líbera.
A subitáneâ et improvisâ morte, líbera.
A persecutóribus sanctæ Dei Ecclésiæ et nostris, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A morte perpétuâ, lib.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, lib.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per Passiónem et Crucem tuam, lib.
Per Mortem et Sepultúram tuam, lib.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, lib.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, lib.
Per grátiam sancti Spiritûs paracléti, lib.
In horâ mortis, succúrre nobis, Dómine.

Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, Te rogámus.
Ut remissiónem peccatórum nobis dones, Te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et defensáre dignéris, Te rogámus.
Ut domnum Apostólicum et omnes gradus Ecclésiæ in sanctâ religióne conserváre dignéris, Te rogámus.
Ut Antistitem nostrum N. et omnes congregatiónes illi commissas, in tuo sancto obséquio conserváre dignéris, Te rogámus.
Ut Regem nostrum N. custodire dignéris, Te.

Ut Régibus et Príncipibus Christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, Te.

Ut Clerum et pópulum hujus Diœcésis in sanctâ Religióne conserváre dignéris, Te rogámus.

Ut cuncto pópulo christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, Te rogámus.

Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, Te rogámus.

Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, Te rogámus.

Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, Te.

Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum ab ætérnâ damnatióne præserváre dignéris, Te rogámus.

Ut misérias páuperum et captivórum intuéri et releváre dignéris, Te.

Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, Te rogámus.

Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, Te rogámus, audi nos.

Ut nos exaudíre dignéris, Te rogámus, audi nos.

Fili Dei, Te rogámus.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Kyrie, eleïson, Christe, eleïson, Kyrie, eleïson.

Pater noster, *usq. ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem,

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Véniat super nos misericórdia tua, Dómine.

℟. Salutáre tuum secúndùm elóquium tuum. *Ps.* 118.

℣. Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum,

℟. Citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. *Ps.* 78.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster;

℟. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum. *Ps.* 78.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

DOmine, Jesu Christe, qui dixisti: Pétite et accipiétis, quærite et inveniétis, pulsáte et aperiétur vobis; vota nostra propítius exáudi, et peccatórum nostrórum véniam contríto et pœniténti corde deposcéntibus, ómnium Sanctórum méritis et intercessióne cleménter ignósce. Qui vivis et regnas.

ORDO

COMMENDATIONIS ANIMÆ.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.
Sancta María, ora pro eo (*vel* eâ.)
Omnes sancti Angeli, oráte pro nobis.
Sancte Abel, ora.
Omnis Chorus Justórum, ora pro eo (*vel* eâ.)
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptista, ora pro eo (*vel* eâ)
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.

(*) Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane,
Sancte Ferréole,
Sancte Ferrúci,
Sancte Laurénti,
Sancte Antídi,
Sancte Sebastiáne, Ora pro nobis.
Omnes sancti Mártyres, orate pro eo (*vel* eâ.)
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Prothádi, ora.
Sancte Claudi, ora.
Omnes sancti Confessóres, oráte pro eo (*vel* eâ.)
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora pro eo (*vel* eâ.)
Sancta Thecla, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro eo (*vel* pro eâ.)
Propítius esto, parce ei, Dómine.
Propítius esto, líbera eum (*vel* eam,) Dómine.
Ab irâ tuâ, líbera.
A malâ morte, líbera.
A potestáte diáboli, líb.
A pœnis inférni, líb.
Per Nativitátem tuam, líbera eum (*vel* eam,) Dómine.
Per Agóniam tuam, líb.
Per Passiónem et Crucem tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líb.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líb.
Per grátiam Spíritûs sancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líb.
Peccatóres, Te rogámus.
Ut ei parcas, Te rog.
Kyrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.
Pater noster, etc.

Deindè, cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicuntur sequentes Orationes.

Oratio.

PRoficíscere, ánima Christiána, de hoc mundo, in nómine Dei

(*) *Invocabitur suo loco Sanctus qui est Parochiæ Patronus.*

Patris omnipoténtis, qui te creávit; in nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est; in nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est; in nómine Angelórum et Archangelórum; in nómine Thronórum et Dominatiónum; in nómine Principátuum et Potestátum; in nómine Chérubim et Séraphim; in nómine Patriarchárum et Prophetárum; in nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum; in nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum; in nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum; in nómine sanctárum Vírginum, et ómnium Sanctórum et Sanctárum Dei; hódiè sit in pace locus tuus, et habitátio tua in sanctâ Sion. Per eúmdem Christum....

Oratio.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus qui secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, et præteritórum crimi- propitius super hunc fámulum tuum N. (*vel* hanc fámulam tuam N.) et remissiónem ómnium peccatórum suórum totâ cordis confessióne poscéntem, deprecátus exáudi. Rénova in eo (*vel* eâ), piíssime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum est, et unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére, Dómine, gemítuum, miserére lacrymárum ejus; et non habéntem fidúciam, nisi in tuâ misericórdiâ, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum, etc.

COmméndo te omnipoténti Deo, charíssime frater (*vel* mea soror), et ei, cujus es creatúra, commítto: ut, cùm humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad Auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti itaque ánimæ tuæ de córpore spléndidus

tibi Senátus advéniat; candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet; liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet; jubilántium te Vírginum chorus excípiat; et beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus adstríngat; mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus Sátanas cum satellítibus suis; in advéntu tuo te comitántibus Angelis contremíscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus; et fúgiant, qui odérunt eum, à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant; sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei; et justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur, et Sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifíxus est. Líberet te ab ætérnâ morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intrà Paradísi sui semper amœna viréntia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, et præsens semper assistens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constitútus ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio.

SUscipe, Dómine, servum tuum (*vel* ancillam tuam) in locum sperándæ sibi salvatiónis à misericórdiâ tuâ.

℟. Amen.

Libera, Dómine, áni-

periculis inférni, et de láqueis pœnárum, et ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Enoch et Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Isaac de hóstiâ, et de manu patris sui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Loth de Sódomis, et de flammâ ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis Regis Ægypti

mam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti tres púeros de camino ignis ardéntis, et de manu Regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu Regis Saül, et de manu Golíæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam, Vírginem et Mártyrem tuam, de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam servi hujus, et tecum fácias in bonis congaudére cœléstibus. ℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui N. (*vel* fámulæ tuæ N.) precamúrque te,

ter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum fínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non ex diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo et vero, quia non est álius Deus præter te, et non est secúndùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo, et ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, et ebrietátum, quas suscitávit furor, sive fervor mali desidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit, et zelum Dei in se hábuit, et Deum qui fecit ómnia, adorávit.

Oratio.

DElícta juventútis, et ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris, Dómine, sed secúndùm magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glóriâ claritátis tuæ.

servum tuum súscipe. Suscípiat eum sanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiæ cœléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, et perdúcant eum in civitátem cœléstem Jerúsalem. Suscípiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cœléstis tráditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes Sancti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt: ut, vínculis carnis exútus, pervenire mereátur ad glóriam regni cœléstis, præstánte Dómino nostro Jesu Christo, Qui cum Patre et Spíritu sancto vivit, etc.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, per agóniam, et oratiónem tuam sanctíssimam, quâ orásti pro nobis in monte Olivéti, quandò factus est sudor, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram; óbsecro te, ut multitúdinem sudóris tui sanguínei, quem præ timóris tui angústiâ copiosíssimè pro nobis effudísti, offérre, et osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti contrà multitúdinem peccatórum hujus fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ); líbera eum (*vel* eam), in hâc horâ mortis suæ, ab ómnibus angústiis suis, quas pro peccátis suis se timet meruísse. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis, etc.

Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson. Pater noster. Ave, María.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignátus es in cruce, óbsecro te, ut omnes amaritúdines passiónum, et poenárum tuárum, quas pro nobis míseris peccatóribus sustinuísti in Cruce, máximè in illâ horâ, quandò sanctíssima ánima tua egréssa est de córpore tuo sanctíssimo, offérre, et osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti, pro ánimâ hujus fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ), et líbera eum (*vel* eam), in hâc horâ mortis, ab ómnibus peccátis, et passiónibus, quas pro peccátis suis se timet meruísse. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis.

Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson. Pater noster. Ave, María.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophetæ dixísti: In charitáte perpétuâ diléxi te, ideo attráxi te miserans tui: óbsecro te, ut eámdem charitátem tuam quæ de coelo ad terram ad tolerándas ómnium passiónum tuárum amaritúdines te attráxit, offérre, et osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti, pro ánimâ hujus fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ), et líbera eum (*vel* eam) ab óm-

nibus passiónibus, et pœnis, quas pro peccátis suis timet se meruísse; et salva ánimam ejus in hâc horâ éxitûs sui. Aperi ei jánuam vitæ, et fac eam gaudére cum Sanctis tuis in glóriâ ætérnâ. Et tu, piissime Dómine Jesu Christe, qui redemísti nos pretióso sánguine tuo, miserére ánimæ fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ), et eam introdúcere dignéris ad semper viréntia et amœna loca Paradísi, ut vivat tibi amóre indivisíbili, qui à te, et ab eléctis tuis separári nunquàm potest; Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis.

Si anxiatur adhuc anima, dicantur hi Psalmi, videlicet: Confitémini Dómino, quóniam bonus. *fol.* 19. *et totus Psalmus*, Beáti immaculáti in viâ. *fol.* 21. *per Hor. distrib. Potest etiam recitari Passio Domini nostri Jesu Christi secundùm Joannem.* cap. 18.

Egressâ autem animâ, dicitur hoc Resp. Subvenite, Sancti Dei; occúrrite, Angeli Dómini, * Suscipiéntes ánimam ejus, * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

℣. Suscípiat te Christus qui vocávit te, et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. * Suscipiéntes.

℟. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine. Et lux. * Offeréntes.

Deindè. Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem,

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine;

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A portâ ínferi

℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui N. ut defúnctus sæculo tibi vivat; et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Dóminum.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

AD VESPERAS.

Psal. Diléxi, quóniam. *fol.* 72.

Ant. 2. D. O Dómine, líbera ánimam meam.

Psal. Ad Dóminum, cùm tribulárer. *fol.* 101.

Ant. 2. D. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est!

Psal. Levávi óculos meos. *fol.* 72.

Ant. 2. D. Auxílium meum à Dómino.

Psal. De profúndis. *fol.* 129.

Ant. 8. G. Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine, quis sustinébit?

Psal. Confitébor tibi, Dómine. *fol.* 154.

Ant. 2. D. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Ad Magn. *Ant.* 4. *E.*

Anima in angústiis, et spíritus ánxius clamat ad te: Audi, Dómine, et miserére, quia Deus es miséricors. *Baruch.* 3.

Pater noster... Et ne nos indúcas, etc.

Psal. Lauda, ánima mea, Dóminum. *fol.* 170.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. A portâ ínferi

℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

In die depositionis Defuncti.

Oratio.

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui (*vel* famulæ tuæ) N. (*híc add. nomen et qualitas defunct.*) ut defúnctus (*vel* defúncta) sæculo tibi vivat, et quæ per fragilitátem carnis humánâ conversatióne commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Dóminum.

Pro Episcopo. Si pro plurib. ponit. in plur.

Oratio.

DEus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum N. Pontificáli fecísti dignitáte vigére; præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpé-

Pro Sacerdote. Si pro plurib. ponit. in plur.

Oratio.

DA nobis, Dómine, ut ánimam fámuli tui N. Sacerdótis, quam de hujus sæculi eduxísti laborióso certámine, sanctórum tuórum tríbuas esse consórtem. Per Dóminum.

Pro defuncto.

Oratio.

INclina, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui N. quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Dóminum.

Pro Defunctâ.

Oratio.

QUæsumus, Dómine, pro tuâ pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ, N. et à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ

In anniversario die, si pro uno, dicit. in singulari.

Oratio.

DEus, indulgentiárum Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quarum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Pro Benefactoribus.

Oratio.

DEus, véniæ largítor et humánæ salútis amátor, quæsumus cleméntiam tuam, ut benefactóres nostros, qui ex hoc sæculo transiérunt, beátâ Maríâ semper Vírgine intercedénte, cum ómnibus Sanctis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas. Per Dóminum.

Pro omnibus defunctis.

Oratio.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum, ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Per.

(*Privatìm pro Patre et Matre.*)

Oratio.

DEus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter animábus patris et matris meæ, eorúmque peccáta dimítte, meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Si terminetur Officium, dicit.

℣. Réquiem ætérnam dona eis (*vel* ei), Dómine;

℟. Et lux perpétua lúceat eis (*vel* ei.)

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

AD OFFICIUM

Nocturnum.

Invit. Deum, cui omnes vivunt, * Venite,

In fine. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis. * Venite.

IN I. NOCTURNO.

Psal. Verba mea áuribus. *fol.* 115.

Ant. 7. c. Dírige, Dómine, Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Psal. Dómine, ne in furóre tuo. *fol.* 76.

Ant. 1. a. Salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Psal. Usquequò, Dómine, oblivísceris me? *fol.* 104.

Ant. 4. a. Illúmina óculos meos, ne unquàm obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi;

℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

Pater noster. Et ne nos indúcas.

Lectiones leguntur sine benedictionibus et sine titulo.

Lectio j. Job. 7.

PArce mihi, Dómine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? Aut quid appónis ergà eum cor tuum? Vísitas eum dilúculò, et súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam salívam meam? Peccávi. Quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quarè posuísti me contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quarè non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam, et si manè me quæsíeris, non subsístam.

℟. Dómine omnípotens, Deus Israël, * Audi nunc oratiónem mortuórum; noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, sed meménto manûs tuæ et nóminis tui. *Baruch.* 3.

℣. Occísus es, Dómine, et redemísti nos Deo in sánguine tuo. *Apoc.* 5. * Audi nunc.

Lectio ij. Job. 10.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsùm me elóquium meum, loquar in ama-

ritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre. Manus tuæ, Dómine, fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu, et sic repéntè præcípitas me? Meménto, quæso, quòd sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, et sicut cáseum me coagulásti? Pelle et cárnibus vestísti me, óssibus et nervis compegísti me. Vitam et misericórdiam tribuísti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Peccávi valdè, sed * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui, quia stultè egi nimis. 2. *Reg.* 24.

℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. *Luc.* 18. * Precor, Dómine.

Lectio iij. Job. 13.

QUantas hábeo iniquitátes, et peccáta, scélera mea et delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, et arbitráris me inimícum tuum? Contrà fólium quod vento rápitur osténdis poténtiam tuam, et stipulam siccam perséqueris. Scribis enim contrà me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observásti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum, et quasi vestiméntum quod coméditur à tíneà.

℟. Ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum, consúrgam cùm sédero in ténebris: * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. *Mich.* 7.

℣. Flagéllat Dóminus omnem fílium quem récipit. *Heb.* 12. * Iram Dómini.

IN II. NOCTURNO.

Psal. Dóminus regit me. *fol.* 149.

Ant. 6. *F.* In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine.

Psal. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, *cum suâ divisione. fol.* 64.

Ant. 8. G. Delícta juventútis meæ, et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Psalm. Dóminus illuminátio mea, *cum suâ divisione. fol.* 147.

Ant. 4. *E.* Credo vidére bona Dómini in terrâ vivéntium.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram;

℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

Pater noster.

Lectio iv. Job. 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur, et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquàm in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperire óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est, constituísti términos ejus qui prætériri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat sicut mercenárii dies ejus.

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut crémium aruérunt: * Dies mei sicut umbra declinavérunt. *Ps.* 101.

℣. Quæ est vita? vapor est ad módicum parens. *Jac.* 4. * Dies mei.

Lectio v. Job. 14.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi tempus, in quo recordéris meî? Putásne mórtuus homo rursùm vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi, Operi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine, * Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine, quis sustinébit? *Ps.* 129. * Quia non.

Lectio vj. Job. 10. *et* 17.

BReves anni tránseunt, et sémitam, per quam non revértar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, et pone me juxtà te, et cujúsvis manus pugnet contrà me.

℟. Dóminus protéctor vitæ meæ, * A quo trepidábo? *Psal.* 26.

℣. Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. *Rom.* 14. * A quo.

IN III. NOCTURNO.

Psal. Dixi, custódiam vias meas, *cum suâ divisione. fol.* 157.

Ant. 5. a. Amove à me plagas tuas, Dómine, áuribus pércipe lácrymas meas.

Psal. Beátus qui intélligit. *fol.* 187.

Ant. 4. a. Sana, Dómine, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Psal. Quemádmodùm desíderat cervus, *cum suâ divisione. fol.* 122.

Ant. 4 j. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum; quandò véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

℣. Ne avértas fáciem tuam à me;

℟. Ne declínes in irâ à servo tuo. *Psal.* 26.

Lectio vij. Job. 17.

DIes mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursùm post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; Mater mea et soror mea, vérmibus. Ubi est ergò præstolátio mea, et patiéntiam meam quis consíderat?

℟. Quarè tristis es, ánima mea, et quarè contúrbas me? * Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi. *Psal.* 41.

℟. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem. 1. *Cor.* 15. * Spera in Deo.

Lectio viij. Job. 19.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, et derelícta sunt tantúmmodò lábia circà dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quarè persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro stylo férreo, et plumbi láminâ, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum; et rursùm circúmdabor pelle meâ, et in carne meâ vidébo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

ribus pércipe lácrymas meas: * Remítte mihi ut refrígerer. *Ps.* 38.

℣. Cor meum conturbátum est in me, et formído mortis cécidit super me. *Ps.* 54. * Remítte.

Lectio ix. Job. 13.

QUarè lácero carnes meas déntibus meis, et ánimam meam porto in mánibus meis? Etiámsi occíderit me, in ipso sperábo. Verúmtamen vias meas in conspéctu ejus árguam, et ipse erit Salvátor meus.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me, non absórbeat me profúndum, neque úrgeat super me púteus os suum; * Exáudi me, quóniam * Benígna est misericórdia tua. * Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. *Ps.* 68.

℣. Dómine Deus, Rex sæculórum, solus pius es. *Apoc.* 15. * Exáudi me, quóniam benígna est misericórdia tua. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam.

℣. Miserére meî, Dó-

dia tua. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam.

℣. Propósuit te Deus propitiatiónem per fidem propter remissiónem delictórum. *Rom.* 3. * Inténde ánimæ meæ, et líbera eam.

Repet. Líbera me, Dómine, etc. *usque ad primum* ℣. Dómine Deus.

Si non dicantur Laudes, terminatur Matutinum ut in Vesp. dicendo Pater noster, etc.

AD LAUDES.

Psal. Miserére mei, Deus. *fol.* 212.

Ant. 1. f. Secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum, dele iníquitátem meam.

Psalm. Te decet. *fol.* 116.

Ant. 8. G. Exáudi, (Deus,) oratiónem meam, ad te omnis caro véniet.

Psal. Dómine, exáudi oratiónem meam, áuribus pércipe, *cum suâ divisione. fol.* 201.

Ant. 4. E. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.

Canticum. Baruch. 3.

Domine omnipotens, Deus Israël, * ánima in angústiis, et spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, et miserére, quia Deus es miséricors; * et miserére nostri, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempitérnum, * et nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israël, * audi nunc oratiónem mortuórum Israël,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, et non audiérunt vocem Dómini Dei sui, * et agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum; * sed meménto manûs tuæ, et nóminis tui in témpore isto.

Quia tu es Dóminus Deus noster; * et laudábimus te, Dómine.

Ant. 2. D. Miserére nostri, Dómine, quia peccávimus ante te.

Psal. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *fol.* 91.

Ant. 7. b. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Ad Bened. *Ant.* 1. a.

Ego sum resurréctio et vita; qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum. *Joan.* 11.

Pater, *et cætera, ut sup. in Vesp. excepto quòd loco Psalmi* Lauda, *dicit. Psal.* De profúndis. *fol.* 129.

BENEDICT. MENSÆ

ANTE PRANDIUM.

Sacerdos benedicturus mensam, incipit : Benedícite. *Et alii repetunt :* Benedícite.

Deindè dicit ℣. Oculi ómnium. *Et alii prosequuntur :* In te sperant, Dómine, et tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne. Glória Patri, etc.

Kyrie, eléïson, Christe, eléïson. Kyrie, eléïson. Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos.

℟. Sed líbera.

Posteà Sacerdos dicit, benedicens se et mensam.

Oremus.

Benedic, † Dómine, nos et † hæc tua dona, quæ de tuâ largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deindè Lector. Jube, Dómine, benedícere.

Bened. Mensæ cœléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO

POST PRANDIUM.

Dicto à Lectore Tu autem, Dómine, ℟. Deo grátias.

Sacerd. incipit. ℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;

℟. Et Sancti tui benedícant tibi.

Glória Patri. Sicut erat.

Posteà Sacerdos absolutè dicat.

Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis

tuis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

Deindè alternatim dicitur Psal. Laudáte Dóminum, omnes gentes, etc. *In fine*, Glória Patri, etc.

Kyrie, eléïson, Christe, eléïson. Kyrie, eléïson. Pater noster, *secretò*.

℣. Et ne nos.

℟. Sed líbera.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus.

℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore.

℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea.

℟. Audiant mansuéti, et læténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum;

℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum,

℟. Ex hoc nunc, etc.

Deindè sine Oremus.

Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ, etc. ℟. Amen.

Pater noster, *secretò*, *Sacerdos* : Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

ANTE COENAM.

Sacerdos : Benedícite. *et alii* : Benedícite.

Sacerdos : ℣. Edent páuperes. *Alii prosequuntur* ; Et saturabúntur, et laudábunt Dóminum ; qui requírunt eum, vivent corda eórum in sæculum sæculi. Glória Patri.

Kyrie, eléïson. Christe. Kyrie, Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℟. Sed líbera.

Oremus. Bénedic, Dómine, *ut in prandio*.

Jube, Dómine, etc.

Bened. Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

In fine cœnæ dicitur :

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum misericors

Sacerdos dicat:

BEnedíctus Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Reliqua ut in prandio.

Prædictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore, præterquàm diebus infrà scriptis, in quibus Versus et Psalmi tantùm variantur.

IN NATIVITATE DOMINI,

Usque ad cœnam Vigiliæ Epiph. exclus. dicitur.

℣. Verbum caro factum est, Allelúia. ℟. Et habitávit in nobis. Allelúia. *Joan.* 1. Glória Patri.

In fine dicitur ℣. Notum fecit Dóminus, Allelúia, ℟. Salutáre suum, Allelúia. *Ps.* 97. *Alia ut sup.*

Psalm. Laudáte Dóminum, omnes.

℣. Reges Tharsis, et insulæ múnera ófferent; Allelúia. ℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent, Allelúia. Glória.

In fine dicitur ℣. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, Allelúia. ℟. Et laudem Dómino annuntiántes, Allel. *Isa.* 60. Glória.

Laudáte Dóminum, omnes gentes, etc. *fol.* 199.

FERIA QUINTA, IN COENA DOMINI.

Dicitur absolutè:

℣. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem.

Deindè Pater noster *totum secretò. Quo dicto, sine pronuntiatione aliquâ, Sacerdos signo Crucis benedicit mensam; nec dicitur* Jube, Dómine, *nec* Tu autem.

In fine repet. ℣. Christus, *ut sup. posteà dicit Psal.* Miserére mei, Deus.

absolutè Orat. Réspice, *ut in Officio, et non pronuntiatur* Qui tecum, *nec* Fidélium; *sed secretò dicitur* Pater noster; *nec additur* Deus det nobis.

IN PARASCEVE.

Eodem modo fit, sicut in Cœnâ Domini, sed additur ad ℣. Christus, Mortem Crucis.

SABBATO SANCTO.

Incipitur Benedícite. *Repetitur* Benedícite.

℣. Vésperè autem Sábbati, quæ lucéscit in primâ Sábbati, Allel.

℟. Venit María Magdaléne, et áltera María vidére sepúlcrum, Allelúia. Glória Patri. *Reliqua ut suprà.*

In fine repet. ℣. Vésperè, *ut sup. cum* Glória.

Psalm. Laudáte Dóminum, omnes. Glória, *et alia ut suprà in primâ Benedictione.*

IN DIE PASCHÆ,

Usque ad Cœnam sequentis Sabbati.

℣. Hæc dies quam fecit Dóminus. All. ℟. Exultémus et lætémur in eâ Allel. Glória Patri.

In fine repetitur Hæc dies *cum* Glória Patri.

Laudáte Dóminum, omnes gentes.

IN ASCENSIONE DOMINI,

Usque ad Vigiliam Pentecostes exclusivè.

℣. Ascéndit Deus in jubilatióne, Allel.

℟. Et Dóminus in voce tubæ, Allel. Glória.

In fine dicit. ℣. Ascéndens Christus in altum, captívam duxit captivitátem, Allelúia. ℟. Dedit dona homínibus, Allel. Glória.

Psalm. Laudáte Dóminum, omnes gentes.

IN PENTECOST.

A Vigiliâ ejusdem inclusivè usque ad Cœnam sequentis Sabbati exclusivè.

℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, Allelúia. ℟. Et hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, Allelúia. Glória.

In fine dicitur. ℣. Repléti sunt omnes Spíritu sancto, et cœpérunt loqui, Allelúia. ℣. Prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis, Allel. Glória.

Psalm. Laudáte Dóminum, omnes gentes.

ITINERARIUM.

Clericus in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali.

Canticum. Benedíctus Dóminus Deus. *fol.* 17.

In fine Glória. *Posteà dic. Antiphona.* In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et miséricors Dóminus; et Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in viâ, ut

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos.

℟. Sed líbera.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. Deus meus, sperántes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto,

℟. Et de Sion tuére nos. *Psalm.* 19.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.

℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis;

℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Psal.* 88.

℣. Benedíctus Dóminus, die, quotídiè:

℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis,

℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Psal.* 24.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ,

℟. Et áspera in vias planas. *Isa.* 40.

℟. Angelis suis Deus mandávit de te,

℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Psalm.* 90.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Psal.* 101.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

DEus, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te stellâ duce pandísti; tribue nobis, quæsumus, iter prósperum tempúsque tranquíllum; ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demùm ad ætérnæ salútis portum pervenire feliciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti [illegible] gium, in viâ solátium, in æstu umbráculum, in pluviâ et frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus, et demùm incólumes ad própria redeámus.

DEus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas; concéde propítius, ut, à quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terrâ vita nostra muniátur.

ADésto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut, inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat, et beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad

eum quem prædixit, secura pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Procedámus in pace,

℟. In nómine Dómini. Amen.

ORATIO PRÆPARATORIA

Ad Sacramentum quodlibet ministrandum.

Veni, sancte Spíritus, etc. Glória Patri, etc. Sicut erat, etc.

Oratio.

DOmine Deus, qui mirábili poténtiæ et bonitátis concórdiâ, efficacíssima grátiæ instruménta Minístris infirmitáte circúmdatis commisísti, esto mihi in adjutórium, et ad adjuvándum me festína; adsit mihi indígno fámulo tuo tuæ abundántia pietátis, quâ mundátus ab omni inquinaménto carnis ac spíritûs, dignè ac devótè pro te legatióne fungi váleam. In me, Dómine, et in eum (*vel* in eos), qui Sacraméntum N. susceptúrus est (*vel* susceptúri sunt) benignus aspíra, ut, dùm virtúte tuâ operánte, grátiam illi (*vel* illis) ministrábo et sanctitátem, ipse quoque meam in timóre tuo simul et in amóre tuo própriam sanctificatiónem perfíciam. Per Christum Dóminum.

GRATIARUM ACTIO

Post Sacramenti cujuslibet administrationem.

Laudáte Dóminum, omnes gentes, etc.

Oratio.

DOmine Jesu! fons omnis sanctificatiónis

et salútis, tibi grátias ago, quòd me indígnum fámulum tuum ad tàm stupéndum Offícium elígere dignátus es: fructum tibi comméndo Ministérii quod modò nómine tuo adimplévi; et si quid in illo per fragilitátem meam défuit, hoc tuâ misericórdiâ indulgére dignéris. Propitiáre, quæso, collátis in nómine tuo munéribus, ut qui vitæ immortális pignus accépit (*vel* accepérunt) vitæ immaculátæ perpétua cápiat (*vel* cápiant) increménta. Me ac illum (*vel* illos) tuâ pervígili tuére pietáte; et quia tuæ benignitátis est quod sumus, da nobis ut tuum sit semper omne quod ágimus. Per Christum Dóminum.

ORDO MINISTRANDI

Sacramentum Pœnitentiæ,

Ex Ritual. Bisont.

Antequàm ad Tribunal accedat Confessarius, sequentibus vel similibus aliis se muniat precibus.

COr mundum crea in me, Deus, et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. Ne projícias me à fácie tuà, et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. Redde mihi lætítiam salutáris tui, et spíritu principáli confírma me. Docébo iníquos vias tuas, et ímpii ad te converténtur....

Dómine, exáudi oratiónem meam, et clamor meus ad te véniat.

Oremus.

DEus, sub cujus óculis omne cor trépidat, et consciéntiæ cunctórum pavéscunt; propitiáre fámulis et famulábus tuis, et cunctórum malórum et peccatórum medére languóribus: ut sicut nemo liber est à culpâ, ita nemo sit aliénus à véniâ. Per Christum.

Sedens Confessarius benedicit Pœnitenti.

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis, ut dignè et competénter confiteáris ómnia peccáta

tua. In nómine Patris, † et Filii, et Spíritûs sancti. Amen.

Finitâ Pœnitentis accusatione, Confessarius dicit:

Misereátur tuî omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem † et remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens et miséricors Dóminus.

Amen.

Absolutionis forma.

DOminus noster Jesus Christus, qui est Summus Póntifex, per suam piíssimam misericórdiam, te absólvat; et ego, auctoritáte ipsíus mihi, licèt indígno, concéssâ, absólvo te imprímis ab omni vínculo excommunicatiónis (*si Pœnitens Clericus sit, additur* suspensiónis) et interdícti, in quantùm possum, et tu índiges.

Pássio Dómini nostri Jesu Christi, mérita B. M. V. et ómnium Sanctórum, suffrágia sanctæ Matris Ecclésiæ, quidquid boni féceris et mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, in augméntum grátiæ, et in præmium vitæ ætérnæ. Amen.

Vade in pace, et noli ámpliùs peccáre.

Si non detur absolutio, illius loco dicitur: Misereátur, etc. Indulgéntiam, etc.

De Modo absolvendi à censuris intrà Sacramentalem Confessionem.

DOminus noster Jesus Christus, *etc.* (*ut suprà*), te absólvat; et ego, auctoritáte ipsíus, et Sanctíssimi nostri Papæ *vel* Reverendíssimi Archiepíscopi mihi licèt indígno concéssâ, absólvo

mitur, v. g. homicidium, aut violationem statuti episcopalis ; incurristi), insuper, et à quólibet álio vínculo excommunicatiónis, (*suspensionis*), et interdicti, in quantùm possum, et tu índiges : deíndè, eâdem auctoritáte quâ fungor, *etc. ut suprà.*

De Modo absolvendi à censuris extrà Sacramentalem Confessionem.

P*OEnitens dicat*, Confíteor: *Sacerdos*, Misereátur, etc. Indulgéntiam, etc. *Deindè, Sacerdos :* Auctoritáte mihi à N. (*ut suprà*), tráditâ, ego te absólvo à vínculo excommunicatiónis, *vel*, suspensiónis, *vel*, interdicti, quam, *vel*, quod, (*ob talem causam, quæ exprimitur*), incurrísti. In nómine † Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. ℟. Amen.

De Modo dispensandi ab irregularitatibus, sive intràforum conscientiæ, sive extrà.

AUctoritáte à N. (*ut suprà*), mihi concéssâ, dispénso tecum super irregularitáte, *vel*, irregularitátibus, in quam *vel* in quas (*ob talem causam, quæ exprimitur, v. g. ob violationem cujusdam censuræ,*) incurrísti, et hábilem reddo et restítuo te executióni Ordinum et officiórum tuórum. In nómine † Patris, etc.

Si dispensandus nullum habet ordinem, dicitur : Hábilem reddo te ad omnes suscipiéndos órdines, (*juxtà tenorem mandati*).

MODUS

A SS. D. N. Benedicto XIV, Papâ, approbatus, pro opportunitate temporis servandus, (ut in rubricis compendii libri ritualis notatur,) ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis, ab his qui facultatem habent à sede Apostolicâ delegatam.

Sacerdos dicat : Pax huic dómui. *Deindè :* Aspérges me, etc.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli tui, (*aut* ancíllæ tuæ), neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kyrie, eléïson.

Christe, eléïson.

Kyrie, eléïson.

Pater noster, qui es, etc.

℣. Et ne nos índucas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos, etc.

℣. Salvum fac servum tuum (*aut* salvam fac ancíllam tuam,)

℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Dómine, exáudi.

℟. Et clamor meus.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

CLementíssime Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem, atque sperántem, christiána commendant, vísita eum (*aut* eam) in salutári tuo, et per Unigéniti tui Passiónem et Mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem et véniam cleménter indúlge; ut ejus ánima, in horâ éxitûs sui, te Júdicem propitiátum invéniat, et in Sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni máculâ ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tùm dicto : Confiteor, etc. *Sacerd. dicat :* Misereátur, etc. *Deindè.*

Dóminus noster Jesus Christus. Fílius Dei vivi, qui beáto Petro, Apóstolo suo, dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam quam in Baptísmate recepísti : et ego, facultáte

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria, remittat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, Paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. Amen.

† Benedícat te omnípotens Deus, Pater, Filius, et Spíritus sanctus. Amen.

Si verò infirmus sit adeò morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

CANONES
PARTIS ÆSTIVALIS.

SERIES TITULORUM
SUB QUIBUS ORDINANTUR CANONES
PARTIS ÆSTIVALIS.

Avaritiæ notam formident, domumque cautè custoditam habeant. *à die* xvj. *Augusti.*

De Pastorum residentiâ. *à die* xxjx. *Augusti.*

De Patrono.

Singulis diebus cujuslibet mensis notantur Litteræ Dominicales per quas, cognitâ litterâ Dom. anni currentis, facilè dignoscitur ad quam feriam pertineat Canon cujuslibet diei.

De Pueris instituendis in Mysteriorum fide.

Litteræ Dominic.

e. Die xviii Maii.

Ex Conc. Tolosáno.

Ann. 1590. *part.* 3. *cap.* 3.

CUm omnis ignorántia perniciósa, sit, tùm ea potíssimùm quæ de divínis rebus est, perniciosíssima semper exístere consuévit. Huic pelléndæ Episcopi, quâ póterunt diligéntiâ, incúmbent, Christiánam juventútem, morum doctrinæque præcéptis informári, sed máximè fidei, Christianæque disciplínæ rudiméntis ímbui curábunt.

Tu autem, Dómine miserére nostri,

℟. Deo grátias.

f. Die xix. Maii.

Ex Conc. Mediolanénsi.

Ann. 1565. *part.* 1.

Atque ex Conc. Tolosáno

Ann. 1590. *part.* 3. *cap.* 3.

DOminícis, Festísque diébus fidei præcípua cápita Párochos ipsos, aut álios eórum nómine, púeros rudiorésque è pópulo, pomerídiè, stati horâ, próprio campánæ sono, palàm in templo

edocére, et benè vivéndi, orándi, confiténdi, communicandíque ratiónem, iísdem explicáre, omni vigilántiâ Episcopi compéllant.

Tu autem, Dómine, etc.

g. Die xx. Maii.

Ex Conc. Mediolan. 5°.

Ann. 1579. *part.* 1. *tit.* 2.

COonfessárii gravíssimam pœniténtiam impónant, itémque Concionatóres divínam ultiónem denúntient, et pátribusfamílias, et dóminis qui nullâ aut saltem parvâ diligéntiâ adhibitâ, omnem ratiónem non íneunt, ut sui líberi ac fámuli Christiánam doctrínam addíscant; neque iis quos in famulátu habent, tantùm diébus saltem festis vácui témporis concédunt, quo in Ecclésias ubi ea doctrína tráditur, ad illam percipiéndam convenire possint.

De latriæ cultu interno et externo SS. Euchar. debito.

A. Die xxi. Maii.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 13. *de Euchar. sacram. can.* 1.

SI quis negáverit. in sanctíssimæ Eucharístiæ Sacraménto continéri verè, reáliter et substantiáliter corpus et sánguinem unà cum ánimâ et divinitáte Dómini nostri Jesu Christi, ac proindè totum Christum; sed díxerit tantúmmodò esse in eo ut in signo, vel figúrâ, aut virtúte; anáthema sit.

b. Die xxii. Maii.

Ex Conc. Tridéntíno.

Sess 13. *de Euchar. can.* 4.

SI quis díxerit, peráctâ consecratióne, in admirábilis Eucharístiæ Sacraménto non esse Corpus et Sánguinem Dómini

nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu, dùm súmitur; non autem antè vel post, et in hóstiis seu partículis consecrátis, quæ post communiónem reservántur vel supérsunt, non remanére verum corpus Dómini; anáthema sit.

c. Die xxiii. Maii.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 13. *de Euchar. cap.* 5.

NUllus dubitándi locus relínquitur quin omnes Christi fidéles, pro more in Cathólicâ Ecclésiâ semper recépto, látriæ cultum qui vero Deo debítur, Sanctíssimo Eucharistiæ Sacraménto in veneratióne exhíbeant.... Nam illum eúmdem Deum præséntem in eo adésse crédimus, quem Pater ætérnus introdúcens in orbem terrárum, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei; quem Magi

d. Die xxiv. Maii.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 13. *de Euchar. can.* 7.

SI quis díxerit non licére sacram Eucharístiam in sacrário reservári, sed statìm post consecratiónem astántibus necessáriò distribuéndam; aut non licére, ut illa ad infírmos honoríficè deferátur; anáthema sit.

e. Die xxv. Maii.

Ex Conc. Tolosáno.

Ann. 1590. *part.* 2. *de Euchar. cap.* 5.

IN solo altári, tabernáculo ligneo, clauso, decénti, quantúmque fíeri póterit scitè, venustèque condecoráto, accénsâ perpétuò lámpade, custodíto, Eucharístia diligentíssimè servétur, eáque si non semper, at saltem ut plúrimùm ex pyxide ministrétur

ciomatóres et Confessárii crebris hortatiónibus suadébunt.

f. Die xxvi. Maii.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 22. *de sacrif. Missæ, can.* 20.

SI quis díxerit, illis verbis : hoc fácite in meam commemoratiónem, Christum, non instituísse Apóstolos Sacerdótes, aut non ordinásse, ut ipsi aliíque Sacerdótes offérrent corpus et sánguinem suum ; anáthema sit.

De sacrifício Missæ ritè celebrando et audiendo.

g. Die xxvii Maii.

Ex Conc. Mediolan. 4°.

Ann. 1576. *part.* 3.

QUi Sacerdótes estis, Missæ Sacrifícium

táte, in tàm alti Mystéri meditatióne toto ánimo defixi.

A. Die xxviii. Maii.

Ex Conc. Lateranén. 4°.

Ann. 1215. *cap.* 17.

SUnt qui Missárum célebrant solémnia vix quater in anno, et quod detériùs est, interésse contémnunt : et si quandò dùm hæc celebrántur intérsunt, Chori siléntium fugiéntes, inténdunt extériùs collocutiónibus laïcórum : Dùmque auditum ad indébitos sermónes effúndunt, aures inténtas nec pórrigunt ad divína. Hæc ígitur et simília sub pœnâ suspensiónis pénitùs inhibémus.

b. Die xxix. Maii.

Ex Conc. Rheménsi.

Ann. 1583. *tit de Euchar. n.* 8.

sæpiúsque, si fieri potest, sacríficent. Nullus tamen sibi cónscius mortális peccáti, quantúmvis sibi contrítus videátur; absque præviâ sacraméntáli confessióne célebret: Quod étiam ab iis Sacerdótibus, quibus ex offício incubúerit celebráre, servándum erit, modò non desit illis cópia Confessóris. Si verò, necessitáte urgénte, Sacérdos absque præmissâ confessióne celebráverit, quamprímum confiteátur.

c. Die xxx. Maii.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 22. de observ. in celeb. Missæ.

QUanta cura adhibénda sit, ut sacrosánctum Missæ Sacrifícium omni religiónis cultu ac veneratióne celebrétur, quivis fácilè existimáre póterit, qui cogitárit maledíctum in sacris lítteris eum vocári, qui facit opus Dei neglighénter.

d. Die xxxi. Maii.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 22. de observ. in celeb. Missæ.

OMnis ópera et diligéntia in eo ponénda est, ut quantâ máximâ fieri potest interióre cordis munditiâ et puritáte, atque interióri devotiónis ac pietátis spécie peragátur sacrosánctum Missæ Sacrifícium.

---

e. Die i. Junii.

Ex Conc. Bituricénsi.

Ann. 1584. tit. 23. de Missâ. can. 8. et 9.

NOn celebrétur Missa Parochiális ad nutum nobílium aut laïcórum, sed consuétâ et opportúnâ horâ. Provídeant Epíscopi et Ecclesiárum Rectóres, ne simul et tumultuárié plures Missæ privátæ, sed certo órdine, et váriis horis celebréntur.

f. DIE II. JUNII.

Ex Conc. Rheménsi.

Ann. 1583. *tit. de Euchar. Num.* 10. 11. *et* 12.

MIssam quisquis celebratúrus est, ne accédat illótis, ut áiunt, mánibus, et hábitu sordido vestimentórum, aut ornamentórum altáris. Sacrum autem fáciens clarâ distinctâque voce ita pronúntiet, ut ab assisténtibus, saltémque à Minístris altáris, possit intélligi. Ministrórum verò nómine censémus étiam eos hoc loco, qui sacrificánti respóndent et insérviunt.

g. DIE III. JUNII.

Ex Conc. Londoniénsi.

Ann. 1200. *cap.* 1.

A quólibet Sacerdóte celebránte verba cánonis rotúndè dicántur et distínctè, nec ex festina-

A. DIE IV. JUNII.

Ex Synodo Augustána.

Ann. 1548. *can.* 18.

UT nimia festinátio in Missæ lectióne aut celebratióne, religiósas aures, oculósque offéndit, ita incondíta prolixitas fastídium pótius génerat quàm devotiónem; quàprópter Sacerdótibus devótam mediocritátem commendámus.

b. DIE V. JUNII.

Ex Statútis Synodal. Bisuntínis.

Ann. 1573.

NUllus Presbyter Missas celebráre præsúmat témpore quo Curátus seu Prædicátor verbi Dei sermónem habet ad pópulum, nè per hoc impediátur verbum Dei.

c. DIE VI. JUNII.

Ex Conc. Turonénsi.

Ann. 1583. *tit.* 8

nè in eádem Ecclésiâ Missæ altâ aut submíssâ voce, cujúsvis fundatiónis, aut Confraternitátis colóre celebréntur; contemptóres arbítrio Episcopórum puniéndos decernéntes.

d. Die vii. Junii.

Ex Conc. Rheménsi.

Ann. 1583. *tit. de Euchar. n.* 9.

SAcerdótum hunc deléctum observábit Párochus, ut néminem admíttat ad Missæ celebratiónem in suâ Ecclésiâ, nisi qui illi sit ascríptus, aut sibi notus, aut lítteras testimoniáles et commendatítias ab Epíscopo próprio habúerit.

e. Die viii. Junii.

Ex Conc. Mediolanénsi.

Ann. 1582. *tit.* 15.

CLéricus qui in Miss

bit, nè preces horárias, néve áliud quidquam de libro, alióve Offício récitet, sed toto intimæ pietátis stúdio ad ministérium atténtus sit, quod tunc piè religiosèque éxequi debet.

f. Die ix. Junii.

Ex Conc. Rheménsi.

Ann. 1583. *tit. de Euchar. n.* 3.

SAcerdóte celebránte, et Clero concinénte, láïci preces horárias, non nisi submíssâ voce récitent, nec confabuléntur aut rídeant, aut áliquid quidquam agant, quo res sacra interturbétur. Qui tamen inter eos doctióres, réique Chsistiánæ peritióres extíterint, præclárius agent si, loco precum ex scripto recitandárum, à præfatióne, quæ pertractántur mystéria, ea ánimo defixo

g. Die x. Junii.

Ex Conc. Mediolan. 3°.

Ann. 1573. *tit.* 11.

CUm audiéndæ Missæ ratiónem pópulum Párochus docet, quò ex propitiatório illo sacrifício uberiórem ille fructum cápere possit, hoc eum sæpè admóneat, ut campánæ signo dato, quo fidéles ad Missæ sacrum vocéntur, sese quisque cólligens, si sibi alicújus mortíferi peccáti cónscius est, summo ex eo dolóre afféctus, vitæque emendándæ certo stabilíque propósito suscépto, supplex à Deo véniam petat.

De Viatico, Extremâ Unctione et infirmorum curâ.

A. Die xi. Junii.

Ex Conc. Mediolan. 4°.

clésia saltem hábeat; álteram formâ majóri ad usum sacræ communiónis pópulo in Ecclésiâ ministrándæ; álteram minóri quâ sanctíssimum Sacraméntum ad infírmos deferátur.

b. Die xii. Junii.

Ex Statútis Eccl. Viennénsis.

Ann. 1562. *art.* 10.

QUóties viáticum fúerit deferéndum infírmis, déferens manus ábluat, superpellíceum et stolam assúmat, cándelâ accénsâ, venerábili vase depónat, superpósito velámine; demùm reveréntèr pergat, aquâ benedíctâ, lúmine et campánulâ præcedéntibus.

c. Die xiii. Junii.

Ex Conc. Tridentino.

Ann. 1551. *sess.* 14. *de Extrem. Unct. can.* 1.

mino nostro institútum.... sed ritum tantùm accéptum à Pátribus, aut figméntum humánum; anáthema sit.

d. Die xiv. Junii.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 14. *de Extr. Unct. can.* 2.

SI quis díxerit, sacram infirmórum Unctiónem non conférre grátiam, nec remíttere peccáta nec alleviáre infírmos : sed jam cessásse, quasi olim tantùm fúerit gràtia curatiónum; anáthema sit.

e. Die xv. Junii.

Ex Conc. Tridentino.

Sess. 14. *de Extr. Unct. can.* 4.

SI quis díxerit, Presbýteros Ecclésiæ, quos B. Jacóbus adducéndos esse ad infírmum inungéndum hortátur, non esse Sacerdótes ab Epíscopo ordinátos; sed ætáte senióres in quâvis communitáte : ob idque próprium Extrémæ-Unctiónis minístrum non esse solum sacerdótem; anáthema sit.

f. Die xvi. Junii.

Ex Conc. Rheménsi.

Ann. 1583. *tit. de Extr. Unct. n.* 2.

PArochus non expéctet ut rogétur de sacraménto Extrémæ-Unctiónis conferéndo, sed sedulitáte suâ prævéniat ægrótum de vitâ periclitántem : caveátque ne vel mors Unctiónem prævéniat, vel morbo invalescénte, semimórtuus non séntiat..... Doceántur infirmi eam percepturi, quis sit ejus fructus, et non esse expectándum ad eam suscipiéndam, finem vitæ.

g. Die xvii. Junii.

Ex Conc. Burdigalénsi.

Ann. 1583. *tit.* 13. *de Extr. Unct.*

CUrent Párochi crebris monitiónibus impe-

ritum vulgus ab illâ ináni et ímpiâ opinióne abdúcere, quâ pleríque sinístrè de Extrémæ-Unctiónis sacraménti virtúte séntiunt, períndè ac si mortem ægris accéleret: cùm certum sit ex Apóstoli doctrínâ, Deum non ánimæ tantùm, verùm étiam córpori, si expedíerit, virtúte hujus sacraménti, salútem conférre.

A Die xviii. Junii.

Ex Statútis Synod. Eccl. Parisiénsis.

Ann. 1508. *tit. de Pœnit.*

CUm sit ánima multùm pretiósior córpore, præcípimus Médicis córporum, ut cùm eos ad infírmos vocári contígerit; ipsos antè ómnia móneant et indúcant ut médicos ádvocent animárum; ut postquàm fúerit infírmo de spirituáli salúte provísum, ad corporális medicínæ remédium salúbriùs procedátur.

b. Die xix. Junii.

Ex Conc. Nanneténsi.

Circà ann. 895. *cap.* 4.

CUm Sacérdos audíerit áliquem infirmári in suâ plebe, quàm cítiùs ad eum pergat, et eum blandè lenitérque alloquátur, ut omnem spem suam in Deo ponat, ut flagéllum Dei patiénter tóleret, ut hoc ad purgatiónem et castigatiónem suam proveníre credat. Cum his et hujúsmodi allocutiónibus fúerit mens infírmi releváta, datâ benedictióne, recédat Sacérdos, non post multùm reversúrus, detque locum ut ægrótus de peccátis suis possit cogitáre.

c. Die xx. Junii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 836. *cap.* 6.

SI quis infirmitáte depréssus fúerit, ne Confessióne aut oratióne sacerdotáli, necnon unctióne sacrificáti ólei per (Párochi) negligéntiam cáreat.

d. Die xxi. Junii.

Ex véteri Synodáli Diœcesis Albiénsis.

Ann. 1553. *part.* 1. *cap.* 26.

SI infirmus qui pétiit Sacraméntum Extrémæ Unctiónis amíserit notítiam vel loquélam; nihilóminus, dùm tamen vitam hábeat, concedátur éidem. Præcípimus itaque ut dóceant pópulum Sacerdótes, ut omnes posquàm ad annos discretiónis pervénerint, tóties quóties infírmitas supervénerit, hoc Sacraméntum Unctiónis Extrémæ recípiant.

e. Die xxii. Junii.

Ex sacramentáli Ambrosiáno S. Cároli.

Ann. 1582. *cap.* 5.

ÆGrótis máximè visitándis et consolándis assíduam charitátem Párochus navábit, qui rerum ómnium indigéntiâ et morbi acerbitáte miserábilem in modum afflícti, curatiónem difficíllimam experiúntur: quorum paupertátem commótus zelo pietátis ita sublevábit, ut et ipse si per facultátes potest, de suo éroget, et aliórum eleemósinas conquírat.

f. Die xxiii. Junii.

Ex Synodo Claromontánâ.

Ann. 1268. *tit.* 7. *de Pœnit.*

INfírmis in mortis artículo constitútis, primò est inquirénda peccatórum conféssio: est eis intimándum ut conteràntur, et ut dóleant de peccátis suis univérsis et síngulis, non tàm timóre pœnæ quam peccándo meruérunt, sed quòd Deum et Patrem Creatórem et Redemptórem suum offéndere præsumpsérunt. Inducántur infírmi, ut acerbitátes ægritúdinis quasi flagélla pii Patris quemádmodùm ei plácuit, cum gáudio toleráre labórent.

g. Die xxiv. Junii.

Ex Conc. Mediolan. 5°.

Ann. 1579. *part.* 2. *cap.* 4.

PArochi, animarúmve curatóres, tantùm abest ut necessário eo témpore (pestiléntiæ) pópulum cujus curam gerunt, áliquo modo destítuant, ut fixâ ánimi deliberatióne sibi statuéndum putent, ómnia prorsùs étiam mortis perícula paratíssimo ánimo subíre, pótiùs quàm fidéles Christi sánguine redémptos, ac sibi præcípuè in curam tráditos, in summâ penè ómnium adjumentórum necessitáte desérere.

A. Die xxv. Junii.

Ex Conc. Cabilonénsi.

Ann. 813. *cap.* 34.

SI médici qui corpóribus medicínam afférre conántur, nequáquàm propter persónæ cujúslibet acceptiónem, his quos sanáre cúpiunt, cautério aut ferro, aut duris áliis quibúslibet rebus parcunt; multò magis id ipsum his observándum est, qui non córporum, sed animárum médici existunt.

b. Die xxvi. Junii.

Ex Conc. Mediolan. 4°. sub. S. Cárolo.

Ann. 1576. *part.* 2. *cap.* 6.

SAcérdos, dùm ægrótus sensuum usum non amísit, eum brévibus et suávibus ardentibúsque verbis excitáre ad desidérium vitæ ætérnæ, et ad spem de divínâ misericórdiâ concipiéndam, ne opportúnè desistat, tùm cùm propè moribúndus est, in illius ánimæ comméndatióne, quàm máximâ potest intimâ ánimi pietáte, statas relígiósas sanctásque preces récitet.

c. Die xxvii. Junii.

Ex Statútis Synodálibus Bisuntinis.

Ann. 1573.

MAgistri hospitálium curent antè ómnia

ut in suis dómibus ea quæ ad salútem animárum pértinent, minimè negligántur: sed et de Sacramentórum administratióne paupéribus, debílibus, et ægrótis provideátur; et ubi córporis infírmitas médicum postuláverit, ibi priùs ánimæ, deíndè córporis médicus accersátur.

d. Die xxviii. Junii.

Ex Conc. Burdigalénsi.

Ann. 1582.

PRospiciéndum imprímis ut in istis dómibus hospitálibus, quæ ad animárum salútem pértinent, mínimè negligántur; sed ante ómnia de Sacramentórum administratióne paupéribus et ægrótis provideátur; quanti enim ánimus pretiósior est córpore, tantò diligéntior de illo habéri cura debet.

e. Die xxix. Junii.

Ex Epístolâ decretáli S. Leónis Papæ ad Rústicum, Narbonénsem Episcopum.

Ann. 443. *resp.* 7. *et* 9.

EOrum qui in ægritúdine pœniténtiam accípiunt, et cùm revalúerint, ágere eam nolunt, culpánda est negligéntia, sed non pénitùs deseénda, ut crebris cohortatiónibus incitáti, quod necessáriè expetiérunt, fidéliter exequántur. Nemo enim desperándus est, dùm in hoc córpore constitútus est; quia nonnúnquam quod diffidéntiâ ætátis differtur, consílio maturióre perficitur.

f. Die xxx. Junii.

Ex Epístolâ decretáli quartâ S. Cœlestini Papæ ad Epíscopos Gálliæ.

Ann. 428. *n.* 3.

VEra ad Deum convérsio in últimis positórum, mente pótiùs est æstimánda, non témpore. Cùm ergò sit Dóminus cordis inspéctor, quovis témpore non est denegánda pœniténtia postulánti, cùm illi se óbliget Júdici, cui occúlta ómnia nóverit revelári.

g. Die i. Julii.

Ex Epistolâ decretáli quartâ S. Cœléstini Papæ ad Epíscopos Gálliæ.

Ann. 428. *num.* 3.

SAlútem hómini ádimit, quisquis mortis témore sperátam prætériti œniténtiam denegávit, t desperávit de clemeniâ Dei, qui eum ad ubveniéndum moriénti ufficere, vel moménto osse non crédidit.

De electione, vitâ, moibus et Officio Parochoum.

A. Die ii. Julii.

x Statútis Synodálibus Bisuntínis.

Ann. 1588.

SAncimus nè quis in pósterùm ad sacros rdines, aut ad Benefiium, præsértim Parohiále aspírans, Magnáım lítteris aut précibus, (quæ ex sacrórum Cánonum, statutíque nostri synodális formâ, in spirituálibus labem sæpè cóntinent simóniæ,) diréctè vel indiréctè commendári procúret, aut patiátur.... Alióquin étiam ab ipso exámine, et eâ vice à præétenso Ordine vel à Benefícii promotióne arcébitur.

b. Die iii. Julii.

Ex Conc. Meldénsi.

Ann. 845. *cap.* 30.

SI quis de Ordine sacerdotáli, contémptu minóris Ecclésiæ, ambitiósè et ímprobè ad potiórem aspiráre conténderit, canónica ergà eum definítio conservétur.

c. Die iv. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *lib.* i. *cap.* 14.

NUlla ars docéri præsúmitur, nisi inténtâ priùs meditatióne discátur; ab imperítis ergò pastorále magistérium quâ temeritáte suscípitur,

quando ars est ártium régimen animárum?

d. Die v. Julii.

Ex Conc. Mexicáno.

Ann. 1585. *lib.* 1. *de scientiâ*, *tit.* 4. §. 7.

SAcerdótes quibus animárum cura committénda est, quantùm doctrinâ præstáre débeant, vel ex eo.... intélligi licet, quod velúti duces, magístri et médici exístant, qui súbditos in cœlum dírigant, sacram doctrínam dóceant, spirituálibus eórum morbis medeántur.

e. Die vi. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 836. *cap.* 4.

SAcerdotáli ministério scire cónvenit quantùm Rector, sacræ legis meditatiónibus esse débeat inténtus, juxtà quod in libro Pastoráli Sanctíssimi Pontíficis Gregórii habétur, id est, quòd omne bonum ritè à Rectóre ágitur, si supérnæ formídinis et dilectiónis spíritu afflátus, studiósè quotídiè sacri elóquii præcépta meditétur.

f. Die vii. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *cap.* 13.

SOlérter se quisque metiátur, nè locum regíminis assúmere áudeat, si adhuc in se vitium damnabíliter regnat: nè is quem crimen deprávat próprium, intercéssor fíeri áppetat pro culpis aliórum.

g. Die viii Julii.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 24. *cap.* 1. *de reform.*

SAncta Synodus, omnes et síngulos qui ad promotiónem præficiendórum quodcúnque jus hábeant..... Hortátur et monet ut imprimis meminerint, nihil se ad Dei glóriam et populórum salútem utílius posse fácere, quàm si bonos Pastóres et Ecclésiæ gubernándæ idóneos promovéri stúdeant.

Ex

A. Die ix. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *lib.* 1. *cap.* 13.

PEnsándum valdè est ad culmen quisque regiminis quáliter véniat, atque ad hoc ritè pervéniens, quáliter vivat, et benè vivens, quáliter dóceat; et rectè docens, infirmitátem suam quotidiè quantâ consideratióne cognóscat, ne aut humílitas accéssum fúgiat, aut perventióni vita contradicat, aut vitam doctrína destruat, aut doctrínam præsúmptio extóllat.

b. Die x. Julii.

Ex Sermóne Synodáli Stéphani, ex Abbáte S. Genóves. Tornacénsis Episcopi.

Ann. 1197. *Serm.* 1.

NOn quid fiat, sed quid fieri débeat, attendámus. Generális enim est régula illa et quæ locum habet in omni Sacerdóte, summo, médio, infimove, ut (ad régimen) quærátur cogéndus, rogátus recédat, invitátus fúgiat, sola illi suffragétur necéssitas se non excusándi. Si áliter factum est, vitiósa est régula et pérdidit officium suum. Inter hæc clamat legis austéritas, stat rigor Cánonum intráre voléntes arcens.

c. Die xi. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *lib.* 1. *cap.* 14. *ex Greg.*

VIrtútibus pollens, coáctus ad régimen véniat: virtútibus vácuus, nec coáctus accédat.

d. Die xii. Julii.

Ex Conc. Rheménsi.

Ann. 1584. *Statuto* 8.

SAtius est promovéndos ad sacros Ordines et Ecclésiæ gubernatiónem, diù multúmque ánteà probáre et exploráre, quàm de témerè admíssis pósteà pudére et pœnitére.

e. Die xiii. Julii.

Ex Statútis Synodálibus Bisunt. Diœc.

Ann. 1573.

STatúimus et ordinámus ut nemo electus confirmétur, nemóque præsentátus ad curam animárum instituátur....... priúsquàm sit examinátus et comprobátus idóneus, possítque et velit múneri, ad quod vocátur, pro viríli satisfácere.

Oves sibi commissas agnoscant.

f. Die xiv. Julii.

Ex Conc. Tridentino.

Sess. 23. *cap.* 1. *de reform.*

PRæcépto divíno mandátum ómnibus, quibus animárum cura commíssa est, oves suas agnóscere, pro his Sacrifícium offérre, verbíque divíni prædicatióne, Sacramentórum administratióne, ac bonórum ómnium óperum exémplo páscere, páuperum, aliarúmque miserabílium personárum curam patérnam gérere.

Proprios motus in exercendis officiis fugiant.

g. Die xv. Julii.

Ex Constitutiónibus Richárdi Episcop. Sarum.

Ann. 1217. *cap.* 73.

SAcerdótibus... injúngimus, ut in exercéndo offício suo próprios motus, scilicèt rancóres, ódia, carnáles affectiónes non sequántur: sed ádeò sint discréti.... in præcipiéndo, ut sub prætéxtu débitæ sibi obediéntiæ, súbditos suos nullátenùs scandalísent.

In populos non rigidè dominentur.

A. Die xvi. Julii.

Ex Conc. Parisiénsi

Ann. 829. *cap.* 23.

QUia sunt pleríque qui non patérnum afféctum circà gregem sibi commíssum, sed quemdam exercére videntur dominátum, eúmque non ut domínicum, sed flátibus ventósæ arrogan-

tiæ infláti, ut suum próprium tractáre non veréntur, quantùm à paternitátis offíciis abérrent, declárat Dóminus in Evangélio: Si díligis me, pasce oves meas: Meas, inquit, non tuas.

b. Die xvii. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *cap.* 23. *ex Isid.*

ALiter est agéndum ergà eos qui nostro committúntur regímini, si offéndunt; atque áliter cum his qui nobis commíssi non sunt. Hi, si justi sunt, venerándi sunt; si verò delínquunt pro solâ charitáte, ut locus est, corripiéndi sunt, non tamen cum severitáte, sicut hi qui nobis regéndi sunt commíssi.

c. Die xviii. Julii.

Ex Conc. Mediolanénsi.

Ann. 1576. *part.* 1.

DIvinâ contestatióne observámus ecclésiástici Ordínis hómines, eos præsértim qui in sacerdótii gradu constitúti sunt, quive animárum curam gerunt, ut quos in vitiórum fæce versári animadvérterint, cautè et sapiénter stúdeant à peccátis flagitiísque deterrére, et ad virtútem cohortári; eisdémque in scélerum gúrgite laborántibus opem ferre verbis, consíliis, exémplis; atque ita quidem ut dùm illos juváre conántur, ne se familiaritáte inquínent.

Auctoritatem humilitate et prudentiâ temperent.

d. Die xix. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *cap.* 22.

QUi præfícitur ad régimen, táliter ergà disciplínam subditórum præstáre se debet, ut non solùm auctoritáte, verùm étiam humilitáte claréfiat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitátis, ne dissolvátur subditórum in vítiis; atque ita auctóritas àderit potestátis, ne per tumórem

cordis sevéritas existat immoderatiónis: Hæc est in Dei Sacerdótibus vera discrétio, quâ nec per libertátem supérbi, nec per humilitátem fiunt remissi.

e. DIE XX. JULII.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *cap.* 36.

BOni Pastóres pópuli debent delícta deflére, et totos se plánctibus trádere, imitántes Jeremíam Prophétam dicéntem: Quis dabit cápiti meo aquam, et óculis meis fontem lacrymárum, et plorábo die ac nocte interféctos pópuli mei? Tanquàm própria igitur delícta, plebis peccáta Sacérdos flere debet, sed afféctu compatiéndi, non actióne commíssi.

f. DIE XXI. JULII.

Ex Conc. Aquisgran. 2°.

Ann. 836. *cap.* 2. *can.* 3.

bre animárum Pastóres pópuli scire opórtet uti médicos spirituáles, asserénte Sancto Pontífico Gregório, dicénte, quia ártium ars est régimen animárum.

g. DIE XXII. JULII.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *lib.* 1. *cap.* 134.

REctóres....... sint críminum persecutóres, et hóminum liberatóres; óderint vítia, díligant hómines; óderint quod instínctu diáboli ingéstum est, díligant quod Dei bonitáte creátum est.

A. DIE XXIII. JULII.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *cap.* 34.

OMnis spirituális zelus Doctóris ánimum frigit, quia valdè cruciátur dùm infírmos quosdam ætérna desérere, et rebus temporálibus delectári cónspicit. Nullum

ta ait: *Zelus domûs tuæ comédit me.*

b. Die xxiv. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *lib.* 1. *cap.* 34.

QUi zelo rectitúdinis movétur, sic culpas delinquéntium córrigat, ut ante, ipse qui córrigit, per patiéntiam crescat; ut fervórem suum transcendéndo dijúdicet; ne intemperánter excitátus ipso zelo rectitúdinis, longè à rectitùdine abérret.

c. Die xxv. Julii.

Ex Conc. Coloniénsi 1°.

Ann. 1536. *part.* 2. *cap.* 7.

SUnt in Clero zelum quidem Dei habéntes, sed non secúndùm sciéntiam, qui privátis afféctibus ducti, effíciunt ut nova festa et officia præter Ecclésiæ auctoritátem solémniter celebréntur, quo interim fit

cilè novéntur; id quod nobis non satis probátur. Neque enim errárunt Patres à quorum institútis in dicéndis précibus, útinam tam longè discéssum non fuísset. Quod si hîc afféctibus singulórum indulgébitur, tandem antíquus ritus pénitùs evanéscet.

Populos edoceant et curent.

d. Die xxvi. Julii.

Ex Conc. Tridentino.

Ann. 1546. *sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.*

CUram animárum habéntes... diébus saltèm Domínicis et Festis solémnibus plebes sibi commissas pro suâ et eárum capacitáte pascant salutáribus verbis, docéndo ea quæ scire ómnibus necessárium est ad salútem.

e. Die xxvii. Julii.

Ex Conc. Coloniénsi 1°.

Ann. 1536. *part.* 6. *cap.* 8.

væ ergò illis, si non evangelizáverint. Si quis autem eórum sapiéntiâ índiget, scrutétur Scriptúras, et póstulet à Deo qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat, et dábitur ei.

f Die xxviii. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *cap.* 117.

PRæpositórum offícii est ut subditórum mentes sanctárum Scripturárum lectiónibus assíduè múniant; ne lupus invisíbilis áditum invéniat, quo ovíle Dómini íngredi, et áliquam óvium surrípere váleat.

g. Die xxix. Julii.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *cap.* 5.

PRæsbyterórum qui præsunt Ecclésiæ Christi, et in confectióne divíni Córporis et Sánguinis consórtes cum Epíscopis sunt, ministérium esse vidétur, ut in doctrínâ præsint pópulis, et in offício prædicándi; nec in áliquo désides invénti appáreant: Item ut de ómnibus homínibus qui ad eórum Ecclésiam pértinent, per ómnia curam gerant; sciéntes se certò reddituros ratiónem pro ipsis in die judícii.

Dignitatem Sacerdotii semper præ oculis habeant.

A. Die xxx. Julii.

Ex Capitulári Theodúlphi Aurelianénsis Epíscopi.

Ann. 797. *cap.* 1.

SIcut Episcopi Apostolórum in Ecclésiâ, ita Presbytéri cæterórum Dómini Discipulòrum vicem tenent: undè opórtet vos semper esse mémores tantæ dignitátis, ut nec ab eâ degenerétis, nec vestram conversatiónem írritam faciátis; sed cordis et córporis mundítiam conservántes, et plébibus exémplum benè vivéndi præbéntes, his quibus præéstis, ducátum ad cœléstia regna præbeátis.

b. Die xxxi. Julii.

Ex Conc. Tolosáno.

Ann. 1590. *part.* 1. *cap.* 4.

CUm ea sit sacerdotális dignitas ut áliis videátur dignitátibus prælucére, summâ ope niti debent Sacerdótes, ut effíctam ómnium ánimis tanti múneris dignitátem exémpli raritáte sustíneant, illúdque perpétuò réputent, se non sibi solos vívere, sed præclárræ vitæ documénta áliis homínibus debére.

---

c. Die i. Augusti.

Ex Conc. Turonénsi.

Ann. 813 *can.* 3.

IN Canónibus et in Libro Pastorâli, à B. Gregório Papâ édito, se debet unusquísque (Pastor) quasi in quodam spéculo assíduè consideráre.

d. Die ii. Augusti.

Ex Canónibus Arábicis.

Ann. 1325. *cap.* 14.

ANtè ómnia à vobismetipsis incípite (Sacerdótes) et..... ómnibus virtútibus vos exornáte : ne scándalo sitis áliis, et vestra apud gregem diminuátur fides, existimátio et auctóritas.

e. Die iii. Augusti.

Ex Capitúlis Herárdi Turonénsis Archiep.

Ann. 858. *cap.* 107.

PResbytéri sicut órdine sanctióres, ita verbo, incéssu et actu sint reverentióres, quia celsitúdo gráduum gravióren peccáti facit cúmulum.

f. Die iv. Augusti.

Ex Conc. Valentino.

Ann. 855. *cap.* 15.

tibus formam disciplínæ et verecúndiæ ac modéstiæ infúndat.

g. DIE V. AUGUSTI.

Ex Conc. Turonénsi.

Ann. 461. *can.* 1.

SAcerdótes vel Ministri Ecclésiæ, de quibus dictum est : vos estis lux mundi; ita in omni sanctâ conversatióne ac Dei timóre actus suos dírigant, ut et divínæ possint placére cleméntiæ, et bonum fidélibus præbeant exémplum.

A. DIE VI. AUGUSTI.

Ex Conc. Parisiénsi 6°.

Ann. 829. *cap.* 4.

(PAstóres) sunt Patres in fide, prædicatóres cœléstium præmiórum, exémpla bonórum óperum, documénta virtútum et forma fidélium, Ecclésiæ decus, in quibus ámpliùs fulget Ecclésia, ipsi colúmnæ firmíssimæ, quibus in Christo fundá-

b. DIE VII. AUGUSTI.

Et ex Conc. Toletáno 4°.

Ann. 633. *tit.* 22.

QUamvis consciéntiam puram apud Deum nos habére opórteat, tamen apud hómines famam óptimam custodíre cónvenit, ut juxtà præcéptum apostólicum, non tantùm coram Deo, sed étiam coram homínibus vitæ sanctæ testimónium habeámus.

c. DIE VIII. AUGUSTI.

Ex Conc. Parisiénsi.

Ann. 829. *cap.* 4. *lib.* 1.

IPsi sunt Ecclésiæ decus qui non ambiéndo, sed spirituáliter vivéndo principátum meruérunt; quique non favóris humáni suffrágio, sed divino múnere sublimáti, nihil sibi de præstántiâ sui principátûs appláudunt: quos non inflat honor accéptus, sed exércet labor impósitus; quia non excelléntiam suam cógi-

officii dignitáte, sed súlant pótiùs constitúti sub ónere.

d. Die xix. Augusti.

Ex Epistola S. Leónis Papæ ad Anastásium Episcopum.

Ann. 445. *cap.* 11.

QUi scit se quibúsdam esse præpósitum, non moléstè ferat áliquem sibi esse prælátum; sed obediéntiam quam éxigit, ipse dependat; et sicut non vult gravis óneris sarcinam ferre, ita non áudeat áliis importábile pondus impónere.

e. Die x. Augusti.

Ex lib. 2°. S. Gregórii Papæ, de régula Pastoráli.

Ann. 590. *part.* 2. *cap.* 6.

SIt Rector benè agéntibus per humilitátem sócius, contrà delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus; ut et bonis in nullo se præferat, et cum pravórum culpa éxigit, potestátem prótinùs sui priorátûs agnóscat: quátenùs et honóre supprésso, æquálem se súbditis benè viventibus députet, et ergà pervérsos jura rectitúdinis exercére non formídet.

f. Die xi. Augusti.

Ex Conç. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *lib.* 1. *cap.* 21.

Atque ex Conc. Trident.

Sess. 13. *cap.* 1. *de reform.*

SIt Rector discrétus in siléntio, útilis in verbo, ne aut tacénda próferat, aut proferénda reticéscat... Illa Apóstoli est à Pastóribus servánda præcéptio, ut subjéctos árguant, óbsecrent, increpent in omni bonitáte et patiéntiâ, cùm sæpè plùs ergà corrigéndos agat benevoléntia quàm austéritas, plùs exhortátio quàm comminátio, plùs cháritas quàm potéstas.

g. Die xii. Augusti.

Ex Canónibus Arábicis novæ versiónis.

Ann. 325. *cap.* 14.

Atque ex Conc. Colon.

Ann. 1536. *part.* 6. *cap.* 15.

OPórtet ut Sacérdos sit pastor gregi suo invígilans, et dúbios in fide confírmet, et corróboret; et si qua controvérsia orta fúerit inter ejus cives... suam interpónat óperam, et concitátos concíliet ánimos... Erit Párochus in reprehendéndis crimínibus véhemens et acer: constitútus est enim ut annúntiet pópulo scélera eórum; sic tamen ut in suggésto vítia tantùm reprehéndat, non persónas nominátim perstríngat.

A. Die xiii. Augusti.

Ex Conc. Parisiénsi 6°.

Ann. 829. *libro.* 1. *cap.* 4.

non concórdat, et auditóribus infírmis scándalum et animárum provenire perículum non est dúbium; proíndè summóperè cavéndum est Sacerdótibus, ne offendículum fiant his quibus præsunt; tunc enim offendículum fiunt illis, quando quod verbis prædicant, móribus impúgnant.

b. Die xiv. Augusti.

Ex Constitutiónibus Ricúlphi.

Ann. 889. *cap.* 1.

QUicúnque Presbyter à suo Epíscopo frequénter admónitus de suâ sciéntiâ, ut díscere curet, fácere negléxerit, procul dúbio, et ab offício removeátur, et Ecclésiam quam tenet, amittat.

c. Die xv. Augusti.

Ex S. Bernárdo.

Epist. 174. *n.* 2 *et* 3.

EXálta (Matrem Dómi-

Angelórum ad cœléstia regna. Hæc de illâ cantat Ecclésia, et dócuit illum diem cum summâ veneratióne recoléndum, quo assúmpta de sæculo nequam, cœlis quoque íntulit celeberrimórum festa gaudiórum.

Avaritiæ notam formident, domumque cautè custoditam habeant.

d. Die xvi. Augusti.

Ex Synodo Ebroïcénsi.

Ann. 1576.

SInt mores (Curatórum) sine avarítiâ, pro quocúnque offício conténti his quæ sibi vel jus ipsum, vel laudábilis consuetúdo constítuit; ac ne quidem avidiùs sive inhumániùs quod sibi debétur éxigant, atque in ómnibus pauperiórum ratiónem hábeant.

e. Die xxvii. Augusti.

Ex Conc. Rheménsi.

Ann. 1583. *tit. de simon. n.* 9.

Missas celébrent, et Párochi qui pro Sacramentórum administratióne, vel fúnere, vel sepultúris áliquid éxigunt præter ea quæ de jure, lege, vel consuetúdine laudábili conferúntur, habeántur simoniaci; non autem si obláta recipiant.

f. Die xviii. Augusti.

Ex Conc. Tridentíno.

Sess. 25. *cap.* 1. *de reform.*

OMninò Pastóribus et Clericis sancta Synodus interdícit, ne ex redítibus Ecclésiæ consanguíneos, familiarésve suos augére stúdeant, cùm et Apostolórum Cánones prohíbeant, ne res ecclesiásticas, quæ Dei sunt, consanguíneis donent; sed si páuperes sint, iis ut paupéribus distríbuant, eas autem non dístrahant, nec díssipent illórum causâ.

g. Die xix. Augusti.

Ex Conc. Cabilonénsi 2°.

Ann. 813. *can.* 6.

rítiæ causâ homínibus persuádeant ut abrenuntiántes sæculo, res suas Ecclésiæ cónferant; quod pénitùs ab ómnium méntibus eradicándum est. Animárum quippè salútem inquírere Sacérdos non lucra terréna debet: quóniam fidéles ad res suas dandas non sunt cogéndi neque circumveniéndi, oblátio quippè spontánea esse debet.

A. Die xx. Augusti.

Ex Conc. Parisiénsi.

Ann. 829. *lib.* 1. *cap.* 18.

COnvenit Pastóribus Ecclesiárum res Ecclésiæ possidére, non ab his possidéri, et, ut Prosper scribit, eas possidéndo debent contémnere, et non sibi, sed áliis possidére.

b. Die xxi. Augusti.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *lib.* 1. *cap.* 12.

APóstolus dixit sic Dóminum disposuisse, ut qui Evangélium annúntiant, de Evangélio vivant... Undè ergò vivitur, necessitátis est accípere, charitátis est præbére.... accípiant sustentatiónem necessitátis à pópulo, mercédem dispensatiónis à Dómino.

c. Die xxii. Augusti.

Ex Conc. Aquisgranénsi

Ann. 816. *cap.* 116.

RÉs Ecclésiæ, sicut à Sanctis Pátribus tráditur, vota sunt fidélium, prétia peccatórum et patrimónia páuperum. Fidéles namque suis própriis facultátibus sanctam locuplétem fecérunt Ecclésiam, ut his et mílites Christi aleréntur, et Ecclésiæ exornaréntur, páuperes recrearéntur, et captivi pro témporum opportunitáte redimeréntur.

d. Die xxiii. Augusti.

Ex Conc. Aquisgranénsi.

Ann. 816. *cap.* 116.

VIgilánti ac solérti cûrâ providéndum est his qui Ecclésiæ facultátes administrant, ne eas

in suòs solúmmodò usus convértant, sed magis juxtà possibilitátem rerum, Christo famulántium, imò eórum in quibus Christus páscitur et vestítur, curam gérere pénitùs non négligant.

e. Die xxiv. Augusti.

Ex Conc. Parisiénsi.

Ann. 829. *part.* 1. *cap.* 12.

QUi non dat óvibus substántiam suam, quandò pro eis datúrus est ánimam suam? Primum itaque nostrûm est exterióra nostra óvibus... impéndere; póstmodùm, si necésse sit, pro eisdem ánimam pónere.

f. Die xxv. Augusti.

Ex Synodo Ebroïcénsi.

Ann. 1572.

OMnes præsértim Curáti ita domi vivant, ut cáreant non solùm incòntinéntiæ crímine, sed críminis suspicióne; nec mulíeres ullas apud se retíneant, de quibus mala suspício efférri possit.

g. Die xxvi. Augusti.

Ex Statútis Synodálibus Bisuntínis.

Ann. 1692.

SAcerdotális Ordo éxigit ut qui ad illíus ministérium sunt évecti, domum hábeant ab omni sæculáris famíliæ strépitu immúnem, nec quidquam in eâ appáreat quod laïcórum óculos offéndat. Proptérea inhibémus Párochis, cæterísque curæ animárum addíctis, ne deínceps propínquos, seu quoscúnque álios, famíliam et líberos habéntes, in suis ædibus sub quovis prætéxtu retíneant.

A. Die xxvii. Augusti.

Ex Conc. Coloniénsi.

Ann. 1536. *part.* 5. *cap.* 6.

NEsciat Presbytéri domus comessatiónes crapulósas; execrétur compotatiónes illas ad æquáles haustus obligatórias. Sit procul à symbolórum, ut vocant, datió-

nibus. Turpissimum putet, nisi causâ necessitátis, intráre tabérnam, quasi domum non hábeat ad edéndum et bibéndum. Breviter vitet ómnia quæ pastorálem auctoritatem aut dedecórant, aut imminuunt.

b. Die xxviii. Augusti.

Ex Constitutiónibus Ricúlphi.

Ann. 889. *cap.* 2.

PResbytéri simul conveniéntes, non pastis vel potatiónibus vacent, sed de suo ministério et religiósâ conversatióne, atque de his quæ in eórum Paróchiis áccidunt, sermónem hábeant.

De Pastorum residentiâ, et vigilantiâ in omnes.

c. Die xxix. Augusti.

Ex Statútis Synodálibus Bisuntinis.

Ann. 1573.

runt et facti sunt, ad personálem residéntiam tenéntur, sub pœnâ privatiónis frúctuum et beneficiórum.... Períndè est Curátos non residére, et in residéntiâ otiósos esse. Scriptúra desíderat Pastóres omnes esse poténtes exhortári pópulum in doctrínâ sanâ, et contradicéntes revíncere; quod multò magis desíderat nostri témporis necéssitas, in quâ messis quidem multa; operárii verò pauci; nec solùm dormiéntibus, sed pervigilántibus Rectóribus inimíci hómines Sátanæ palàm per Ecclésias superséminant zizánia.

d. Die xxx. Augusti.

Ex Conc. Tridéntino.

Sess. 23. *cap.* 1. *de reform.*

CHristiána cháritas, urgens necéssitas, débita obediéntia ac évidens Ecclésiæ vel Reipúblicæ

causas.... In scriptis esse approbándas..... Quandocúnque eos (qui Benefícium ecclesiásticum curam animárum habens, óbtinent) abésse contígerit, Vicárium idóneum ab Ordinário approbándum, cum débitâ mercédis assignatióne relínquant.

e. Die xxxi. Augusti.

Ex Conc. Burdigalénsi.

Ann. 1583. *tit.* 18.

INquírant Párochi studiósè de paupéribus suæ Paróchiæ præsértim... de víduis, órphanis, pupíllis, ægrótis, sénio conféctis, aliísque persónis temporáli vel spirituáli misericórdiâ indigéntibus, quibus et ipsi pro víribus opituléri, et álios suo exémplo atque hortátu ad id offícium incitáre stúdeant.

Die Festo Patroni.


Ex Conc. Mediolan. 3°.

Ann. 1573. *tit.* 1.


DIe Sancti qui Paróchiæ Patrónus est et Custos, quò ad illíus imitatiónem magis fidéles inflamméntur, id Párochus præstet, cùm frequéntior in Ecclésiâ pópulus adest, ut ipse vel álius in suggéstu res ejus sanctè, admirabíliter gestas, morum disciplínam, pietátis stúdia ac virtútes pronúntiet.

Intonationes, Mediationes, et Terminatioues Psalmorum et Canticorum, secundùm diversos Antiphonarum Tonos.

Primus tonus *in* A.



In exitu Israël de Ægypto,* Domus Jacob de



populo barbaro. *in* A. E u o u a e.

Aliæ Intonationes de T. I.



In D. Dixit Dominus Domino meo.


Cantici Magn. *Intonatio in omni Dupl. T.* I.

Magni-ficat *anima, *etc.* Et exultavit spiritus meus.

Terminationes.



in D. E u o u a e.



in f. *vel f.* E u o u a e.



in D. E u o u a e.



in g. *vel g.* E u o u a e.




in a. E u o u a e.




in a. E u o u a e.

II. Tonus *in* A.




Ps. Laudate Dominum, omnes gentes;* Lauda-



te eum, omnes populi.




Cant. Magnificat * Anima, *etc.* Et e-xulta-



vit spiritus meus. * E u o u a e.



in D. *Ps.* Laudate Dominum omnes gentes.



Cant. Mag- ni- fi cat * Anima, *etc.* Et e- xul-



tavit spi- ritus meus. *




in D. E u o u a e. *in D.* E u o u a e.


III. Tonus *in* E.



Ps. Bea-tus vir qui timet Dominum, *etc.*




Cant. Magni-ficat, *etc.* Et e-xultavit spi-ritus




meus. E u o u a e. *in* E.


Terminationes.




in a. E u o u a e.



in b. E u o u a e.




in à. E u o u a e.




in c. E u o u a e.


IV. Tonus in E.



Ps. Eructavit cor meum verbum bonum;




* Dico, *etc.* *Cant.* Magni-ficat, *etc.* Et exultavit



spi- ritus me us, *etc.*

Terminationes.



in a. E u o u a e.




in E. E u o u a e.




in E. E u o u a e.



in f. E u o u a e.




in J. E u o u a e.



in A. *Ps.* Coe li enarrant gloriam De i, * Et o-




pera. *Cant.* Mag ni ficat, *etc.* Et e-xulta vit




spi ritus meus, *etc.* E u o u a e.

Terminationes.




in c. *vel c.* E u o u a e. *in* d. *vel d.* E u o u a e.


V. Tonus. in C.





Lauda Jerusalem, Domlnum. Mag ni- ficat, *etc.*

















VI. Tonus *in* C.










In Dupl. I. Classis, ad Nunc dimittis.













aut Magni-ficat, *etc.* Et exultavit spiritus




aut meus, *etc.* E u ou a e.



in F. *aut* Euou a e. *in F.* Euoua e.

VII. Tonus *in* G.



Laudate, pueri, Dominum. Magni-ficat. Et e-




xultavit spi-ritus meus, *etc.* Euoua e.




in a. *vel a.* Euoua e.




in ç. Euoua e.




in b- *vel. b.* Euoua e.




in d. Euoua e.





in c. Euoua e.





in d. Euoua e.


VIII. Tonus *in* G.



Dixit Dominus Domino meo. Magni- ficat.




Et e- xultavit spiritus meus, *etc.*






Euouae.





in c. Euouae.




in d. *vel*. *d*. Euouae.



in F. Euouae.

CANTUS BENEDICAMUS.

In Dupl. I. Classis.



Benedica- mus Do– mino.




Bene-di camus Do-



mi no.


In Duplicibus II. Classis.



Benedicamus Do- mino.



Benedicamus Do–



mino.

In Duplicibus III. Classis.



Benedi ca- mus Do- mino.



Benedi ca- mus Do– mi no.


In Semiduplicibus per annum.




In Octavis.




In Dominicis per annum.




In Dominicis Adventûs et à Septuag. ad Pascha.



Temp. Pasch. In Dominicis et Duplicibus.



Tempore Paschali in Semiduplicibus.



In Festis non solemn. B. M. V. in Oct. et de Sabbato.




In Simplicibus et in Feriis per annum, etiam Temp. Pasch.

In Feriis Adventûs, à Septuag. ad Pascha et in Vigiliis.



Ad Libitum.



Pro Defunctis.





INDEX PSALMORUM.

INDEX PSALMORUM.

INDEX PSALMORUM.

Noster Anthelmus micat ecce pastor!
Hujus in laudes sociate cantus,
Civis et hospes.
Flore sub primo viridis juventæ,
Patriam dulcem, simul et parentes,
Dulcius cœlum meditans profundâ
Mente, reliquit.
Non ad antiquas, sua tecta, turres
Sponte discedens, oculos retorsit;
Nil tulit secum, bona supplet illi
Omnia Christus.
Liber ut curis, strepituque rerum,
Vix domo sanctâ juvenis receptus,
Cum palam virtus metuens videri,
Nota refulsit.
Laudis irrepat male ne cupido,
Horta pedes setis riget atque ferro,
Jam fatiscentes lacerabat artus
Intima vestis.
Sit Patri, sit laus Genito, sit almo
Flamini, sit laus tribus una semper;
Et tibi cunctis, Deus unus, æqua
Gloria seclis. Amen.

Ad Matutinum. Quid lates? tandem, venerande, prodi!
Te ducem poscunt, quid adhuc repugnas?
In via cœli rapidus, sodales
Ante volabis.
Annuit victus precibus suorum,
Quos, regi semper cupidus, regebat;
Ne cadat, sedem timet eminentem,
Tutus in imâ.
Lux fuit cœco, columen labanti,
At reos verbo vehemente terret;
Fervidos Christi, quot erant sodales,
Fr. ·)
Monte

Fama longinquas cita transit urbes,
Itur, accurrunt, via fervet omnis;
Sentiunt cuncti simul efficacis
Munera dextra.
Ille jejunos dape, veste nudos,
Hospites tecto, recreabat omnes,
Blandius mulcens graviora curis
Corda levabat.
Schismatis draco populatur orbem!...
Advolat sacris pius ultor armis,
Et citò Christi populus quiescit,
Roma triumphat.
Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus veneretur orbis,
Qui sacerdotes per amoris almi
Flamen inungis. Amen.

Ad Laudes.– Sancta nos nostros vocat ecce patres.
Anxios omnes tenet unus ardor:
Quaeritur pastor, modò qui relictum
Pascat ovile.
Quem cient votis, stupefactus altos
Montis abrupti fugit in recessus,
Ecce lamentis penetrantur antra,
Tecta ferarum.
Silva mox prodit malè quem tegebat,
Flevit inventus; latebris adhaeret,
Ut sinus iuvat genitrix umbras
Instat et urget.
Quis tibi flenti, generose, sensus?
Cur times mitra redimire frontem?
Te Deus poscit; pariles precantum
Annue votis.
Annuit: laeti cecinere cives,
Protinus caelo nova lux sereno
Ad novos sancti radiasse visa
Sideris ortus.
Ut gregis vocem miseratus audit,
Mox pedum sumit trepidante dextrâ,
Sumit et curas, neque jam recusat
Ferre labores.
Se probat patrem, docet imperitos,
Erigit tristes, inopesque pascit,
Fidus illaesum, vigilando pastor
Servat ovile.
Quas relaxabat sceleri, subibat
Innocens poenas; aliena culpa
Hunc reum facit; piat acta longo

Non sua fletu.
Ad novum munus, nova signa crescunt:
Dente lethali mala mordet hydra,
Arte non doctâ, prece sed medente
Vulnera sanat.
Principem dirum pietate vincit
Nutrit et gentes fame pastor ægras:
Illa tunc vitæ fuit et laborum
Meta suorum.
Trinitas, summo veneranda cultu,
Fida plebs in te colit unitatem;
Qui pari cura referant parentem
Mitte ministros. Amen.

Ad II Vesp. — Sat datum terris: tua nunc olympo
Te gravem virtus meritis reposcit,
Te, pater, nobis rapuere cives
Ætherii alti.
Non abit totus: sua post superstes
Fata, se natis pater ecce reddit;
Nos adhuc factis docet, atque sacra
Ossa prophetant.
Profuit vivus, favet et sepultus;
Et salutaris liquor è sepulcro.
Turba languentum properate, præstat
Ille salutem.
Quisquis ad sacram venit æger aram,
Febre seu languens, aliave tabe
Saucius, morbo fugiente, sanus
Redditur omnis.
Sæpè quam prolem genitrix ab alvo
Fudit extinctam, tumulo propinqua
Vivit, et mirum! recepit negatas
Luminis auras.
Redditur cæco sua lux, et auris
Redditur surdo, sua lingua muto;
Impari qui vix pede claudus ibat,
Ambulat æquo.
Quæ fuit semper tibi cura, Præsul,
Hanc, licet vectus supra astra, serves.
Et tuam, nostræ bone tutor urbis,
Respice gentem.
Laus tibi, summi moderator orbis,
Præmiis duros recreans labores,
Quem fides veri studiosa, trinum
Credit et unum. Amen.

